

SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

# ΗΦΑΙΣΤΙΩΝΟΣ

# ΕΓΧΕΙΡΙΔΙΟΝ

## ΠΕΡΙ ΜΕΤΡΩΝ ΚΑΙ ΠΟΙΗΜΑΤΩΝ.

---

# HEPHÆSTIONIS ALEXANDRINI

# ENCHIRIDION

ITERUM EDIDIT

THOMAS GAISFORD, S. T. P.

ÆDIS CHRISTI DECANUS

NECNON LINGUÆ GRÆCÆ PROFESSOR REGIUS.

ACCEDUNT

TERENTIANUS MAURUS DE SYLLABIS ET METRIS,

ET

PROCLI CHRESTOMATHIA GRAMMATICA.

---

TOM. II.

---

OXONII:

E TYPOGRAPHEO ACADEMICO.

M.DCCC.LV.

# ANNOTATIONES AD HEPHÆSTIONIS

## CAPUT PRIMUM.

---

### *De Quantitate Syllabarum.*

I. 1. p. 1. DEFINITIONEM syllabæ ab Hephæstione prætermissam, librariorum quoque incuria ex Longini Prolegomenis p. 150. exulantem, ita tradunt grammatici Latini. Priscianus II. p. 565. *Syllaba est comprehensio litterarum consequens, sub uno accentu, et uno spiritu prolata. Abusive tamen etiam singularium vocalium sonos syllabas nominamus. Possumus tamen et sic definire syllabam: Syllaba est vox litteralis, quæ sub uno accentu et uno spiritu indistanter profertur.* Idem p. 671. *Syllabas nominamus, non quod omnes comprehensione litterarum constent, sed quod pleræque.* Diomedes II. p. 422. *Syllaba est proprie congregatio, aut comprehensio litterarum enuntiata.* (Sic enim recte edit. Mediolan. 1497. Putschius male *enunciatio.*) *Fit autem ex omnibus vocalibus, etiam ex singulis, syllaba tam brevis quam longa, et ex copulatione vocalium consonantiumque, temporum capax. Syllabæ autem dicuntur Græce,* παρὰ τὸ συλλαμβάνειν τὰ γράμματα: *Latine* connexiones *vel* conceptiones *dici possunt, quod litteras concipiant atque connectant.* Sergius in Donati edit. primam p. 1829. *Syllaba dicta est ex interpretatione Græca,* ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν τὰ γράμματα, *eo quod complectitur et conglutinat litteras; unde et in quæstionem illud venit, quare una vocalis syllaba dicitur. Intelligendum est tamen, quod hoc sibi non ratione, sed abusive deposcit.* Terentianus Maurus v. 1314. p. 2411.

*Una vocalis jugata consonanti aut pluribus*
*Syllabam reddat necesse est: syllabam Græci vocant,*

*Ore quod simul profectæ copulant unum sonum;*
*Vinculum nam signat ista congregale dictio.*
*Et tamen vocalis una quando pars sermonis est,*
*Syllabam dici necesse est, quum sit una littera.*

et iisdem fere verbis permulti alii. Ex syllabis aliæ breves sunt, aliæ longæ. Dionysius Halicarn. περὶ Συνθεσ. Ὀν. Sect. xv. p. 104. ed. Upton. Ἐκ δὴ τῶν γραμμάτων—αἱ καλούμεναι γίνονται συλλαβαί. Τούτων δέ εἰσι καὶ μακραὶ μὲν ὅσαι συνεστήκασιν ἐκ τῶν φωνηέντων τῶν μακρῶν, ἢ τῶν διχρόνων, ὅταν μακρῶς ἐκφέρηται, καὶ ὅσαι λήγουσιν εἰς μακρὸν ἢ μακρῶς λεγόμενον γράμμα, ἤτοι τῶν ἡμιφώνων καὶ ἀφώνων· βραχεῖαι δὲ, ὅσαι συνεστήκασιν ἐκ βραχέος φωνήεντος ἢ βραχέως λαμβανομένου, καὶ ὅσαι λήγουσιν εἰς ταῦτα. Μήκους δὲ καὶ βραχύτητος συλλαβῶν οὐ μία φύσις, ἀλλὰ καὶ μακρότεραί τινές εἰσι τῶν μακρῶν, καὶ βραχύτεραι τῶν βραχειῶν. Postrema hæc quæ docta subtilitate explicare pergit scriptor disertissimus, quum ad rem metricam addiscendam vix quidquam adjumenti conferant, latius persequi nolim. Consulatur tamen Gregorius de Dialectis cum Koënii nota p. 282. Adde Quintilianum IX. 4, 84. cum nota Gesneri et Santen. Addend. ad Terent. Maurum p. 406. Sextus Empiricus adversus Mathematicos I. 6. p. 242. Πᾶσα οὖν συλλαβὴ ἢ μακρά ἐστιν ἢ βραχεῖα. μακρὰ δὲ γίνεται, φασὶ, διχῶς, φύσει τε καὶ θέσει. φύσει μὲν τριχῶς· ἢ ὅταν ἔχῃ στοιχεῖον φύσει μακρὸν, ὡς ἐπὶ τῆς ΗΩΣ λέξεως· ἑκατέρα γὰρ τούτων τῶν συλλαβῶν ἐστὶ μακρὰ, διὰ τὸ τὴν μὲν τὸ Η τὴν δὲ τὸ Ω φύσει ἔχειν μακρόν· ἢ ὅταν ἐκ δυοῖν φωνηέντων συνεστήκῃ, ὡς ἐπὶ τῆς ΑΙΕΙ λέξεως· αἱ γὰρ δύο συλλαβαὶ μακραὶ, τῷ ἑκατέραν ἐκ δυοῖν φωνηέντων ὑπάρχειν· ἢ ὅταν κοινὸν ἔχῃ τὸ στοιχεῖον μακροτόνως παρειλημμένον, ὡς ἐπὶ τῆς ΑΡΗΣ· τὸ γὰρ Α δίχρονον νῦν μακροτόνως ἐκφέρεται. οὐκοῦν φύσει τριχῶς μηκύνεται συλλαβή· θέσει δὲ πενταχῶς· ἤτοι ὅταν εἰς σύμφωνα τῶν ἁπλῶν λήγῃ δύο, ἢ ὅταν ἡ μετ' αὐτὴν συλλαβὴ ἀπὸ συμφώνων δύο ἄρχηται, ἢ ὅταν εἰς σύμφωνον λήγῃ, καὶ ἀπὸ συμφώνου ἡ ἑξῆς ἄρχηται· ἢ ὅταν εἰς διπλοῦν λήγῃ στοιχεῖον, ἢ ὅταν μετ' αὐτὴν διπλοῦν ἐπιφέρηται. Diomedes loco citato: *Syllabarum modi sunt tam duo, natura et positione, quam tres qualitates. Aliæ enim breves, aliæ longæ, aliæ communes sunt. Breves sunt quæ correptam vocalem habent, et non desinunt in duas consonantes vel in aliquid quod sit pro duabus consonantibus.* Ubi ed. Med. habet, *vel*

*in aliud quod possit.* In brevi syllaba tempus unum est, in longa duo.

I. 3. p. 3. Κατὰ πέντε τρόπους] Syllabarum positione productarum plures commemorant species grammatici Latini; sed nimis fortasse curiose. Diomedes p. 423. *Positione longa fit syllaba modis septem. Primo, cum correpta vocalis in duas desinit consonantes, ut,*

Ēst in secessu longo locus.

*Altero, cum excipitur a duabus consonantibus, ut,*

Ā-crisioneis Danaë.

*Tertio, si desinat in consonantem, et excipiatur a consonante, ut,*

Ār-ma.

*Quarto, si desinat in duplicem literam, ut,*

Nōx erat.

*Quinto, si sequens a duplici incipiat, ut,*

Ā-xis.

*Sexto, si desinat in unam consonantem, et excipiatur a vocali loco consonantis posita* u *vel* i, *ut,*

Āt Venus. Āt Juno.

*Septimo, cum correpta vocalis desinat, et, interposita* i, *excipiatur a vocali, ut,*

Furias Ā-i-acis Oilei.

*et,*

Trō-i-aque nunc stares.

*et,*

Nate dea, nam te mā-i-oribus.

Confer Marium Victorinum p. 2471—2474. Valerium Probum p. 1431. Sosipatrum Charisium p. 3. aliosque.

I. 7. p. 5. Κοινὴ—συλλαβὴ] Diomedes p. 423. *Communium syllabarum modi sunt septem. Primus est, cum correpta vocalis excipitur a duabus consonantibus, quarum prior sit muta, sequens liquida. Brevis enim hic est,*

nostrosque ab rupe Cy̆clopas.

*et,*

Albanique pătres.

*Longa ibi,*

At genus e sylvis Cy̆clopum e montibus

*et,*

Perpetuis soliti pātres considere mensis.

*syllaba enim, quæ sine hac observatione poterat esse positione longa, brevis efficitur.* F *quoque littera, si præposita fuerit liquidæ, quamvis semivocalis sit, mutæ tamen obtinens locum, brevem facit quæ positione fieri longa poterat, ut est,*

ore fremebant.

*et,*

Taliă flammato.

*Secundus est, cum locum brevis longa occupat syllaba, per productam vocalem vel diphthongum, finita parte orationis, nec ulla interposita consonante, ut est,*

Te Corydon ŏ Alexi.

*et,*

Insulæ Ionio in magno.

*ut est Homericus ille,*

οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ ὁπότε Κρήτηθεν ἵκοιτο.
βούλετᾰι ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.

*Tertius, cum in fine partis orationis, versa vice, longa ponitur vocalis correpta, una interposita consonante, ut,*

Emicat Euryalūs, et munere lætus amici.

*Item,*

Ostentans artem paritēr, arcumque sonantem.

*et,*

Omnia vincit amōr, et nos cedamus amori.

*et ut est apud Homerum,*

Νέστορα δ' οὐκ ἔλαθεν ἰαχή—.

*Quartus, cum correptam vocalem duæ consonantes sequuntur, quarum prior est* s *littera, quæ syllabæ ratione communis, velut sibilus posita, vim consonantis amittit. Interdum enim liquidarum mutat legem: siquidem illæ subjunctæ mutis utramque potestatem possident, hæc vero plurimum sibi defendit. Non enim solum subjungitur, verum etiam contraria præposita loco liquidæ fungitur, ut est,*

Ponitĕ spes sibi quisque.

*et apud Lucilium,*

Infantibŭs parvis.

*sicut et Homericus versus ille testatur,*

ἦ μὲν δὴ μάλα [a]πολλᾶς μάχας εἰσήλυθον ἀνδρῶν.

[a] πολλάς] Il. β'. 798. ubi libri meliores habent πολλά: nonnulli tamen, nominatim Edit. Flor. MS. Lips. et duo Vratislavienses, πολλάς. Diomedes Heynii diligentiam elusit.

*Quintus est, cum correptam vocalem suscipit* [b] Z *duplex, quæ quum positione longam possit efficere, vim plerumque duplicis consonantis amittit, ut,*

nemorosă Zacynthus.

*Sed hic modus non tam ratione syllabæ communis admissus est, quam nominis necessitate susceptus, ut est* [c],

ὑλήεσσᾰ Ζάκυνθος.

*et,*

οἱ δὲ Ζέλειαν ἔναιον.

*Sextus est, cum pronomina, hic vel hoc,* c *litera terminata, vocalis statim subsequitur, quando in his pronominibus* c *litera crassum et quasi geminatum continet sonum, ut,*

Hic vir, hĭc est, tibi quem promitti sæpius audis.

*est enim in hoc tam prima syllaba longa, quam tertia brevis. Septimus est, cum correpta vocalis in unam desinit consonantem, sequente* h, *quæ plerisque aspirationis nota videtur, ut,*

Terga fatigamŭs hasta.

*Item,*

Æneān hominum quisquam.

*Sed modus superior quibusdam superfluus visus est, præcipue autem hic, quoniam sufficit finitam esse partem orationis. Ex his omnibus modis uno duntaxat uti admittunt qui metrorum rationum sunt admodum perspicaces.* His similia vide apud grammaticos modo citatos. De litteræ S inceptivæ potestate vide infra ad Terent. Maur. v. 1059.

De communi syllaba sic Eustathius ad Il. δ'. p. 480=366,30. Ἐν δὲ τῷ, ΥΙΕ ΠΕΤΕΩΟ, ἐκτείνεται ἡ λήγουσα τῆς κλητικῆς, ὡς καὶ ἑτέρωθι δηλοῦται λόγῳ κοινῆς συλλαβῆς. (cf. Il. α'. p. 80, 1 = 61, 1.) διά τε τὴν προηγουμένην δασεῖαν, καὶ διὰ τὴν ἐπικειμένην ὀξεῖαν, καὶ διὰ τὴν τῆς λέξεως καταπεραίωσιν, καὶ διὰ τὸ δύνασθαι διπλασιάζεσθαι τὸ ἐπαγόμενον ἄφωνον. ζ'. p. 625=478,43. Ὅρα δὲ ἐν τῷ ΠΑΡΕΙΠΩΝ, ἐκτεταμένην οὐκ ἀναλόγως τὴν τῆς προθέσεως παραλήγουσαν. οὕτω δ' εὐθὺς ἐφεξῆς καὶ τῆς ΑΠΟ προθέσεως ἐκτείνεται ἡ λήγουσα ἐν τῷ, Ο Δ' ΑΠΟ ΕΘΕΝ ΩΣΑΤΟ

[b] Z duplex] Franzius in Elem. Epigraph. Gr. p. 19. hæc habet: "Litera Z natura sua simplex est. "Unde ap. Hom. οἱ δὲ Ζάκυνθον "ἔναιον et ἄστυ Ζελείης. Recteque "Schol. ap. Bekk. Anecd. II. p. 815, "29. εἰ καὶ συγχωροῦμεν αὐτὰ δύνα-"μιν ἔχειν δύο συμφώνων, ἐπειδὴ οἱ "Αἰολεῖς κατὰ τὴν προφορὰν τοῦ ζυ-"γὸς σδυγὸς γράφουσι—ἀλλὰ ὅμως "οὐ δεῖ τὰ κατὰ διάλεκτον ἰδιάζοντα "εἰς κοινὸν παραλαμβάνειν. cf. Welck. "Syll. n. 51."

[c] Vide Dawes. Misc. Crit. p. 89.

ΧΕΙΡΙ. Τινὲς δὲ θεραπεύοντες αὐτὸ μεταγράφουσιν ΑΠΑΙ ΕΘΕΝ, καὶ οὕτω τὸ μέτρον ἀναπληροῦσιν. Οἱ μέντοι ἀκριβέστεροι ἐκτείνουσιν ὡς ἐρρέθη τὸ Ο ἐνταῦθα τῆς προθέσεως διαφόροις λόγοις τῆς κοινῆς συλλαβῆς· μέρους τε γὰρ λόγου καταπεραίωσίς ἐστι, καὶ δασεῖα καὶ ὀξεῖα τοῦ ΕΘΕΝ ἐπιφέρονται, δυνάμεναι τὴν λήγουσαν ἐκτείνειν τῆς προθέσεως, ὡς οἱ γραμματικοὶ δεικνύουσιν ἐν τῷ περὶ κοινῆς συλλαβῆς. cf. p. 641, 28=500, ult. 654, 47=519, 15. Od. γ'. p. 1465, init.=123, 44. κ'. p. 1665=407, 19. Ἰστέον δὲ ὅτι ἐν τῷ, ΟΥΤΕ ΠΟΙΗΤΑΩΝ, ὃ ἀνωτέρω ἐγράφη, ὡς βραχεῖα ἐλήφθη ἡ ἄρχουσα, λόγῳ κοινῆς συλλαβῆς. Οὕτω δὲ καὶ ἐν τῷ,

Ἴστρος τοιαύτας παρθένους μνηστεύεται[d],

ἡ δευτέρα χώρα βραχεῖαν ἔχει τὴν κατάρχουσαν λέξιν. cf. etiam Od. ρ'. p. 1818, 33=628, 41. Diphthongum οι in ποιεῖν etc.[e] οἷος, τοιοῦτος, sæpe corripi monuit Brunckius ad Aristoph. Lysist. 128. Similiter de αι dicendum. Sic δείλαιος apud Aristoph. Vesp. 165. Eubul. Athenæi XIII. p. 559 C. Eurip. Phœniss. 1302. vide Porsonum ad 1319. γεραιὸς in nota Hermanni ad Euripidis Hecub. 64. ἔμπαιος Eustath. ad Od. υ'. p. 1896, 43 =741, 6. ἱκταῖον Æschyl. Suppl. 381, ubi vide Burneium. Φιλαθήναιος Aristoph. Vesp. 283. Ἀθηναίαις habet Pherecrates Suid. v. Ἀθηναίας. ἀνταίαν Sophocl. Antig. 1307. Πειραιῶς Alexis Athenæi XIII. p. 562 A. Comicum incertum apud Dion. Chrysost. Or. 64. p. 596. post Valckenaerii ad Euripidis Hippol. 210. Callimach. p. 24. conamina sequentem in modum persanavit Porsonus in autographo penes me: paullo aliter in Miscell. p. 230.

Δέσποιν' ἁπασῶν, πότνι' Ἀθηναίων πόλις,
ὡς καὶ καλὸν του φαίνεται τὸ νεώριον·
καλός γ' ὁ παρθενών· καλὸς δ' ὁ Πειραιεύς·
ἄλση δὲ τίς πω τοιάδ' ἔσχ' ἄλλη πόλις;
καὶ τοὐρανοῦ γ', ὡς φασὶν, ἐστὶν ἐν καλῷ.

Versus tertii dimidium καλός γ' ὁ παρθενὼν servavit Diogenes Laërtius VII. 6. Alia collegit Meinekius Fragm. Com. T. III. p. 580. In Euripidis Electra 500. per metrum stare potest

[d] Notanda diversa loci Æschylei lectio. Voces Οἶστρος et Ἴστρος permutantur Eurip. Iphig. Taur. 395.

[e] Fallitur autem Brunckius de v. ποῖον Equit. 33. quem locum tacite emendavit Porsonus ad Hec. 794. Βρέτας; τὸ ποῖον ἐτεόν; ἡγεῖ γὰρ θεούς; Reisigius apud Herman. El. D. M. p. 129. ποῖον βρέτας θεῶν; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεούς; Harum emendationum neutra arridet Dobræo, neque Elmsleio ad Eurip. Bacch. 1325.

παλαιὸν, quamquam ibi malim cum Scaligero et Piersono πολιόν. De diphthongo ει numquam apud poëtas Atticos ante vocalem correpta vide Valckenaerium ad Phœn. 1475. et consule Etymolog. M. p. 462. in v. Θυσία.

P. 11, 16. Δεύτερος τρόπος] Exempla Clarkio ad Homeri Il. β'. 537. prolata partim non huc spectant, partim mendosa sunt. Homerica verba Αἰγυπτίας, Ἠλεκτρύωνος, Ἱστιαίαν, intacta prætereo. In Theocrito IV. 52. legendum erat fortasse, certe pronunciandum,

ταὶ 'τρακτυλλίδες ἐντί· κακῶς ἁ πόρτις ὄλοιτο.

In Euripide ματεύων, numquam μαστεύων scribendum esse nemo ignorat. Vide Marklandum ad Euripidis Suppl. 87. 984. Qui ex Æschylo et Euripide citantur versus ἀμπλακήματα ἀμπλακὼν prima brevi exhibentes, eos jamdudum emendarunt viri docti:

Eumenid. 932. τὰ γὰρ ἐκ προτέρων ἀπλακήματά νιν.
Alcest. 245. ὅστις ἀρίστης ἀπλακὼν ἀλόχου.
Iphig. Aul. 124. καὶ πῶς Ἀχιλεὺς λέκτρων ἀπλακών.

Alia est Clarkii regula ad Il. α'. 51. "Syllaba natura brevis, "in *vocalem brevem* desinens, sequentibus in *eadem* voce *consonantibus duabus*, ut τέ-κνου, φιλότε-κνος, ἄτε-κνος, (quæ in "*oratione soluta*, ut ex scriptorum tragicorum et comicorum "*iambis* constat, semper corripitur,) in heroico carmine, propter "*positionem* istam, (sicuti in Latinis vocabulis *tenebræ*, *volucris*, "et similibus) produci potest." Huc referendi etiam Dawesii canones, Miscell. Crit. p. 196. I. "Vocalis brevis ante vel "tenues, quas vocant, consonantes π, κ, τ, vel adspiratas φ, χ, θ, "sequente quavis liquida, uti et ante medias β, γ, δ, sequente "ρ, syllabam brevem perpetuo claudit." Sed hanc regulam tragici sæpe violant. Porsonus ad Euripid. Orest. 64. "Quan-"quam sæpe syllabas natura breves positione producunt tra-"gici, longe libentius corripiunt, adeo ut tria propemodum "exempla correptarum invenias, ubi unum modo exstet pro-"ductarum. Sed hoc genus licentiæ in verbis scilicet non "compositis, qualia τέκνον, πατρὸς, ceteris longe frequentius "est. Rarius multo syllaba producitur in verbo composito, "si in ipsam juncturam cadit, ut in πολύχρυσος Andr. 2. "Eadem parsimonia in augmentis producendis utuntur, ut in "ἐπέκλωσεν Orest. 12. κεκλῆσθαι Soph. Elect. 366. Rarior

" adhuc licentia est ubi præpositio verbo jungitur, ut in *ἀπότροποι* Phœn. 595 (600). Sed ubi verbum in brevem vocalem desinit, eamque duæ consonantes excipiunt, quæ brevem manere patiantur, vix credo exempla indubiæ fidei inveniri posse, in quibus syllaba ista producatur." II. "Vocalis brevis ante consonantes medias *β, γ, δ*, sequente quavis liquida præter unicam *ρ*, syllabam brevem nunquam terminat, sed sequentium consonarum ope longam semper constituit." De quo audi Porsonum ad Euripidis Hecubam 298. "Dawesius canonem paullo temerius, ut solet, statuit, nullam syllabam a poëta scenico corripi posse, in qua concurrant consonantes *βλ, γλ, γμ, γν, δμ, δν*. Hæc regula plerumque vera, nonnumquam ab [f] Æschylo, Sophocle, Aristophane violatur, ab Euripide, credo, nunquam. In Med. 1252, si tamen sanus est, choricæ licentiæ concedendum *ἔβλαστεν*. Troad. 1261. *ἐλπίδας ἔν σοι κατέγναψε βίον*, lege *κατέκναψε*. Electr. 1021. corruptum credo."[g]

Quod Noster mox affirmat, vocalem scilicet consonantibus *μν* præpositam nonnunquam corripi, quodque idoneis auctoritatibus comprobat, minime debuerat Toupium movisse ut in Euripid. Bacch. 1134, corrigeret, *ἡ δ' ἴχνος αὐταῖς ἀρβύλαις·* ΕΓΥΜΝΟΥΝΤΟ ΔΕ *Πλευραὶ σπαραγμοῖς*. Veram haud dubie hujus loci emendationem protulit, sed tacite, Porsonus ad Euripidis Hec. 1042. ΓΥΜΝΟΥΣΙ ΔΕ ΠΛΕΥΡΑ *σπαραγμοῖς*. Neque debuerat Brunckius ad Sophocl. Aj. 1077. statuisse, "Nuspiam apud Atticos scenæ poëtas vocalis ante litteras *κτ*, [h] *πτ*, ΜΝ, *σκ, σμ*, corripitur, ne quidem in diversis vocibus, sed vocalis brevis ante illas literas semper producitur, ut in hoc Euripidis senario, Med. 1046. *λυποῦσαν, αὐτὴν δὶς τόσᾱ κτᾶσθαι κακά.* Vide Aj. 1360. Antig. 204. Rata est hæc

[f] Sic Æsch. Suppl. 768. *εἶναι βύβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ σταχύν.* Ag. 1638. *Ὀρφεῖ δὲ γλῶσσαν.* Xantriis ap. Photium v. *Ὀκτώπουν—Κέντημα γλώσσης.* Soph. Phil. 1311. *ἐξ ἧς ἔβλαστες.* Œd. Tyr. 717. *παιδὸς δὲ βλαστὰς.* Electr. 440. *πασῶν ἔβλαστε.*

[g] Constat poëtas tragicos non nunquam vocales ante consonas *βλ* et *γλ* corripuisse. Nunquam id fecit Aristophanes neque alius quisquam antiquæ poëta comœdiæ. Quæ enim contra afferri possunt corrupta sunt omnia.——Contra certissimis exemplis firmata est ista correptio apud mediæ novæque poëtas comœdiæ. MEINEK. Hist. Crit. Poët. Com. p. 294, ubi plura vide.

[h] Ante *πτ* corripit poëta apud Platon. Phædr. p. 252. *ἀθάνατοι δὲ πτέρωτα.*

" prosodiæ lex, a qua discessionem numquam fieri licuisse " ostendunt cum alii, tum Marklandus ad Suppl. 646. 984. " Succurrit tamen Euripidis senarius, qui virum doctissimum " fugit, in quo si nihil a librariis peccatum, culpam ipse poëta " commeruit. Sed exemplum unicum est, quo lex non labe-" factatur. Versus est in Ione 1198. *οἰνηρὰ σκεύη μικρὰ, μέ-" γαλα δ' εἰσφέρειν.* Verum est, quod ait Marklandus, ab " Homeri versibus hexametris ad tragicorum senarios argu-" mentum metricum non recte transferri. Nam vitium hujus " senarii frustra defenderetur exemplo Hesiodi, qui hanc li-" centiam sumere potuit in hoc Operum versu: *εἴη πετραίη τε " σκιὴ, καὶ βίβλινος οἶνος.*" Tragicos aliquando vocalem ante *μν* corripere contra Brunckium ostendit Porsonus in Append. ad Toupium T. IV. p. 442. prolatis ex Euripide duobus locis, Iph. Aul. 68. *δίδωσ' ἑλέσθαι θυγατρὶ μνηστήρων ἕνα.* et 852. *ἀλλ' ἦ πέπονθα δεινᾰ· μνηστεύω γάμους.* In Æschyli Ag. 1108. antepenultima vocis *ὁμοδέμνιον* corripitur. Dixit etiam Euripides Bacch. 73. *ἀεὶ Διόνυσον ὑμνήσω,* in versu Ionico *a* minori. Non dissimulandum est Elmsleium negare priorem syllabam v. *ὑμνήσω* corripi, quem tamen falli ostendit Hermannus. Addit Hermannus Elem. D. M. p. 46. Æschyl. Ag. 999. *Τὸν δ' ἄνευ λύρας ὅμως ὑμνῳδεῖ.* In Soph. Trach. 1136. libri præbent *ἅπαν τὸ χρῆμ' ἥμαρτε, χρηστᾰ μνωμένη,* ubi tamen Heathio reponenti *μωμένη* viri docti adstipulantur.

Quod ad consonantes reliquas attinet, vera est fortasse Brunckii observatio; exceptiones saltem apud scriptorum veterum reliquias inveniuntur paucissimæ. Toupio Emendat. T. I. p. 414. lectionem Suidæ in versu Eupolidis defendenti,

*αὕτη νεανισκεύοντος ἐπεθύμησέ μου,*

breviter respondet Porsonus in appendice ex Photio citans, quod antea conjecerat Hotchkisius, *νεανισκοῦντος.* In Æschylo apud Strabonem IV. p. 278 = 252. Oxon. legitur,

*νεφέλην δ' ὑποσχὼν νιφάδι στρογγύλων πέτρων.*

ubi MSS. optimorum auctoritate *γογγύλων* reponit Gronovius. Et hæ voces alibi permutantur, veluti in Sophoclis fr. inc. XL. (462 b) Athen. II. p. 51 D. Eustath. Il. p. 835, 9 = 769, 5. necnon in Platone Cratyl. p. 427 C. Vide Porsoni Miscell. p. 212. In Euripidis Ione 1198. *οἰνηρὰ τεύχη* emendavit Porsonus. In Sophoclis Trachin. 292. Erfurdtius Toupii conjecturam adoptat

τὰ δὲ πεπυσμένη, et sic ed. Dindorf. Sed in Electra 21. haud dubito quin rem acu tetigerit Hotchkisius noster,

ὡς ἐνταῦθ', ἵνα
Οὐκ ἔστιν ὀκνεῖν καιρὸς, ἀλλ' ἔργων ἀκμή.

cui correctioni favere quodammodo videtur codex MS. olim D'Orvillianus[1]. In Diphilo Athenæi IV. p. 236 C. vulgatur

ἐὰν | δὲ πλάγι|ος καὶ | λέπτος εὐθ|έως | νοῶ,

ubi miror Schweighæuserum ne memorasse quidem facilem Grotii correctionem ἂν δὲ πλάγιος. Versus Alexidis Athen. IV. p. 164 C. Χοιρίλος, Ὅμηρος, Ἐπίχᾰρμος συγγράμματα, non offendit Bentleium Dissert. Phal. p. 125 = 89. qui tamen facili transpositione sublevandus videtur; Ἐπίχαρμος, Ὅμηρος, Χοιρίλος. Meinekius edidit ex em. Hermanni, Χοιρίλος, Ὅμηρος, ἔστ' Ἐπίχαρμος, γράμματα. In Philostephano Athenæi VII. p. 293 A. sine controversia reponendum Θίβρωνα, ut ex Sopatro ibid. VI. p. 230 F. cuivis patebit. Lege omnino Sylburgium ad Aristotelis Polit. VII. 14. et Wesselingium ad Diodorum Sic. XIV. 36. Adde Isocrat. Paneg. p. 70 D. secundum MS. Urb. Photius: Θιβρώνιον νόμισμα ἀπὸ Θίβρωνος τοῦ χαράξαντος εἰρῆσθαι. Pherecrates Athenæi VI. p. 269 A. παρῆν δὲ χόνδρος γάλακτι καταvενιμμένος, ubi Dindorfius: "Sic etiam Pollux. "Vitium metricum tollas licet transpositione χόνδρος δὲ παρῆν: "quæ tamen non vera correctio est; nam vitium in γάλακτι "latet, cujus alia præter usitatam forma extitisse videtur. "Eodem modo γαλακτοθρέμμονα Antiphanis X. p. 449 B." qui in fr. Aristoph. n. 624. reponit γάλατι et γαλατοθρέμμονα. Antiphanis locum ibid. XI. p. 503 B.

παραθέμενος ψυκτῆρα τ' οἴνου μεθύσκεται,

parum integrum esse nemo hodie diffitebitur. Toupio Addend. Theocrit. XXI. 26. breviter respondet Porsonus ad Euripid. Med. 284. Cetera loca quantillum ponderis habeant cuivis diligentius inspicienti statim apparebit.

[1] Nunc in Bibl. Bodl. X 1. 3, 14. signatus. Locum glossis sic suprascriptum exhibet;

ὅπου ὑπάρχει ὑπάρχομεν
ἐνταῦθ' ἐσμὲν
ἵν' οὐκετ' ὀκνεῖς (sic)

Dindorfius: "Proxime ad verum accessit Hotchkisii correctio, quam per-"fecit Hermannus in annotatione, οὐκ ἔστ' ἔτ' ὀκνεῖν καιρός." Bentleium Epist. ad Hemsterhus. p. 96. in versu Æschyli laudantem Λινᾶ δὲ σπεῖρα valde miror.

p. 17, 7. Τρίτος—τρόπος] De productionibus ob ictum metricum sive arsin, ob thesin, et [k]ob cæsuram multi multa. Vide præcipue Hermannum cum alibi, [l]tum in Libro de Metris I. c. 21. p. 67. Bene autem observat vir idem doctissimus p. 66. "Hæc quidem omnia, quæ de productionibus ob metrum "diximus, non in omnibus versuum generibus, sed maxime in "hexametro heroico et aliis quibusdam carminibus locum ha- "bent." Quod vero ad vocem [m]ἀθάνατος spectat, cujus primam nunquam in versibus iambicis produci, Brunckio auctore, affirmat, id strenue negat Porsonus ad Euripid. Med. 139. n. I. Nescio an epicos solum poëtas ob oculos habuerit Strabo IX. p. 642=608. Oxon. quum hæc scriberet: Πρώτην δὲ Φημονόην φασὶ γενέσθαι Πυθίαν· κεκλῆσθαι δὲ καὶ τὴν προφῆτιν οὕτω, καὶ τὴν πόλιν ἀπὸ τοῦ πυθέσθαι· ἐκτετάσθαι δὲ τὴν πρώτην συλλαβὴν, ὡς ἐπὶ τοῦ ἀθανάτου, καὶ ἀκαμάτου, καὶ διακόνου. Sed hoc utcunque sit, eadem est vocis [n]ἰσόθεος ratio: vide Porsonum ad Euripid. Orest. 9. Æschyl. Pers. 80. 858. Soph. Ant. 837. Minime autem h. l. silentio praetereunda est litteræ ρ inceptivæ potestas, apud poëtas alios tum præsertim Atticos finalem vocis antecedentis brevem producentis; [o] de qua egere D'Orvillius Crit. Vann. p. 334. Dawesius Miscell. Crit. p. 160. Marklandus ad Suppl. 94. Toupius Emend. T. I. p. 300. Brunckius ad Euripid. Orest. 857. Aristoph. Plut. 1065. Addas Sophocl. Scyr. Fr. IV. ex Stobæo Grot. p. 225. λέπτης ἐπῑ ῥοπῆσιν ἐμπολὰς μακράς. Aristoph. Ran. 1091. μεγάλων γνώμων καὶ διανοιῶν ἴσα καὶ τᾱ ῥήματα τίκτειν. Sic enim MS. Barocc. 127. Antiphanes Athenæi X. p. 449 A. τοῦτ' ἔστιν· ἦν θ' ὁ γρῖφος ἐνταῦθᾱ ῥέπων. Epigenes ejusdem XI. p. 469 C. ψυκτῆρα, κύαθον, κύμβιᾱ, ῥυτὰ τέτταρα. Euripides Erectheo apud Lycurgum in Leocrat. p. 205. ὡς θεῶν τε

[k] ob cæsuram] Multa hanc in rem congessit Spitzner. in Libro *de versu Græcorum heroico* Lips. 1816. p. 14. seqq.

[l] Adde quæ de hac re disseruit Hermannus Elem. Doct. Metr. I. 10, 3 seqq.

[m] Vid. Elmsleium Auctar. Annot. Aristoph. Acharn. 47. p. 115. ubi pro *corripit* leg. *producit*. Adde Herman. ad Æsch. Ag. 1498.

[n] ἰσόθεος] De quantitate vv. ἴσος, ἰσόθεος, ἰσοδαίμων, ἰσόνομος, et similium nuper præclare disseruit Cobetus in Variis Lectionibus Leidæ editis 1854. p. 394 et seq.

[o] Correptæ vocalis ante literam ρ nullum certum apud vetustissimos comicos exemplum reperio.—MEINEKE Hist. Com. p. 70. Vid. ad Pherecr. fr. p. 303.

*βωμοὺς, πατρίδα τε ῥυώμεθα.* Eupolis Pollucis IX. 58. *νῦν δὲ ῥύπου γε δύο τάλαντα ῥᾳδίως.* Paucissima tali positione correptæ vocalis reperiuntur exempla. Æschyl. Prom. 711. *χρίμπτουσᾰ ῥαχίαισιν ἐκπερᾶν χθόνα.* 991. *πρὸς ταῦτᾰ ῥιπτέσθω μὲν αἰθαλοῦσσα φλόξ.* Sophocl. O. T. 72. *τήνδε ῥυσαίμην πόλιν.* ubi nonnulli corrigunt *λυσαίμην.* Sic in Æschyli Prom. 243. *ἐξελυσάμην* Robortellus pro vulg. *ἐξερυσάμην.* Sophocl. Œd. T. 1289. *οὐδὲ ῥητά μοι.* Euripid. Bacch. 59. *τύμπανᾰ Ῥέας τε μητρός.* ubi rectius fortasse legeris *τύπανα,* quæ forma necessario redonanda Æschylo Strabonis p. 471. ed. Paris. Helen. 1129. *δς ἔδραμε ῥόθια,* cui in Antist. respondet *ὅτ' ἔσυτο πατρίδος.* et 1140. *ἀμφὶ ῥυτάν.* Sed leg. *ἀμφιρύταν* ut Soph. Aj. 134. Sed in chori cantibus fortasse major licentia. Pherecrates Athenæi VI. p. 269 B. *ἠβυλλιῶσαι καὶ τᾰ ῥόδα κεκαρμέναι.* Simylus Stobæi Flor. p. 231. ed. Grot. *κριτὴν, τὸ ῥηθὲν δυνάμενον συναρπάσαι.* ubi forsan quis malit *λεχθέν.* Simonides inter Gnomicos Brunckii p. 99. *οὐδὲ ῥίγιον κακῆς.* Sed in carmine *περὶ γυναικῶν,* v. 63. *λοῦται δὲ πάσης ἡμέρης ἀπὸ ῥύπου.* Plura Monkius ad Eurip. Hipp. 461.

Diphthongos *αι* et *οι* nonnunquam ante consonantem corripi existimarunt viri primarii Salmasius ad Aram Dosiadæ p. 242. et Casaubonus Lect. Theocrit. c. xviii. quos plene et certissime refutat Bentleius in nota ad Callimachi Hymn. in Jovem v. 87. T. II. p. 5. ed. Ernesti.

## CAP. II.

### *De Synizesi.*

p. 18. Non sine fructu hic legentur quæ de *συνιζήσει* sive *συνεκφωνήσει* collegit Eustathius ad Il. α'. p. 11, 21=9, 22. *Ὅτι τὸ* ΠΗΛΗΙΑΔΕΩ ΑΧΙΛΗΟΣ *οὐ φυσικῶς ἔχει τοῦ ἡρωϊκοῦ μέτρου τοῦ ἐκ δακτύλων καὶ σπονδείων συγκειμένου, ἀλλὰ πάθος ἴσχει ὃ λέγεται συνίζησις. Αἱ γὰρ τέσσαρες συλλαβαὶ αἱ μετὰ τοὺς τέσσαρας πόδας, ἤγουν τὸ* ΔΕ, *καὶ τὸ* Ω, *καὶ τὸ* Α, *καὶ τὸ* ΧΙ, *εἰς δάκτυλον καταλογίζονται, τοῦ* ΔΕ *καὶ τοῦ* Ω *λαμβανομένων ἀντὶ μιᾶς μακρᾶς. Κατὰ δέ τινας ἡ μετὰ τοὺς πρώτους τρεῖς πόδας τετρασυλλαβία, τὸ* ΛΗΙΑΔΕ, *δακτυλικῶς ποδίζεται, ὡς τοῦ* Ι *καὶ τοῦ* Α *καταλογιζομένων ἀντὶ βραχείας μιᾶς. Λέγεται δὲ τὸ πάθος συνίζησις, καθά που καὶ ἡ συναίρεσις παρὰ Ἡρωδιανῷ, κατὰ μίμησιν τῶν συνιζανόντων καὶ συμπιπτόντων σωμάτων, καὶ πυκνουμένων ἐξ

ἀραιότητος, καὶ ἐκ πλείονος κατεχόντων ὀλιγώτερον τόπον κατὰ συμπίλησίν τινα, ὃ δὴ καὶ ἐπὶ σεισμῶν ποτε γίνεται. Καὶ γὰρ καὶ ἐνταῦθα ὁ καταλογισμὸς τῶν δύο συλλαβῶν εἰς μίαν συλλαβὴν δοκεῖ ποιῆσαι αὐτὰς συνιζῆσαι καὶ οἷον κατασμικρυνθῆναι καὶ στενοχωρηθῆναι ἐκ πλατυσμοῦ εἰς στενότητα. Τὸ δὲ αὐτὸ καὶ συνεκφώνησις λέγεται, διότι τὰ τῶν δύο λέξεων φωνήεντα ἐν τῷ μετρεῖσθαι νοοῦνται οὐκ ἔτι ὡς δύο, ἀλλ' ὥσπερ ἐὰν τῇ φωνῇ τοῦ ἑνὸς συνανεκράθη καὶ ἡ τοῦ ἑτέρου, καὶ ὡς ἕν τι ἄμφω συνεξεφωνήθησαν. Et paullo post, συνεκφώνησις ἤτοι συνίζησίς ἐστιν, ὅταν δύο συλλαβαὶ σύμφωνον μεταξὺ μὴ ἔχουσαι ἀντὶ μιᾶς παραληφθῶσι. Διὸ καὶ εὖ εἴρηται ὅτι τὸ συνεκφωνούμενον τὰς δύο συλλαβὰς μίαν ἐν τῷ μέτρῳ ποιεῖ. Καὶ ὅτι πολλαχῶς ἡ συνίζησις, ἤγουν συνεκφώνησις, γίγνεται, διέλαβον οἱ τῆς γραμματικῆς ἐξηγηταί. Ἢ γὰρ δύο φωνήεντα χρόνου ὁμοίου ἀντὶ ἑνὸς παραλαμβάνονται, οἷον, δύο μακρὰ ἀντὶ μιᾶς μακρᾶς συλλαβῆς, καὶ δύο βραχέα πάλιν ἀντὶ μιᾶς μακρᾶς, ἢ καὶ ἀντὶ μιᾶς βραχείας· ἢ δύο ἀνόμοια, οἷον, μακρὸν καὶ βραχὺ, ἀντὶ ἑνός. Καὶ κοινὴ δέ ποτε συλλαβὴ, ἵνα μὴ πλείω λέγωμεν, μετὰ ἑτέρου φωνήεντος συνίζησιν ποιεῖ, ὡς καὶ ἐνταῦθα ἐν τῷ ΠΗΛΗΙΑΔΕΩ, τὸ Ω οὔτε μακρὸν ἀναντιρρήτως ἐστὶν, ἀλλ' οὐδὲ μὴν βραχὺ, κοινὴν δὲ συλλαβὴν αὐτό φασιν οἱ γραμματικοὶ, ὅπερ συνεκφωνηθὲν καὶ συνιζῆσαν τῷ πρὸ αὐτοῦ βραχεῖ φωνήεντι ἐλογίσθη σὺν ἐκείνῳ ἀντὶ μιᾶς μακρᾶς. Παραδείγματα δὲ τῶν εἰρημένων τρόπων τῆς συνιζήσεως μυρία χορηγοῦσιν οἱ ποιηταί· μόνου δὲ τοῦ τὰς δύο βραχείας ἀντὶ μιᾶς νοεῖσθαι ὀλίγα εἰσὶ τὰ παραδείγματα. Προφέρεται γοῦν ἓν μὲν τοῦ Σωτάδα ἐν τῷ,

σείων μελίην Πηλιάδα δεξιὸν κατ' ὦμον,

ὃ καὶ παρὰ τῷ Ἑρμογένει [περὶ Ἰδ. p. 229. Walz.] κεῖται. Τὸ γὰρ ΛΙ καὶ τὸ Α, ὡς μία λογίζονται βραχεῖα συλλαβὴ πρὸς ἀπαρτισμὸν ποδὸς τοῦ ἀπὸ μείζονος ἰωνικοῦ. Ἕτερον δὲ παράδειγμα ὅμοιον ἐκ Πραξίλλης, ἐν τῷ,

ἀλλὰ τέον οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθον.

τὸ γὰρ ΤΕ καὶ τὸ ΟΝ, δύο αὗται βραχεῖαι συλλαβαὶ, ἀντὶ μιᾶς βραχείας ἐλήφθησαν. Εἰ δὲ καλῶς ἐπόδισάν τινες καὶ τὸ ΛΗΙΑΔΕ ὡς προείρηται, ἰδοὺ καὶ τοῦτο τέως τρίτον παράδειγμα. Τοιαῦτα δὲ παρ' Ὁμήρῳ, καὶ τὸ,

ἀστέρι ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον,

καὶ τὸ,

χαῖρε δὲ τῷ ὄρνιθι Ὀδυσεύς.

δῆλον δὲ καὶ ὅτι ἡ κατὰ κοινὴν συλλαβὴν συνίζησις ἢ μακρά ἐστιν, ὡς ἐν τῷ, ΔΕΩ ΑΧΙΛΗΟΣ, ἢ συνέσταλται ὡς ἐν τῷ, ΧΡΥΣΕΩΙ ΑΝΑ ΣΚΗΠΤΡΩΙ, καὶ, ΔΕΝΔΡΕΩΙ ΕΦΕΖΟΜΕΝΟΙ. Confer p. 25, 21=19, 29. 52, 8=39, 17. Il. ε΄. p. 514, 19=389, 16. κ΄. p. 805, 20=725, 4. ω΄. 1372, 7=1513, 22. Od. κ΄. p. 1655 =393, 1. Vide Spitzner. Excurs. Homer. VII. T. I. p. xvi. Marius Victorinus p. 2509=88. *Observanda præcipue in metris litterarum vocalium inter se collisio, quæ trifariam evenit, id est, per συναλοιφὴν, ἔκθλιψιν, συνεκφώνησιν, vel συναίρεσιν, quarum inter se differentia talis est. Nam συναλοιφὴ est cum inter duas loquelas duarum vocalium concursus alteram elidit; id est, cum duæ partes orationis ita coëunt, ut altera in vocalem desinat, et altera incipiat a vocali, ut,* Hic hasta Æneæ stabat, *Item,* Priamique evertere gentem. *Nec tamen putaveris quamlibet e duabus eximi posse. Illa enim quæ supervenit priorem semper excludit, non prior sequentem.* Ἔκθλιψις *autem, vel* ἔκτριψις, *fit, cum duæ inter se dictiones dure concurrentes aliquam pluresve vocalium cum consonanti duntaxat exprimunt, ut,* Multum ille et terris jactatus et alto. *Item,* Circumdat nequicquam humeris, et inutile ferrum. Συνεκφώνησις *vero, cum duæ vocales in unam syllabam coguntur, quæ possunt duarum syllabarum locum divisæ complere, nulla dumtaxat interposita consonante: cum* Phaethon *in metro sic enuntiatur ut ex trisyllabo nomine disyllabon faciat, ita,*

Cum te flagranti dejecit fulmine Phæthon.

*Et illud Maronis,*

Villis onerosum atque unguibus aureis.——

*Quidam superioribus tribus quartam speciem addiderunt, quam Græci dicunt* κρᾶσιν, *id est, cum unius litteræ vocalis in duas syllabas fit communio, ut*

Audire est operæ pretium procedere recte.

*Item,*

Quæcumque est fortuna mea est.

*Quæ veluti per contrarium* συνεκφώνησιν *in metris imitatur.*

Harum [p] συνιζήσεων, συναλοιφῶν, κράσεων nonnullas amplec-

[p] συνιζήσει] De synizesi in versu Homerico disseruit Spitznerus p. 179 seqq. De crasi docta est disputatio Ahrensii Stolberg. 1845. 4°. quam, quia in manibus paucorum apud nostrates versatur, Appendicis loco infra imprimendam curabo.

tuntur poëtæ scenici, nonnullas vero rejiciunt. Temere certe ageret, qui Sotadis, neoterici neque valde probati scriptoris, auctoritate ad librorum quorundam in Sophocl. Philoct. 1333. lectionem Ἀσκληπιαδῶν defendendam abuteretur. Vide modo Porsonum in Appendice ad Toupium T. IV. p. 444. et præf. ad Euripid. Hec. p. xxxv. Asperrimam synizesin in Sophoclis O. T. 640. *δρᾶσαι δικαιοῖ, δυοῖν ἀποκρίνας κακοῖν*, quam defendere videtur Porsonus ubi supra p. 441. quamque hodie tuentur Hermannus et Dindorfius, peringeniose saltem, nisi vere, tollit Elmsleius emendando, *τοῖνδ' ἀποκρίνας κακοῖν*. Vix emendatione indiget Euripid. Iph. T. 938. *οὐκ ἀλλ' Ἐρινύων δεῖμά μ' ἐκβάλλει χθονός*. ubi Ἐρινύων pedem Bacchium efficit [r]. Præterea voces *θεὸς*, *νεὸς*, et si quæ his similes sint, [s]*μονοσυλλαβῶς* pronunciatas; alias, ut *χρυσέαν* disyllabon, Euripid. Hecub. 468. formas Atticas, *βασιλέως*, *Μενέλεως*, crases *ἢ οὐ*, *μὴ οὐ*, *ἐγὼ οἶδα*, sive *ἐγᾦδα* cf. Valckenær. ad Eurip. Phœniss. 723. necnon Porsonum ad Euripid. Orest. 591. Phœn. 903. 1277. 1651. Diphthongus in *τοι* sequentem vocalem brevem longam efficit Med. 863. Sic in Aristoph. Ran. 512. cum Porsono legendum, *περιόψομ' ἀπελθόντ'* ut fiat crasis, et in Platonis Ποιητῇ apud Athenæum XIV. p. 644 A.—*μόνος δ' ἄγευστος, Ἄσπλαγχνος ἐνιαυτίζομ' ἀπλάκουντος, ἀλιβάνωτος*. Plura vide in Dobræi Addendis ad Porsoni Notas in Aristophanem p. (99.) necnon Dindorf. ad Acharn. 325.

p. 20, 10. Ἀλκιβιάδην] Habemus simile exemplum in Epigrammate (Brunck. Anal. T. III. p. 304.)

> *Νύμφαι κρηναῖαί με συνήρπασαν ἐκ βιότοιο*
> *Καὶ τάχα που τιμῆς εἵνεκα τοῦτ' ἔπαθον,*
> *Νηπίη, οὐδὲ δυοῖν ἐτέοιν τέλος ἐξανύσασα,*
> *Φιλησίη τὴν κλῆσιν, Αὐσονὶς γένος.*

ubi in versu quarto auctor pro dactylico exhibuit iambicum ob contumaces syllabas vocis *Φιλησίη*. D'Orvill. in Charit. p. 258=356. L. HOTCHKIS. Sic et in epigrammate apud

[r] Sic et 977. *ὅσαι δ' Ἐρινύων οὐκ ἐπείσθησαν νόμῳ*. et 1468. *οἴστροις Ἐρινύων. Ἄρτεμιν δέ νιν βροτοί.* Attamen non reticendum omnibus his in locis Dindorfium scribendum malle Ἐρινῦν. Cf. Herman. ad Phœn. 1312.

[s] Ῥέας Soph. Œd. Col. 1073. et Κρέων Antig. 156. monosyllaba esse monuit Dindorfius.

Welcker. in Mus. Rhen. Nov. T. I. p. 204. dipodia iambica ponitur loco penthemimeris dactylici, Ἀρχεστράτην ἀνδρὶ ποθεινοτάτην.

## CAP. III.

### *De Pedibus.*

Hactenus de Syllabis: nunc secundum institutum nostrum ex grammaticis excerpenda est pedum notitia. Terentianus Maurus p. 2412. v. 1340.

*Ergo cum duas videbis esse vinctas syllabas,*
*Effici pedem necesse est, sint breves ambæ licet.*
*Una longa non valebit edere ex sese pedem,*
*Ictibus quia fit duobus, non gemello tempore.*
*Brevis utrinque sit licebit; bis feriri convenit,*
*Parte nam attollit sonorem, parte reliqua deprimit,*
*Ἄρσιν hanc Græci vocarunt, alteram contra θέσιν.*
*Una porro bis feriri quando poterit syllaba,*
*Temporum momenta sane lege certa dividunt,*
*Seu duas pes quisque junget, sive plures syllabas.*
*Aut enim quantum est in ἄρσει, tantum erit tempus θέσει·*
*Altera aut simplo vicissim temporis duplum dabit,*
*Sescuplo vel una vincet alterius singulum.*

Marius Victorinus p. 2485=55. *Pes est certus modus syllabarum, quo cognoscimus totius metri speciem, compositus in sublatione et positione: fiunt enim ex syllabis pedes ordine incrementorum, quem Græci συλλαβικὴν παραύξησιν vocant; item temporum, quem Græci χρονικὴν παραύξησιν nominant. Syllabarum autem incrementa fiunt quinque, incipientia a disyllabis usque ad hexasyllabum. Temporum vero incrementa a duobus ad duodecim procedunt, id est, a disemo ad duodecasemum. Etenim cognationis et cujusdam ad augmentum propagationis, qua pedes multiplicati noscuntur orti a disyllabis quatuor, ratio talis est. Syllaba quæ ad incrementum pedum adjicitur, aut longa est aut brevis; hujus adjectione ita numerus propagabitur. Sic Pyrrhichius e duabus brevibus, hunc brevis Tribrachyn, longa Dactylum vel Anapæstum facit. Sic Spondeus e duabus longis, hunc brevis Palimbacchium, seu Bacchium, in prima sede posita longa Molossum reddit. Quo genere trisyllabi et tetrasyllabi*

*usque ad hexasyllabos additamento temporum processerunt, ut dictum est a disemo ad duodecasemum, seu a dichrono ad duodecachronum. Σημεῖον autem veteres χρόνον, id est tempus, non absurde dixerunt, ex eo, quod signa quædam accentuum, quæ Græci προσῳδίας vocant, syllabis ad declaranda temporum spatia superponuntur, unde tempora signa Græci dixerunt. Sed et hoc, loco suggerente, non prætermiserim, easdem figuras pedum secundum spatia temporum per litteras ita designasse, ut brevis syllabæ loco, quæ sit unius temporis, ponatur* B[t], *longæ autem loco, quæ sit temporum duum,* M, *hoc ideo, ut per litteras regula pedum facile intellegatur. Pes autem dictus est sive quia pars mensuræ et modus quidam: similiter pes vocatur, sive quia in percussione metrica pedis pulsus ponitur tolliturque; seu quia, ut nos pedibus nostris ingredimur atque progredimur, ita et versus per hos pedes metricos procedit et scandit. Inter pedem autem et rhythmum hoc interest, quod pes sine rhythmo esse non potest, rhythmus autem sine pede decurrit; non enim gradiuntur μέλη pedum mensionibus, sed rhythmis fiunt.*

Dionysius Halic. περὶ Συνθ. c. 17. p. 124. Πᾶν ὄνομα, καὶ ῥῆμα, καὶ ἄλλο μόριον λέξεως, ὅ τι μὴ μονοσύλλαβόν ἐστιν, ἐν ῥυθμῷ τινι λέγεται· τὸ δ' αὐτὸ καλῶ πόδα καὶ ῥυθμόν.

Jam vero de singulis accuratius agendum est. Ac primum de PYRRHICHIO. Marius Victorinus p. 2487=56. (Pedum) *princeps et auctor pyrrhichius, qui et pariambus et dibrachus appellatur: sed pariambus ideo quod minus habeat unum tempus ab iambo, παρὰ enim Græci* minus *dicunt, subsistens e duobus brevibus temporum duum.—Nec immerito a Græcis hic pes, ut auctor et parens reliquorum ἡγεμὼν dicitur. Pyrrhichius autem a celeri motu ac recursu qui in pyrrhicha habetur nuncupatus est.* Vide Terentianum Maurum p. 2412. v. 1559.

De pyrrhicha vide Salmasium ad Solinum c. xi. p. 119. Lectu digna habet Diomedes p. 472=426. sed mire corrupta et turbata. cf. Kusterum ad Aristoph. Ran. 153. Santen. ad Terent. Maur. p. 54 seq. Hæc autem alibi non temere inveneris. *Apud Italos vero,* (i. e. pes pyrrhichius, vocatur) GRADIVUS, *a Gradivo* Ἄρεος καὶ Ἐννοῦς, *id est Martis et Bellonæ, filio, quem*

t Notavit Hephæstio per *a*, et *β*. cf. p. 83. et sic etiam ipse Victorinus p. 2492=64.

*eo primum pede usum poëtæ fingunt, quod cum cacumina montium et difficilia collium concitato cursu capræ more superaret, quoties prædatoria vice grassaretur, citipedem hunc cursum sibi reperisse testificantur.* Dionysius Halic. ubi supra p. 126. Ὁ μὲν οὖν βραχυσύλλαβος ΗΓΕΜΩΝ τε καὶ ΠΥΡΡΙΧΙΟΣ καλεῖται, καὶ οὔτε μεγαλοπρεπής ἐστιν, οὔτε σεμνὸς, σχῆμα δ' αὐτοῦ τοιόνδε,

λέγε δὲ σὺ κατὰ πόδα νεόλυτα μέλεα.

Isidorus Orig. l. 16. *Pyrrhichius dictus est, quia hic assidue vel in certamine vel in ludo puerili sæpius frequentabatur, sive ab igne appellatur, qui Græce* πῦρ *dicitur, quia veluti ignis celeriter labitur.*

TROCHÆUS teste Mario Victorino p. 2487=57. *dictus a cursu et celeritate. Nam* τροχὸς ἀπὸ τοῦ τρέχειν *vocabulum sumsit, idem et* Chorius ἀπὸ τῆς χορείας. Plotius p. 2625=244. *Trochæus ex longa et brevi constat, temporum trium, ut* cērǎ, *dictus a velocitate rotæ, quam suo sono imitatur, quæ Græce* τροχὸς *nuncupatur. Alii* χορεῖον *appellant, quia ad choros aptam modulationis continet rationem.* Diomedes p. 474=430. *Huic* (iambo sc.) *contrarius est* trochæus, *quem* χορεῖον *appellant. Constat ex longa et brevi, temporum trium, ut* Roma, *dictus* [u] ἀπὸ τοῦ ἐπιτρέχοντας λέγειν. *quippe ejus modulationem, poëmatum sive metrorum compositioni accommodatam, rotatim et volubiliter dicebant. Trochæum etiam a Mercurio repertum satis constat, quod is præcipitem festinationem ex impetu longo in brevem gressum finiri ostenderet. Unde plerique Græcorum ex longa et brevi eum pedem composuerunt; vel* παρὰ τὸ τρέχειν, [x] *ex discursu, trochæum frequentaverunt: ac musici viri ociori melo intenti, ex rotæ situ et volubili modo rythmulum ejus et tonum designant;* [y] *qui et decursionibus aptum judicant, quod hi qui in bello laborant, quoties amissos ordines reparant, ex longo et disperso ambitu in brevem et arctum ordinem coguntur, rotæ scilicet similitudine* [z] *se ventilantes, cujus satis latus ac breviatus canthus, radiatus luminibus in angustum modioli circulum cohibetur. Aiunt hunc trochæum Auruncos* rotulum *nuncupasse, nimirum simili ratione, qua Græci* [a] *a rota invitati, vel diversa*

[u] Al. ἀπὸ τοῦ τρόχου, *h. e. rotatione.* Græca omittit Med.

[x] Al. *hoc est a currendo.*

[y] Al. *quia decursoribus.*

[z] Al. *eventilantis.*

[a] Al. *trocho nominandi.*

*appellatione persuasi; quod cum aciem constituerent prolatis pedibus scuta brachiis protenderent, breviterque dextris succedentibus pedibus vestigia sisterent, ac reductis manibus, ingenti clamore, quæ vibraverant, tela jaciebant; quæ res huic melo ingenitum nomen acquisivit.* Isidorus: *Trochæus ab eo dictus est quod celerem conversionem faciat cantilenæ, et quasi rota celeriter currat in metris: τρόχος enim Græce rota dicitur.* Hermogenes p. 312. ed. Crispin. περὶ γοργότητος agens, inquit: πλεονάζειν μέντοι πάντως ἐνταῦθα τοὺς τροχαίους καὶ τὰς τροχαϊκὰς συζυγίας προσήκει. καὶ τούτου γε τεκμήρια ἐναργῆ πολλὰ καὶ τῆς τραγῳδίας, ἔνθα ἐπείγεσθαι ὁ λέγων δοκεῖ, τροχαϊκῶς συντεθέντα. (Vide Euripid. Orest. 728. ubi Scholiastes Hermogenis p. 404. dat ἠκόμην δι' ἄστεος, et v. 730. θανοῦντας pro κτενοῦντας.) καὶ παρὰ τῷ Μενάνδρῳ. ὁ δὲ Ἀρχίλοχος αὐτὸ καὶ σαφέστερον ἐποίησε καὶ γοργότερον. οἱ γὰρ τετράμετροι αὐτῷ διὰ τοῦτ' (οἶμαι) καὶ γοργότεροι καὶ λογοειδέστεροι τῶν ἄλλων εἶναι δοκοῦσι διότι τροχαϊκῶς σύγκεινται. τρέχει γὰρ ὡς ὄντως ἐν τούτοις ὁ ῥυθμός.

IAMBUS. Nonnulla de iambo pede attulimus ad Schol. p. 169. Alia dabit Terentianus Maurus p. 2413. v. 1382. Marius Victorinus 2487=57. Plotius p. 2625=244. Diomedes p. 473=428. utcunque depravatus, dignus est tamen qui hic legatur. *Iambus qui constat ex brevi et longa, ut* dĭēs, *versui maledico habilis,* παρὰ τὸ ἰαμβίζειν *Græce* [b] *appellatur. Hujus autem origo verbi ex nomine Iambes famulæ Celei* [c] *derivatur, quæ Cererem, filiam quærendo ad Meganiram* (lege *Metaniram*) *conjugem Celei delatam, cum vidisset sollicitam, male tractavit. Quidam autem ferunt iambum quasi* [d] triambum *a triumphatore Libero cognominatum. Sed alii a Marte ortum Iambum* [e] *strenuum ducem tradunt, qui cum crebriter pugnas iniret, et telum cum clamore torqueret,* παρὰ τὸ [f] ἴον βάλλειν

[b] *nominatur* Med.

[c] *nominatur* Med.

[d] Hesychius, Θρίαμβος, Διονυσιακὸς ὕμνος, ἴαμβος. Photius: Θριάμβους: τοὺς ἰάμβους ἔνιοι ἔλεγον. Vide Toupii Em. T. III. p. 29. Etymologus M. p. 455, 16. Θρίαμβος ἐπίδειξις νίκης, πομπὴ, καὶ τὸ σεμνύνεσθαι. ἔν τισι πόλεσιν, ὅταν ᾖνθουν αἱ συκαῖ, παῖδες περιελόντες σῦκα σὺν αὐτοῖς τοῖς θρίοις ἔπαιζον, προφέροντες ἰαμβεῖα τετράμετρα, ἢ ἡμιάμβεια. Cornutus p. 219. ed. Gale. Ὁ δὲ θρίαμβος ἀπὸ τοῦ θροεῖν καὶ ἰαμβίζειν τὴν κλῆσιν ἔλαχεν. Ὅθεν καὶ ἐν τοῖς κατὰ τὸν πόλεμον θριάμβοις πολλοῖς ἀναπαίστοις σκώπτοντες χρῶνται.

[e] *strenuum ducem* Putsch. cum MSS. *strenuo duce* Med.

[f] Sic Med. Putsch. παρὰ τὸ ἰέναι καὶ βοᾶν. An leg. ἀπὸ τοῦ ἰέναι βάδην ex Mario Victorino p. 2487?

*iambus appellatur. Idcirco ex brevi et longa pedem hunc esse compositum; quod hi qui jaculentur ex brevi accessu in extensum passum proferuntur, ut promtiore nisu telis ictum confirment. Auctor hujus librationis Arctinus Græcus his versibus perhibetur,*

[g] ὁ δ' ἴαμβος
ἐξ ὀλίγου διαβὰς προφόρῳ ποδὶ ὄφρ' οἱ γυῖα
τεινόμενα ῥώοιτο καὶ εὐσθενὲς εἶδος ἔχησι.

*Igitur hunc pedem vel iambicum gressum prisci Apuli Daunium, a duce suo Daunio, prodiderunt, quod is primus quum adversus acrem Diomedis pugnam bellum asperum iniisset,* [h] *gradali pugna suos dimicare instituit, et collato pede, assequenti paullatim dextero distento, et progredienti lævo et brevi successu, et longo distentu gradus simul et nisùs firmaretur; unde non immerito melon hunc iambicum gradalem quidam nuncupant, Gradivoque Marti augurant, quod gradariæ pugnæ hujus effectu moveantur.* Isidorus: *Iambus dictus est, quod ἰαμβίζειν Græci detrahere dixerunt. Hujusmodi enim carmine omnes invectiones vel detractiones implere poëtæ sunt soliti. Dictum autem nomen ab eo quod velut venenum quodammodo maledicti aut livoris infundat.*

SPONDEUS nomen habet auctore Aristid. Quintil. p. 37. διὰ τὸ ἐν σπονδαῖς αὐτὸν ᾄδεσθαι. Diomedes p. 472=427. *Dictus* παρὰ τὴν σπονδὴν, *quia in templis hoc pede quædam carmina componebantur, scilicet ut libantes sonum vocis abominosæ* (*ominosæ* Salmasius ad Solin. p. 88.) *audire non possent.* Et paullo post, ex emend. Salmasii loc. cit. *Cum aulis paribus ture incensis altaribus musicus choros geminis gressibus explicaret, et æquipedi sono tibicen spondaulium canere juberet, ut duabus longis melodiis, quasi duplicibus et jugibus votis, prospera deorum voluntas firmaretur. Numam Pompilium, divinitate præditum, hunc pedem* pontificium *appellasse memorant, cum Salios juniores æquis gressibus circulantes induceret spondeo melo patrios placare indigites.* Terentianus Maurus p. 2413. v. 1377.

*Qui quod in templis canorus a sono vocis malæ*
*Auribus libantis obstat, et favet,* σπονδεῖος *est.*

Marius Victorinus p. 2487=57. *Spondeus e duabus longis, ut* rēgēs, *temporum quatuor, dictus a tractu cantus ejus qui per longas tibias in templis a supplicantibus editur. Unde spon-*

[g] ΔΗαμβος Med. et ποδὶ- -ἔχησι mox omittit. [h] *gladiali* Med.

*daulæ* (sic enim recte Salmasius ad Flavium Vopiscum p. 824.) *appellantur qui hujusmodi tibias inflare assuerunt.* Isidorus I. 16. *Spondeus dicitur, quia tractim sonat. Nam spondeus tractus quidam dicitur, id est sonus qui fundebatur circa aures sacrificantium. Unde hi et qui tibiis canebant in sacris gentilium spondiales nominabantur.* Dionysius Halicarnasseus περὶ Συνθ. p. 126. a Porsono ad Euripid. Hec. 161. emendatus, Σπονδεῖος ἀξίωμα ἔχει μέγα καὶ σεμνότητα πολλήν. Παράδειγμα δὲ αὐτοῦ τόδε,

ποίαν, ἢ ταύταν, ἢ κείναν
στείχω; ποίαν δῆθ' ὁρμάσω;
ποῦ μοι τις θεῶν
ἢ δαίμων ἐστὶν ἀρωγός;

Quintilian. I. 10. 32. *Pythagoram accepimus concitatos ad vim pudicæ domui afferendam juvenes, jussa mutare in spondeum modos tibicina, composuisse.* Vide Spalding. ad eum locum, qui plura collegit. L. Hotchkis conferri jubet Aristoph. Acharn. 236. Pac. 432. 1104. Σπονδεῖον et ἐπιβώμιον μέλος idem valent. Vid. Schweigh. ad Athen. XIV. p. 638 A.

TRIBRACHYS. Diomedes p. 475 = 432. Tribrachys, tribrevis, *seu* Thasius, *quem quidam* brachysyllabum, *alii* triorcheon (*trochæon* Med.), *nonnulli* pygmona, *plerique* chorium *nominant. Constat ex tribus brevibus, ex quibus nomen accepit, ut*, Hĕlĕnă. *Chorius autem ideo dictus, quia choreis hujus compositio convenit.* Marius Victorinus p. 2487 = 57. *Tribrachyn, sicut disyllabi dibrachyn, dictum a temporum substantia. Idem et* Pygnomus *a quibusdam, ne vos prætereat, vocatur.* Nonnunquam *trochæus* vocatur. Quintil. IX. 4. 82. *Tres breves* trochæum, *quem* tribrachyn *dici volunt, qui choreo* trochæi *nomen imponunt.* Terentianus Maurus p. 2414. v. 1445.

*Nam solet longam* τροχαῖος *solvere in duas breves;*
*Unde et appellant* τροχαῖον, *quem vocamus tribrachyn.*

Dionysius Halic. p. 128. ὁ μὲν ἐξ ἁπασῶν βραχειῶν συνεστώς, καλούμενος δὲ ὑπό τινων χορεῖος, τρίβραχυς πούς· οὗ παράδειγμα τοιόνδε,

Βρόμιε, δορατοφόρε, ἐνυάλιε, πολεμοκέλαδε·

ταπεινός τε καὶ ἄσεμνός ἐστι, καὶ οὐδὲν ἂν ἐξ αὐτοῦ γένοιτο γενναῖον.

DACTYLUS. Diomedes p. 474=431. Dactylus, *quem Græci* πολιτικὸν (f. πολεμικὸν Sautenius ad Terent. Maur. p. 85.) *appellant, constat ex longa et duabus brevibus, temporum quatuor, ut* Rōmŭlŭs, *a tactu digitorum dictus, quem ad exprimendam organi modulationem faberrime affectabant; vel ab* [1]*Idæis Dactylis, quos Curetas sive Corybantas poëtæ appellabant. Hi namque in insula Creta Jovem custodiendo, ne vagitu se parvulus proderet, lusus excogitato genere, clypeolis æneis inter se concurrentes, tinnitu æris illisi, rhythmica etiam pedis dactyli compositione celavere vocem infantis. Sed nativitatis eorum causa, ut vetustatis fabulositas docet, hæc fuisse traditur. Aiunt Opem in Idam, montem insulæ Cretæ, fugiendo delatam manus suas imposuisse memorato monti, et sic infantem [ipsum] edidisse, et ex hac manuum impressione emersisse Curetas, sive Corybantas, quos a montis nomine, et a qualitate facti, Idæos Dactylos appellant. Hos quidam tres putant, qui Lares esse creduntur, Damnameneus, Astheus, Pyrrhicus. Dicti* ἀπὸ τῶν κορῶν, *id est, a formosis oculis, qui* κόραι *vocantur, id est, pupulæ, vel a cono galeæ.* Marius Victorinus p. 2488=58. *Dactylus—a situ et similitudine digitorum, qui in manibus habentur, vocabulum traxit. Nam ex utraque parte breviores longiori junguntur.* Isidorus: *Dactylus a digito dictus, quod a longiore nodo inchoans in duas desinat breves: sic et iste pes juncturam unam habet longam et duas breves. Unde et manus oppansa palma dicitur, et pendentes digiti dactyli.* Dionysius Hal.: ὁ δὲ ἀπὸ τῆς μακρᾶς ἀρχόμενος, λήγων δὲ ἐς τὰς βραχείας, δακτυλικὸς μὲν καλεῖται, πάνυ δέ ἐστι σεμνὸς, καὶ εἰς κάλλος ἁρμονίας ἀξιολογώτατος, καὶ τὸ ἡρωϊκὸν μέτρον ἀπὸ τούτου κοσμεῖται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Παράδειγμα δὲ αὐτοῦ τόδε,

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσε.

ANAPÆSTUS. Diomedes p. 475=432. *Huic contrarius est* anapæstus, *quem* ἀντιδάκτυλον *Græci nominant. Constat ex duabus brevibus et longa, temporum totidem, ut,* nĕbŭlæ̅, *dictus* παρὰ τὸ ἀναπαίειν, κατὰ τὸ ἀνάπαλιν ἀντικρούειν πρὸς τὸν δάκτυ-

[1] Vide Meursii Cretam lib. I. c. 4. Clemens Alex. Strom. I. p. 360, 20. Τινὲς δὲ μυθικώτερον τῶν Ἰδαίων καλουμένων δακτύλων σοφούς τινας πρώτους γενέσθαι λέγουσιν, εἰς οὓς ἥ τε τῶν Ἐφεσίων λεγομένων γραμμάτων καὶ ἡ τῶν κατὰ μουσικὴν εὕρεσις ῥυθμῶν ἀναφέρεται, δι' ἣν αἰτίαν οἱ παρὰ τοῖς μουσικοῖς δάκτυλοι τὴν προσηγορίαν εἰλήφασι.

λον, *quia recurrendo repercutiens dactylum, sono reciproco obloquitur ei per antistrophen.* Isidorus: *Anapæstus Græce dicitur repercussus: Græci enim* ἀνάπαιστιν (*anapestin* duo mss. sic) *repercussionem dicunt. Qui ideo dicitur repercussus, eo quod repercutiatur a dactylo. Est enim illi contrarius.* Dionysius Hal.: Ὁ δὲ προλαμβάνων τὰς δύο βραχείας, ἀνάπαιστος μὲν καλεῖται, σεμνότητα δὲ ἔχει πολλήν· καὶ ἔνθα δεῖ μέγεθος περιθεῖναι τοῖς πράγμασιν, ἢ πάθος, ἐπιτήδειός ἐστι παραλαμβάνεσθαι. Τούτου τὸ σχῆμα τοιόνδε,

βαρύ μοι κεφαλῆς ἐπίκρανον ἔχειν.

AMPHIBRACHYS. Diomedes III. 5, 22. p. 433. ed. Oxon.: *Amphibrachys, Ianius, amphibrevis, qui et scolius, constat ex brevi et longa et brevi temporum quattuor, ut* carina, *dictus a duabus brevibus, a quibus ex utraque parte medii longa continetur. Scolius quoque ideo, quia habiliter componitur scolio, est autem citharæ* (*cantilenæ* conj. Santen.) *species mensalis.* Cæsius Bassus ibid. p. 305. *Hunc alii* mesiten *alii* stolan (*scolion* Santen.) *vocant.* Dionysius Halic. p. 128. ὁ ἐκ μακρᾶς καὶ δυοῖν βραχειῶν μέσην μὲν λαβὼν τὴν μακρὰν ἑκατέρας τῶν βραχειῶν ἀμφίβραχυς ὠνόμασται, καὶ οὐ σφόδρα εὐσχημόνων ἐστὶ ῥυθμῶν, ἀλλὰ διακέκλασταί τε καὶ πολὺ τὸ θῆλυ καὶ ἀγεννὲς ἔχει, οἷά ἐστι ταυτί·

Ἴακχε δίραμβε (sic em. Sylburg.) σὺ τῶνδε χοραγέ.

BACCHIUS. Diomedes p. 475=433. Bacchius, Œnotrius, tripodius, saltans, *quem Græci* [k] pariambum *dicunt, constat ex brevi, et duabus longis, temporum quinque, ut,* Ăgēnōr, Ăthēnæ, *dictus* παρὰ τὰς βάκχας, *quia bacchantibus convenienter componebatur.* Marius Victorinus p. 2488=58. *Cum vero longis duabus præponitur brevis, fit bacchius, temporum quinque, ut,* Cătōnēs: *qui a Bacchi carminibus seu cantilenis, quæ aptissime hoc metro componuntur, nomen accepit; vel quia familiariter hic rhythmus bacchantibus aptus sit.* Plotius p. 2626=245. *Bacchius dictus est, quod Baccho, id est Libero patri, accepta modulatio hujus pedis sono componebatur.* Isidorus: *Bacchius appellatus est, eo quod isto pede Bacchia, id est Liberi sacra, celebrabantur.* Adde Quintilianum IX. 4, 82. Auctores alii pedem vocant

[k] Voluit, credo, Diomedis interpolator *palimbacchium.* SANTEN. ad Terent. Maur. p. 89.

bacchium qui duabus longis brevem habet suppositam. Dionysius Halic.: Ἐὰν δὲ τὴν ἀρχὴν αἱ δύο μακραὶ κατάσχωσι, τὴν δὲ τελευτὴν βραχεῖα, οἷά ἐστι ταυτί·

σοί, Φοῖβε, Μοῦσαί τε, συμβῶμεν·

ἀνδρῶδες δὲ πάνυ τοῦτο σχῆμα, καὶ εἰς σεμνολογίαν ἐπιτήδειον. Τὸ δὲ αὐτὸ συμβήσεται κἂν ἡ βραχεῖα πρώτη τεθῇ τῶν μακρῶν· καὶ γὰρ οὗτος ὁ ῥυθμὸς ἀξίωμα ἔχει καὶ μέγεθος. Παράδειγμα δὲ αὐτοῦ τόδε·

τίν' ἀκτὰν, τίν' ὕλαν δράμω; ποῖ πορευθῶ;

τούτοις ἀμφοτέροις ὀνόματα κεῖται ῥυθμοῖς ὑπὸ τῶν μετρικῶν, βακχεῖος μὲν τῷ προτέρῳ, θατέρῳ δὲ ὑποβάκχειος. Terentianus Maurus p. 2414. v. 1410.

*Quum duas longas sequetur una brevior syllaba*
*Pes erit* βακχεῖος, ἀντίβακχος *autem tunc erit*
*Quum brevem primam locabis et duas longas dein;*
*Nomina aut vertes vicissim, quum priorem dixeris*
Ἀντίβακχον, *nominato qui redit contrarius.*

Atilius Fortunatianus p. 2687=335. *Antibacchius ex brevi et duabus longis, bacchius ex duabus longis et brevi.*

AMPHIMACRUS. Diomedes p. 475=433. *Huic* (Amphibracho scil.) *contrarius est* amphimacrus, Fescenninus, amphimeres, *quem alii* Creticum *appellant. Constat ex longa, et brevi, et longa, temporum quinque, ut* Dēmŏphōn, *dictus a duabus longis, a quibus utrimque media brevis amplectitur. Creticus quoque, quia Cretes saltando ejus rhythmica compositione utebantur.* Terentianus Maurus p. 2414. v. 1436.

*Creticum appellant eundem, forte Curetum genus*
*Quo modos ludo sub armis congruentes succinat.*
*Primus iste pes locatur his ubique in versibus,*
*Optimus pes et melodis et pedestri gloriæ,*
*Plurimum orantes decebit, quando pene in ultimo*
*Obtinet sedem, beatam terminet si clausulam*
Δάκτυλος, σπονδεῖος, *imam, nec* τροχαῖον *respuo.*

Plotius 2625=245. *Amphimacrus nomen accepit, quod ex utraque parte longam, quam Græci* μακρὰν *dicunt, habet: dictus est hic pes etiam* Creticus, *quoniam in Creta insula Corybantes, ut vagitum Jovis nati celarent Saturnum, scutis suis sic sonuerunt, graviter, breviter, graviter.* Marius Victorinus p. 2488=

59. *Hoc pede* ἐπορχήματα *constabant.* Dionysius Halic. μέσης γενομένης τῆς βραχείας, ἄκρων δὲ τῶν μακρῶν, Κρητικός τε λέγεται, καί ἐστιν οὐκ ἀγεννής· ὑπόδειγμα δὲ αὐτοῦ τοιόνδε·

οἱ δ' ἐπείγοντο πλωταῖς ἀπήνῃσι χαλκεμβόλοις.

Schol. Aristoph. Nub. 650. οἱ δὲ ἐνόπλιον τὸν ἀμφίμακρον, ὃς καὶ Κρητικὸς καλεῖται ἀπὸ τοῦ εἰς τοὺς Κουρῆτας ἀναγομένου μέλους· τούτῳ γὰρ τῷ μέτρῳ προσωρχοῦντο σείοντες τὰ ὅπλα.

PALIMBACCHIUS. Diomedes p. 476=433. *Huic* (Bacchio scil.) *contrarius est* palimbacchius, Latius, *qui et* Saturnius, *ultima brevi, quem quidam* Propompicon (*pompicum* Santen. Terent. Maur. p. 88. cum Victorin. p. 2488, 23.), *alii* Thesseleon *vocant. Constat ex duabus longis et brevi, temporum totidem, ut,* Nātūră. *dictus palimbacchius, quia contrarius est bacchio. Apud Græcos enim* πάλιν *contrarium significat, adeo* παλίντονα τόξα. Eustathius ad Od. ζ'. p. 1551, 54=247, 27. Ἔστι δὲ παλιμβακχεῖος, ἢ προπαροξυτόνως παλιμβάκχειος, πεντάχρονος πούς, ἐκ δύο μακρῶν καὶ βραχείας, οἷον ἥφαῖστŏς, ἀνάπαλιν ἔχων τῷ βακχείῳ, πενταχρόνῳ ὄντι ἐκ βραχείας καὶ δύο μακρῶν, οἷον νŏήμων, ἔχοντι τὴν κλῆσιν ἀπὸ τοῦ Βάκχου Διονύσου, ᾧ ὕμνους ἐκ τοιούτου μέτρου ᾖδον οἱ διθυραμβοποιοί. Vide supra ad Bacchium.

MOLOSSUS. Diomedes p. 475=432. *Huic* (tribrachy sc.) *contrarius est* Molossus, Vortumnius, Extensipes, *quem alii* Hippium, *vel* Chanium (*Chaonium* Santen.) *dicunt. Constat ex tribus longis, temporum sex, ut,* Ǣnēās. *Ideo Molossus dictus, quia Molossi, id est Thessali, ad bellum procedentes, hujus modulata compositione utebantur. Hippius vero equestri scilicet pugnæ conveniens modulabatur.* Plotius p. 2625=245. *Molossus dictus quod a Molosso Cretensi viro repertus est; hunc quidam et Creticum dicunt.* In Cæsio Basso p. 2666. repone *Hunc alii* Hippion *appellaverunt.* Isidorus: *Molossus dictus a saltatione Molossorum, quam exercuerunt armati.* Dionysius Hal.: Ὁ δὲ ἐξ ἁπασῶν μακρῶν, Μολοττὸν δὲ αὐτὸν οἱ μετρικοὶ καλοῦσιν, ὑψηλός τε, καὶ ἀξιωμάτικός ἐστι, καὶ διαβεβηκὼς ὡς ἐπὶ πολύ. Παράδειγμα δὲ αὐτοῦ τόδε·

ὦ Ζηνὸς καὶ Λήδας κάλλιστοι σωτῆρες.

De pedibus duodecim præcedentibus ita Dionysius: Οὗτοι

*δώδεκα ῥυθμοί τε καὶ πόδες εἰσὶν οἱ πρῶτοι καταμετροῦντες ἅπασαν ἔμμετρόν τε καὶ ἄμετρον λέξιν, ἐξ ὧν γίνονται στίχοι τε καὶ κῶλα· οἱ γὰρ ἄλλοι ἐκ τούτων εἰσὶ σύνθετοι.*

PROCELEUSMATICUS. Plotius p. 2626=246. *Proceleusmaticus dictus est, quod choros concitantes, ut celerius saltationem celebrarent inter se, hortabantur, et hortatio Græce κέλευσις nuncupatur.* Confer Servium ad Virgil. Æn. III. 128. Isidorus: *eo quod sit ad celeuma canendum aptus.*

PÆONES. Plotius ibid. *Pæones a Pæone poëta nomen inditum possederunt.* Vide Schol. ad p. 24.

IONICI. Plotius ibid. *Ionici ab Ione inventore suo dicti.* Aristides Quintil. p. 37. Ἰωνικὸς δὲ, διὰ τὸ τοῦ ῥυθμοῦ φορτικὸν, ἐφ' ᾧ καὶ οἱ Ἴωνες ἐκωμῳδήθησαν.

ANTISPASTUS. Plotius ibid. *Antispastus, quoniam ex utraque parte a brevibus revellatur, quod Græci ἀντισπᾶν dicunt.* Schol. Pindari p. 165. ed. Heyn.: Ἀντίσπαστος ἐξ ἰάμβου καὶ τροχαίου, τῶν ἀντισπασμένων ὄντων καὶ ἐξ ἐναντίας, οἷον Θεοκλητός. Isidorus: *quod sit ex contrariis syllabis, ex brevi et longa longa et brevi.*

CHORIAMBUS. Plotius: *quoniam ex trochæo, qui et chorius dicitur, et iambo constat.* Isidorus: *quia ex hoc pede compositum carmen choris aptissimum sit.*

EPITRITI. Plotius ibid. *Epitriti ideo hoc nomine vocati, quod ad tres breves una longa variis vicibus teneatur.* Aristides Quintilianus p. 49. Ἐπίτριτον δὲ καλεῖται τὸ σχῆμα, ἐπεὶ συνέστηκεν ἐκ ποδῶν λόγον ἐχόντων ἐπίτριτον, ὃν ἔχει τέσσαρα πρὸς τρία. A. Gellius XVIII. 14. Epitritos *est, qui habet totum aliquem numerum et ejusdem partem tertiam, ut quatuor ad tres.* Macrobius in Somnium Scipionis II. 1. *Est* epitritus, *cum de duobus numeris major habet totum minorem et insuper ejus tertiam partem; ut sunt quatuor ad tria. Nam in quatuor sunt tria, et tertia pars trium, id est, unum.* His liceat ex Plotio p. 2626=246. adjicere: *Quinque syllabarum pedes ex disyllabis et trisyllabis vel contra compositi sunt numero triginta duo, quoniam*

*quinque syllabæ* XXXII *schemata habent: qua ratione etiam metrum heroicum, quod quinque pedibus variatur,* XXXII *schemata habent.*

*Sex syllabarum pedes sunt numero sexaginta tres, quoniam sex syllabæ schemata habent totidem. Hoc tamen scire debemus, quod quinque syllabarum pedes et sex in metro reperiri possunt, et maxime in chororum modulatione, sed non scanduntur eorum pedum more, qui ex quatuor syllabis constant. Nam illi juncti ex disyllabis uno nomine suo nuncupantur, hi vero per eas partes per quas compositi sunt: ut si sit ex spondeo et dactylo pes compositus, non totus in se scanditur, sicut proceleusmaticus, sed spondeo et dactylo: sic etiam si ex duobus dactylis componatur. Sed horum omnium subjungere schemata est quidem possibile, sed molestum.*

## CAP. IV.

### *De Metrorum fine.*

P. 26. DIOMEDES p. 501=476. *Species carminum sunt quatuor,* ἀκατάληκτα, καταλήκτα, ὑπερκατάληκτα, βραχυκατάληκτα. 1. *Acatalecta, est integer versus singulorum metrorum.* 2. *Catalecta, est versus minus habens metricæ constitutionis.* 3. *Hypercatalecta, est super principium versus syllabarum plus habens.* 4. *Brachycatalecta pedem minus habet, quam poscit pedum dispositio.* Marius Victorinus p. 2504=80. *Est igitur catalecticum, quotiens in fine versus syllaba una pro toto pede accipitur, atque ita posita velut refrenat et cohibet metri cursum. Acatalectum autem, quod novissimum pedem integrum pro conditione sui metri obtinet, cui nihil abundat aut deest. Brachycatalectum vero, cum uno pede, id est duabus syllabis, metrum imminuitur, et pro dipodia pes unus ponitur, scilicet cum dipodiæ feriuntur. Hoc metrum quidam colobon vocant: miuron enim una fit syllaba detracta. Hypercatalectum contra, cum metrum in postrema parte versus una syllaba abundat ultra quam exigit dipodiæ numerus, pro lege versus oppositi terminatus.* Priscianus super XII. Vers. Æneid. p. 1216. *Catalecticos dicunt, quibus deest in fine aliquid; acatalectos, quibus nihil deest. Heroicus autem, qui legitimos habet dactylos, qui trisyllabi sunt, ideo in disyllabum desinere vult, et minuit in fine unam syllabam, ne sit impedimento sequenti versui quin celeriter incipiat. Præterea di-*

*cuntur hypercatalecti, quibus abundat una vel duæ syllabæ, ut novenarium Pindaricum; quod cum sit dimetrum iambicum, habet tamen unam syllabam plus in fine. Horatius,* Sylvæ laborantes geluque. *Brachycatalecti dicuntur in iambicis et similibus, quibus deest una syllaba vel duæ, ut est senarium iambicum colophon* [l. *colobon:* sic *curtum* Atil. Fort. p. 2684], *ut Horatius;* Mea renidet in domo lacunar.

p. 28, 3. *οἷον ἐπὶ ἀναπαιστικοῦ*] Heathius ad Æschyli Agam. 1010. "Ut verum dicam, omnes illi catalecti et hypercatalecti "in disyllabum nihil nisi merum grammaticorum commentum "sunt carminum genera non recte distinguentium, neque "uspiam in veteribus poëtis exstare reperientur. Cum enim "in carminibus tantum quæ e pedibus trisyllabis constant ex "ipsa rei natura *κατάληξις* ista locum habere possit; de dac-"tylis, creticis, bacchiis et palimbacchiis res in aperto est. "Nam dactylus catalectus in disyllabum est spondeus, propter "*τὸ ἀδιάφορον* ultimæ syllabæ, ideoque et primum Iliados "versum, quia in trochæo desinit, in exemplum dactylici cata-"lecti in disyllabum adfert Hephæstion. Creticus autem "bacchius et palimbacchius in disyllabum catalectus revera "est vel trochæus vel pæonis dimidium; in omnibus autem "carminibus quæ pedibus istis constant, pæones etiam et "dipodiæ trochaicæ admittuntur, et eorum locum tenere pos-"sunt. Restat tantum anapæstus, quem ideo etiam in disyl-"labum *καταλήγεσθαι* non posse puto, quia in anapæsticis ana-"pæsto dactylus rite opponitur. Primæ vero duæ dactyli "syllabæ primis duabus anapæsti syllabis rite opponi non "possunt, quia et *ἰσόχρονοι* non sunt, et eadem antipathia "inter has, quæ inter trochæum et iambum sive pyrrhichium, "intercedere reperitur. Vide Dawes. Misc. Crit. p. 62–66. "Et reipsa catalecticorum horum in disyllabum anapæsti-"corum nullum adhuc mihi videre contigit, qui non, aut "corruptus esset, aut talis ut alia ratione commodius eum "metiri liceret."

IV. 6. p. 28. *παντὸς μέτρου ἀδιάφορος*] Cicero Orat. ad Brutum c. 64. sect. 217. *Nihil enim interest, dactylus sit extremus an creticus; quia postrema syllaba, brevis an longa sit, ne in versu quidem refert.* Servius in Centimetro p. 1817=364. *Finalem syllabam in omnibus metris indifferenter accipi.*

Maximus Victorinus p. 1957. *Est autem dactylicum carmen, quod constat dactylo et spondeo. Non dico, ultimo loco nonnunquam trochæo, eo quod quidam bono judicio hunc pedem de versu hexametro excludendum censuerunt. Quippe omnis syllaba in versu ultima ἀδιάφορος est, id est, indifferenter accipitur, nec interest utrum producta sit an correpta. Nam cum ita ratio exposcat, ut pleno versu viginti quatuor tempora insint, admisso utique trochæo curtabitur numerus temporum et erunt tempora* XXIII. Terentianus Maurus p. 2419. v. 1640.

*Omnibus in metris hoc jam retinere memento,*
*In fine non obesse pro longa brevem.*

Hanc regulam, unanimi grammaticorum consensu munitam, modo tecum rem recte reputes, omnino veram reperies. Quod enim observant viri docti, syllabam videlicet finalem in dimetris iambicis, trochaicis, anapæsticis, ionicis, neutiquam pro communi habendam esse, hoc, ne levissime quidem, supradicto canoni obstat. "Nempe dimetri," Dawesii verbis utor p. 30. "cujuscunque generis continuo carmine per συνάφειαν "decurrunt, usque dum ad versum catalecticum, quo omne "systema claudatur, deventum sit." In talibus itaque perspicuum est finalem tantummodo uniuscujusque systematis syllabam pro versus terminatione censeri. Quod in longioribus versuum generibus, sive senarii sint iambici, sive hexametri heroici, sivè demum tetrametri iambici, trochaici, anapæstici, longe secus se habet. Vocales in fine senariorum nonnunquam elidi posse docet Valckenærius ad Euripid. Phœn. 891. Confer Porsonum ad Euripid. Med. 510. cum Heathio et Marklando ad Euripid. Iph. Aul. 929. Adde Elmsleium ad Soph. O. T. 332. Herman. Opusc. T. I. pp. 137. 143. De ultimarum syllabarum in carminibus Pindaricis mensura egregia protulerunt Dawesius Misc. Crit. sect. II. init. et Hermannus Dissert. Metr. apud Heynium T. III. p. 184. seqq.

IV. 7. p. 28. Eustathius ad Il. ϛ'. p. 984, 1=974, 49. Ἐν δὲ τῷ, ΕΥΡΥΟΠΑ ΖΗΝ' ὩΣ ἩΡΑΚΛΗΟΣ ΠΕΡΙΧΩΣΑΤΟ, καταλήγει μὲν ὁ προηγούμενος στίχος εἰς τὴν ΖΗ συλλαβὴν κατὰ τοὺς παλαιοὺς, ὡς καὶ ἀλλαχοῦ κεῖται παρὰ τῷ ποιητῇ, ὁ δὲ συνεχὴς ἄρχεται ἀπὸ τοῦ Ν συναφθέντος εἰς τὸ ΩΣ. Καὶ δοκεῖ μὲν καινή τις ἡ τοιαύτη σύνταξις, ἤγουν ἀκολουθία, τῆς γραφῆς.

Ἔστι δὲ ἄλλως οὐ ξενίζουσα, ὡς ἔστι νοῆσαι ἀπὸ τῶν ἐφεξῆς. Ἰστέον γὰρ ὅτι κατὰ τοὺς παλαιοὺς πᾶν μέτρον εἰς τελείαν περαιοῦται λέξιν, τὰ δὲ μὴ ἔχοντα οὕτω, ἀλλὰ μέρος μέν τι τῆς τελευταίας λέξεως τῷ πρώτῳ στίχῳ ἀφιέντα, τὸ δὲ λοιπὸν τῷ ἐπαγομένῳ στίχῳ μερίζοντα, ἐπιλήψιμά εἰσίν. Ὅπέρ φασι ποιῆσαι τὸν Σιμωνίδην ἐν ἐπιγράμματι, ἔχοντι οὕτω,

ἦ μέγ' Ἀθηναίοισι φόως γένεθ' ἡνίκ' Ἀριστο-
γείτων Ἵππαρχον κτεῖνε καὶ Ἁρμόδιος.

Ἐνταῦθα γὰρ ὁ μὲν πρῶτος στίχος δάκτυλος ὤν, ἤτοι ἡρωϊκὸς, καταλήγει εἰς τὸ ΑΡΙΣΤΟ· ὁ δὲ δεύτερος ἐλεγεῖος ὤν, ἀπὸ τοῦ ΓΕΙΤΩΝ ἄρχεται. Παράγουσι δὲ καὶ ἄλλο ἡρωελεγεῖον ἔπος ὅμοιον,

οὗτος δή σοι ὁ κλεινὸς ἀν' Ἑλλάδα πᾶσαν Ἀπολλό-
δωρος· γινώσκεις τοὔνομα τοῦτο κλύων.

Καὶ ἐνταῦθα γὰρ ὁ μὲν προηγούμενος στίχος εἰς τὴν ΛΟ συλλαβὴν καταλήγει, ὁ δὲ μετ' αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ΔΩ ἄρχεται. Τοιοῦτόν τι καὶ τὸν ποιητήν φασιν ἐνταῦθα παθεῖν, ἐν τῷ,

ἦ φῆς ὡς Τρώεσσιν ἀρηγέμεν εὐρύοπα Ζῆ-
ν' ὡς Ἡρακλῆος περιχώσατο.

Τῆς γὰρ αἰτιατικῆς τοῦ εὐρύοπα Ζῆνα ἐκθλιψάσης τὸ α, τὸ νῦ πάντως τῷ φωνήεντι τῆς ἀρχῆς τοῦ δευτέρου στίχου προσνέμεται, ὥστε αὐτὸν μὲν ἀπὸ τοῦ νῦ κατάρχεσθαι, τὸν δὲ πρῶτον στίχον καταλήγειν εἰς μόνην τὴν ΖΗ συλλαβὴν, καὶ διὰ τοῦτο μὴ περαιοῦσθαι εἰς τελείαν λέξιν τὸ τοῦ πρώτου στίχου μέτρον. Ὅτι δὲ ἐν ταῖς ἐκθλίψεσι τὸ ἐναπομεῖναν σύμφωνον τῷ ἐπαγομένῳ φωνήεντι ἕπεται, δῆλον τοῖς ἀκολοθοῦσι κανόνι γραμματικῷ. Καθόλου γὰρ μεταξὺ δύο φωνηέντων ἐν μιᾷ λέξει, ἢ καὶ ἐν συναλοιφῇ, σύμφωνον εὑρεθὲν τῷ δευτέρῳ προσνέμεται. Εἰ μέντοι τις τὸν πρῶτον στίχον οὐκ εἰς τὸ Η μόνον ἀλλ' εἰς τὸ ΝΥ ἀπαρτίζει, ΖΗΝ λέγων, εἶτα γράφων ΩΣ ΗΡΑΚΛΗΟΣ καὶ ἑξῆς, θεραπεύει μὲν τὴν καινότροπον τοῦ πρώτου στίχου κατάληξιν καὶ τὴν ὁμοίαν τοῦ δευτέρου ἀρχὴν, καινοτομεῖ δὲ ὅμως τὴν ἔκθλιψιν, μὴ ἀφεὶς τὸ ΝΥ τῷ ἐπαγομένῳ στίχῳ ἐπακολουθεῖν. Τὸ δέ γε ἀποκοπὴν παρεισάγειν ἐνταῦθα, παράδοξον μέν ἐστιν, οὐκ ἀσύνηθες δέ. Ἀποκοπέντα γὰρ τὸν ΖΗΝΑ, ΖΗΝ εἴποι τις ἄν. Ὡς καὶ τὸν ἰχῶρα ἐν τοῖς πρὸ τούτων ἰχῶρ τινες ἔγραφον, οἷον,

ἀπ' ἰχῶρ χειρὸς ὀμόργνυ.

Ἤδη δέ τις καὶ τὸν ΗΛΟΝ ἀποκόψας, ΗΛ εἶπεν, ὡς δηλοῖ ὁ γεωγράφος, [vid. Strabo p. 364. ed. Par.] οἷον,

δαιμόνιος ἧλ.

εἰσι δὲ καὶ ἄλλα τοιαῦτα. Ὅλως οὖν ὁ ῥηθεὶς Ὁμηρικὸς στίχος, τὸ, ἢ φῂς καὶ ἑξῆς, οὐκ ἀγαθὴν ἔχει κατάληξιν ὅπως ἄν τις αὐτὸν καὶ μεταχειρίσηται. cf. Il. θ'. p. 709=594, 2. Marius Victorinus p. 2499=73. *Omnis autem versus ab integra parte orationis incipit et in integram desinit, exceptis his quæ in comœdiis jculariter dicta corrupta aut semiplena efferuntur, aut quæ raro apud epicos metri necessitate dividuntur.* Porsonus ad Euripid. Hec. 725. "Mendose μεταστέλλων in Phœnissarum edd. qui-" busdam, quam disjunctionem non patiuntur tragici senarii. " Si quid aliter fertur, prava distinctione laborat, ut Æschyl. " Prom. 67. τῶν Διός τ' ἐχθρῶν ὕπερ Στένεις. Joco dixit Eu-" polis ἀλλ' οὐχὶ," &c. Vulgatur quidem in fragmento Xenarchi apud Athenæum XIII. p. 569 C.

Δεδιότα κἂν τῇ χειρὶ τὴν ψυχὴν ἔχον-
τα, πῶς ποτ' ὦ δέσποινα ποντία Κύπρις.

ubi membranæ Parisienses ἔχοντα ἂς πῶς ποτ'—Κύπρι. Sed audi Porsonum in Appendice ad Toupii Emend. T. IV. p. 501. " Licentia, quam defendit Toupius, nunquam tragicis nec " comicis nisi per jocum, ut Eupolidi apud Hephæst. concessa " est. Exempla duo, quæ sola ad rem sunt, mendo laborant. " In Xenarcho reponendum,

δεδιότα τ' ἐν τῇ χειρὶ τὴν ψυχὴν ἔχειν·
οἶ πῶς ποτ', ὦ δ'.—

" quod partim viderat Valckenaer. ad Euripid. Hippol. 415. " In Antiphanis fragmento (Athen. VI. p. 224.

πρὸς ἀγορὰν δ' ὅταν
ἔλθω πεπίστευκ' εὐθύς. Ἐμβλέπων γὰρ αὐ-
τοῖς ἰχθυοπώλαις, λίθινος εὐθὺ γίνομαι)

" præter alia minus commoda displicent ista εὐθὺς—εὐθὺ, quo-" rum alterutrum ex altero natum est. Scribendum videtur,

πεπίστευκ'· ἐμβλέπων γὰρ αὐτόθι
τοῖς ἰχθυοπώλαις, λίθινος εὐθὺς γίγνομαι."

Æschylus Prometh. Solut. apud Strabonem IV. p. 183 B. ed. Paris.

ὑπόσκιον θήσει χθόνα, οἷς ἔπειτα συμ-
βαλὼν δῃώσεις ῥᾳδίως Λιγὺν στράτον.

Sed dudum est quod ibi,

θήσει χθόν' οἷς ἔπειτα σὺ
βαλὼν, διώξεις——

emendarit Salmasius. Tali licentia uti noluit Ovidius Ep. Pont. IV. 12, 7.

*Nam pudet in geminos ita nomen findere versus*
*Desinat ut prior hoc incipiatque minor.*

Versuum istorum qui per *συνάφειαν* [1]continuantur alia est ratio.

## CAP. V.

### *De Iambico.*

P. 30. Grammatici nonnulli omnia metrorum genera ex dactylico et iambico orta existimant, ut Marius Victorinus p. 2552 = 142. *Omnia ex dactylo et iambo principalibus orta noscuntur. Nam quæcunque protuleris ex his profluere fontibus, et ad hæc referri, veluti semina, examinando reperies. Hæc enim sola duo metra, quamvis et iambicum heroi sit traductivum, utpote cum trimeter de hexametro manasse noscatur, hæc sola possunt prototyporum prototypa dici, et omnium metrorum elementa, reliqua autem horum ἀποτμήματα.* Est etiam a grammaticis disputatum, an a dactylico potius quam ab iambico disserendi exordium sumerent. Marius Victorinus p. 2513 = 92. *Auspicandum ab eo nobis pede potissimum credidi, qui heroum metrum principium omnium continens etiam nominis sui appellatione signavit: siquidem nonnulli ambigant, a quo e duobus, metrorum ordinem inchoantes, exordium capiant. Nam qui ab iambo initium trahunt, eo studio id fieri volunt, quod idem a brevi, a quo his origo est, incipiens tempore, et longo desinens, veluti a minori ad majus egressus per temporum incrementa consurgat.* (Vide Schol. ad p. 30.) *Pyrrhichius nullum ex se metrum edidit; trochæus vero a longa incipit.* Et Victorino concinunt alii. Hephæstio autem, qui minime suis adstipulatoribus destitutus est, novem recenset prototypa metrorum genera, pedum nomi-

[1] Præceptum Hephæstionis pertinet ad *versus non nexos*, quales plerique sunt. Quorum in fine quoniam pausa et silentium succedit, consentaneum est, una cum versu etiam vocem finiri, ne vocabulum inchoatum, pausa in medio facta, abrumpatur, atque utraque ejus pars trunca et mutila hæreat. Minime vero ad *versus nexos* extendi hoc præceptum potest, qui quoniam una perpetuitate numeri cohærent, nulla interposita pausa, nihil est quod finiri versum in media voce prohibeat. Strophæ vero et systemata, quoniam semper pausam in fine habent, integra voce, ut versus non nexi, finiri debent. HERMANN. El. D. M. p. 669.

nibus, unde originem ducunt, insignita. Nec male factum arbitror, quod ab iambo auspicatus sit.

Sed priusquam ad singula metrorum genera illustranda accedemus, proderit fortasse ut ictuum, sive accentuum metricorum, ratio exponatur. In hanc rem itaque nonnulla placuit excerpere ex Dawesii Miscell. Crit. sect. V. init. "Metra iam-"bica notum est præter iambum, uti et trochaica præter "trochæum, pedes recipere tribrachyn, spondeum, dactylum, "et anapæstum. In ipsis iambo et trochæo, cum illum syl-"labæ brevi longa, hunc longæ brevis subjecta constitueret, "postulabat rei musicæ necessitas ut accentum longæ sedes "determinaret. Spondeus autem cum ex duabus longis con-"staret, adeoque ad ictus sedem per se plane esset indifferens, "ei autem pes uterque de certis sedibus summa cum comitate "cederet; haud levis profecto contumaciæ arguendus veniret, "ni in versu iambico iambi, in trochaico trochæi rationem "commodus vicissim ac patiens sequeretur. Tribrachys simi-"liter pedi utrique morem gerebat. In metro utique iambico "in secundam, in trochaico in primam ictum cadere patieba-"tur. Dactylus denique et anapæstus in utroque metro "spondei, utpote cui æquipollerent, ingenio sese accommo-"dabant. Haud dissimiliter in metro anapæstico, cum in "ipsius anapæsti ultimam ictus necessario caderet, hujus iti-"dem indoli spondeus, dactylus, et proceleusmaticus obtem-"perabant. Hinc adeo canon exsurgit; *In metris iambicis* "[1]*iambi*, [2]*spondei, et* [3]*anapæsti in ultimam*, [4]*tribrachi et* [5]*dac-*"*tyli in mediam: in trochaicis pedis* [6]*cujusque in primam:* "*in anapæsticis* [7]*anapæsti et* [8]*spondei in ultimam*, [9]*dactyli et* "*proceleusmatici in penultimam, ictus cadit.* Quod autem in "tribrachi, dactyli, et proceleusmatici penultima potius quam "ultima locum habeat, nihil est ut quisquam miretur; nam "in horum cujuslibet ultima nescio quid importuni atque ab-"soni efficeret.

[3]*Πριαμού* | [1]*τε πά*|[1]*τρος ός* | [1]*μ'επεί* | [1]*Φρυγών* | [1]*πολίν*
[2]*κινδύ*|[1]*νος έσ*|[4]*χε δόρι* | [1]*πεσείν* | [2]*Ελλή*|[1]*νικώ.*
[2]*και τόν* | [1]*φυτούρ*|[5]*γον Πρία*|[1]*μον ούκ* | [2]*αλλών* | [1]*παρά.*
[6]*καί το* | *δόρυ χρη*|*τόν οβε*|*λίσκον*
*πέριπα*|*τείν ε*|*χόντας* | *ήμας.*
[9]*αλλ' ίθι* | [8]*χαιρών* | *και πρά*|*ξειάς*
[7]*κατα νόυν* | *τον εμόν* | [9]*και σέ φυ*|[8]*λαττοί.*

"Easdem accentuum leges Latini itidem poëtæ violare refor-
"midabant. Atque in Bentleiana quidem Terentii editione
"versuum iambicorum et trochaicorum pedes alternos accen-
"tibus notatos videre est. Quæ quanquam res a viro Cl. ita
"administrata sit, ut adversus canonem a nobis jam primo
"traditum vix unquam peccet: attamen ni vir Cl. aurem
"unice magistram non artem secutus esset, regulam opinor,
"uti nos, inculcasse paucissimisque exemplis illustrasse con-
"tentus immenso suo in depingendis accentibus labori pe-
"percisset, atque a typographo insuper gratiam haud levem
"iniisset. Quin etiam ipsi discentium commodo, quod in
"animo habuisse se profitetur, efficacius consuluisset; quippe
"hoc pacto effecisset ut ne iis pedes quique alterni a se præ-
"termissi moram injicerent. Est quidem ubi vir Cl. tam auris
"quam artis monita neglexisse videtur, cum utique illud
"Plautinum,

*Piscíbus in álto crédo praébent pábulum*

"ita efferri voluerit, ut verbi *piscibus* in prima ictus vim ob-
"tineret.

"Unum porro discentium in commodum libet adjicere.
"Caveant utique, sedulo caveant velim in legendis versibus
"senariis, ne importunam atque odiosam syllabarum distri-
"butionem imitentur, quam Galli hodierni in suis perpetuam
"servant: hoc est, ne pedes magis dimetiantur quam nume-
"rorum harmoniæ gratiæque consulant. Id quod in eos
"cadere dicendum est, qui efferre solent,

ηκώ | νεκρών | κευθμώ|να καί | σκοτού | πυλάς.
λιπών | ιν' Αί|δης χώ|ρις ώ|κισταί | θεών.

"Aut etiam per dipodiam,

ηκώ νεκρών | κευθμώνα κάι | σκοτού πυλάς.

"Nempe utrovis modo cæsuræ venustas et gratia tota perit.
"Hoc incommodum evitaturus aliam sibi scandendi rationem
"instituit cl. Bentleius. Ipsum autem audias. *Quare ego*
"*jam ab ipsa adolescentia in omnibus iambicis præter tetrame-*
"*trum catalecticum, de quo postea dicam, aliam mihi scansionis*
"*rationem institui, per* διποδίαν *scilicet* τροχαϊκην, *hoc modo,*

"Po|ëta dederit | quæ sunt adoles|centium.

"*primo semipede quasi subducto et absciso, versu autem in dacty-*
"*lum vel creticum exeunte.* Fateor equidem hanc rationem
"ubi cæsura sit πενθημιμερης satis commodam venire. In

" cæsura vero ἑφθημιμερει secus se res habet. Verbi gratia,
" si senarium supra descriptum ita dimetiaris,

η|κω νεκρων κευθ|μωνα και σκο|του πυλας.

" ubinam obsecro est decantata cæsuræ virtus? Abiit, exces-
" sit, evasit. Tu vero, si me satis audies, eam legendi ratio-
" nem servabis, ut per seriem iambicam ascendas, usque dum
" ad cæsuram, sive πενθημιμερη seu ἑφθημιμερη, perveneris:
" syllabam autem quæ cæsuram constituit tanquam pedis
" præcedentis jam majoris facti partem enuncies: deinde
" autem per trochaicam, quam syllaba catalectica claudet, ita
" descendas, ut ultimus trochæus cum syllaba sequente tan-
" quam pes unus, creticus scilicet, efferatur.

ἥκω̄ | νε̆κρῶν | κεῦθμω̄νᾰ || καὶ σκο̆|τοῦ πῠλᾱς.
λῐπω̄ν | ἵν' ᾱδης || χω̄ρῐς | ω̄κῑ|σταῖ θε̆ω̄ν
Πο̆λῠδω̄|ρο̆ς ε̆κᾰβῆς || παῖς γε̆|γω̄ς τῆς | Κῐσσε̆ω̄ς.

" Observabis autem in versu altero et tertio haberi etiam
" cæsuram τριήμιμερη. Proinde si in his statim post pedem
" primum cæsura adauctum seriem trochaicum inchoaveris,
" nihilo minor evadet numerorum venustas.

λιπών ιν || ᾁδης | χώρις | ώκι|σταί θεων.
Πολυδώρος || ἑκαβης | παίς γε|γώς τῆς | Κίσσεως.

" Similiter perinde erit ad versus concinnitatem, si vel inci-
" sione ἑφθημιμερει observata legeris,

προς οί|κον ευ|θυνόντας || ἑναλι|άν πλατην,

" vel τριήμιμερει,

προς οίκον || εύθυ|νόν τας | ἑναλί|άν πλατην."

Statuit porro Dawesius accentum sive ictum nunquam cadere in τις non interrogantem p. 197. in particulam γε p. 250. cui addatur τε. in ultimam vocis hyperdisyllabæ[m] correptam p. 211. 328. Huc etiam pertinet regula, cui injuria obloquitur Marklandus ad Euripid. Suppl. 901, anapæstum nempe dactylo vel tribracho nunquam subjici pp. 253. 300. 323. Loca ab Hermanno prolata De Metris lib. II. c. XIV.[n] pleraque sunt a viris eruditis jam reformata.

Statuit etiam Dawesius, p. 216. Bentleium aliosque secu-

[m] hyperdisyllabæ] Pauca exempla huic regulæ adversantia protulit Dindorf. ad Soph. Œd. Tyr. 867.

[n] Vide Elem. Doct. Metr. II. 14. p. 126 seqq. necnon Dobræi Addenda ad Aristophanica Porsoni p. (111) seqq.

tus, poësin Atticam, in iambicis saltim et trochaicis, ab hiatu vocalium et diphthongorum prorsus abhorrere. Comici tamen pronomen neutrale τι, ut et præpositionem περὶ, et pauca alia fortasse ejusdem generis, vocabulo a vocali vel diphthongo incipienti haud illibenter præfecerunt. Exempla hiatuum, quæ hic satis apte examinari poterant, nunc prætermittam. Duo tamen ne plane ἀσύμβολος discedam, libet apponere. In fragmentis scilicet Menandri p. 276. ed. Clerici, occurrit versus, quem a Bentleio prave emendatum nescio an alii animadverterint. Lege autem ex Scholiaste Æschyli Prom. 378.

Λόγος γὰρ ἀνθρώποισιν ἴαται νόσους,
ψυχῆς γὰρ οὗτος μόνος ἔχει ΘΕΛΚΤΗΡΙΑ°.

Eundem locum citans Schol. Ven. Il. ο΄. 393. pro θελκτήρια præbet κουφίσματα. In Euripidis Helen. 760.

Κάλχας γὰρ οὐκ εἶπ' οὐδ' ἐσήμηνε στρατῷ
Νεφέλης ὑπερθνήσκοντας εἰσορῶν φίλους·
Οὐδέν | γέ ἄλ|λὰ πόλις ἀνηρπάσθη μάτην.

cum Porsono repone Οὐδ' Ἕλενος· ἀλλὰ πόλις α. μ. Quippe nec Calchas Græcis neque Helenus Trojanis edixit &c.

P. 31, 3. τοῦτον δὲ—παρὰ μὲν τοῖς ἰαμβοποιοῖς καὶ τραγικοῖς ΣΠΑΝΙΩΤΕΡΟΝ] Hoc facile expedies, si de licentia, quam sibi in propriis nominibus sumebant, dictum intelligas. Infra p. 34, 13. anapæstum iambographis diserte eximit Hephæstio, ubi vix dubito quin olim scriptum fuerit, παρὰ μὲν οὖν τοῖς ἰαμβοποιοῖς ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΤΡΑΓΙΚΟΙΣ τοῦτο σώζεται. Confer p. 39, 14. 15. In Archilocho apud Harpocrationem v. παλίνσκιον,

πρὸς τοῖχον ἐκινήθησαν ἐν παλινσκίῳ

Porsonus legendum putabat ἐκυνήθησαν in Append. ad Toupium T. IV. p. 488. Melius Toupius (Porsono ipso id me docente) ib. p. 406. ἐκλίνθησαν. Sic κλίνουσ' pro κινοῦσ' eidem apud Stobæum p. 437. restituit Valckenærius ad Phœn. 1683. Et in universum probabile est veteres iambographos a pedum trisyllaborum usu maxime abstinuisse. Speciosam sane Tyrwhitti emendationem in Archilocho Strabonis XIV. p. 958 = 927. reddunt loca a Valckenærio citata ad Herodotum p. 458, 21. quibus adde Clement. Alexandr. Strom. I. p. 398. Harpocrat. v. Στρύμη. Sed conjecturæ istiusmodi non temere ad-

° ΘΕΛΚΤΗΡΙΑ] Sic edidit Meinekius in Comic. Fragm. T. IV. p. 240.

mittendæ sunt. Dactylus primam sedem occupat in fragmento ejusdem Archilochi apud Athenæum XII. p. 523 D. E.

*οὐ γάρ τι καλὸς χῶρος, οὐδ' ἐφίμερος,*
*οὐδ' ἐρατὸς, οἷος ἀμφὶ Σίριος ῥοάς.*

P. 32, 1. *δίμετρα*] Systema dimetrorum, quod ex omni quidem parte legitimum sit, in tragicorum reliquiis non deprehendi. Haud raro tamen in melicis P istius moduli reperiuntur versus, ad poëtarum libitum aliis generibus immisti. Octo continuos habet Euripides Troad. 551.

*'Εγὼ δὲ τὰν ὀρεστέραν*
*τοτ' ἀμφὶ μέλαθρα παρθένον*
*Διὸς κόραν [Ἄρτεμιν] ἐμελπόμαν*
*χοροῖσι· φοινία δ' ἀνὰ*
*πτόλιν βοὰ κατεῖχε Περ-*
*γάμων ἕδρας· βρέφη δὲ φίλι-*
*α περὶ πέπλους ἔβαλλε μα-*
*τρὶ χεῖρας ἐπτοημένας.*

Lyrici contra et comici hujusmodi systemata libenter admiserunt: exempli gratia,

Alcman Athenæi X. p. 416 D.

*ὥρας δ' ἔσηκε τρεῖς· θέρος*
*καὶ χεῖμα, χὠπάραν τρίταν,*
*καὶ τέτρατον τὸ Ϝῆρ, ὅκα*
*σάλλει μὲν, ἐσθίεν δ' ἄδαν*
*οὐκ ἔντι.*

Prisciani I. pp. 546, 547.

*καὶ χεῖμα, πῦρ τε δάϜιον.*

P istius moduli] Apud tragicos dimetri acatalecti perpetuo numero conjuncti reperiuntur, sed tragicorum systematum hoc proprium est, quod non versu catalectico, sed alio metro, quam quo systema factum est, clauduntur, ita tamen ut eadem perpetuitatis lege hic ultimus versus, quam si ejusdem generis esset, cum prioribus conjungatur, ac proinde in fine præcedentis versus neque hiatus veniam habeat, et syllaba anceps, quæ quidem turbare tenorem numeri possit, vitetur. Eodem illi modo etiam trochaica systemata composuere. Utriusque generis exemplum est in Euripidis Orest. 988. ed. Pors.

*ὅθεν δόμοισι τοῖς ἐμοῖσ-*
*ιν ἦλθ' ἀρὰ πολύστονος,*
*λόχευμα ποιμνίοισι Μαιάδος τόκου*
*τὸ χρυσόμαλλον ἀρνὸς ὁπότ'*
*ἐγένετο τέρας ὀλοὸν ὀλοὸν*
*'Ατρέος ἱπποβότα.*
*ὅθεν ἔρις τό τε πτερωτὸν*
*ἁλίου μετέβαλεν ἅρμα*
*τὰν πρὸς ἑσπέραν κέλευθον*
*οὐρανοῦ προσαρμόσασα*
*μονόπωλον ἐς ἀῶ.*

HERMANN. E. D. M. p. 102.

Anacreon Athenæi X. p. 447 a.

*Μήδ' ὥστε κῦμα πόντιον*
*λάλαζε, τῇ πολυκρότῃ*
*σὺν Γαστροδώρῃ καταχύδην*
*πίνουσα τὴν ἐπίστιον.*

Aristophanes Ran. 1002.

ΕΥ. *τοιαῦτα μέντοι 'γὼ φρονεῖν*
*τουτοῖσιν εἰσηγησάμην,*
*λογισμὸν ἐνθεὶς τῇ τέχνῃ*
*καὶ σκέψιν, ὥστ' ἤδη νοεῖν*
*ἅπαντα, καὶ διειδέναι,*
*τά τ' ἄλλα, καὶ τὰς οἰκίας*
*οἰκεῖν ἄμεινον ἢ προτοῦ,*
*κἀνασκοπεῖν, Πῶς τοῦτ' ἔχει;*
*Ποῦ μοι τοδί; Τίς τοῦτ' ἔλαβε;*
ΔΙ. *νὴ τοὺς θεοὺς, νῦν γοῦν 'Αθη-*
*ναίων ἅπας τις εἰσιὼν*
*κέκραγε πρὸς τοὺς οἰκέτας,*
*ζητεῖ τε, Ποῦ 'στιν ἡ χύτρα;*
*Τίς τὴν κεφαλὴν ἀπεδήδοκεν*
*τῆς μαινίδος; τὸ τρυβλίον*
*τὸ περυσινὸν τέθνηκέ μοι·*
*ποῦ τὸ σκόροδον μοι τὸ χθεσινόν;*
*Τίς τῆς ἐλάας παρέτραγεν;*
*τέως δ' ἀβελτερώτατοι,*
*κεχηνότες Μαμμάκυθοι,*
*Μελητίδαι κάθηντο.*

ubi observandum v. 1010. tribrachyn ultimam sedem occupare. In v. 1018 anapæstum tollit post Lobeckium Dindorfius legendo *σκόροδον τὸ χθιζινόν*. De synaphia supra est monitum: propter quam, ut videtur, vocabula aliquando reperiuntur divisa, ita ut eorum pars in priore versu, pars reliqua in sequenti legatur, veluti in Pherecrate Athenæi III. p. 96 B.

*καὶ δῆθ' ὑπάρχει τέμαχος ἐγ-*
*χέλειον ὑμῖν, τευθὶς, ἀρ-*
*νειον κρέας, φύσκης τόμος,*
*ποὺς ἑφθὸς, ἧπαρ, πλευρὸν, ὀρ-*
*νίθεια πλήθει πολλὰ, τυ-*
*ρὸς ἐν μέλιτι, μερὶς κρεῶν.*

Systemata plerumque claudit catalecticus, cui nonnunquam præfigitur monometer, seu [q]basis iambica, ut Equit. 377.

τὴν γλῶτταν ἐξείραντες αὐ-
τοῦ, σκεψόμεσθ' εὖ κἀνδρικῶς
κεχηνότος
τὸν πρωκτὸν εἰ χαλάζᾳ.

Sed in catalectico hoc diligenter curatum est, ut iambus syllabam catalecticam semper antecedat. Hermannus quidem de Metris p. 146. anapæstum secunda etiam sede arcet; sed vide supra Ran. 1015. Nub. 1102.

ἐξαν|τομολῶ | πρὸς ὑ|μᾶς.

In loco ibidem prolato Acharn. 1038.

σπονδαῖσιν ἡδύ· κοὐκ ἔοι-
κεν οὐδενὶ μεταδώσειν.

divisim scribendum esse οὐδ' ἑνὶ monuit Elmsleius Porsonum citans in præfat. Euripid. Hec. p. xxxiv.

Systemata pura dimetrorum apud Aristophanem sunt quæ sequuntur: Equit. 366–380. 441–454. 907–936. Nub. 1085–1102. Ran. 387–396.

Eosdem cum tetrametris miscet idem comicus Plut. 293. 294. 304. 306. 311. 313. 317–320. quorum ultima sic distingue

λαβών τιν' ἄρτον καὶ κρέας
μασώμενος, τολοιπὸν οὕ-
τω τῷ κόπῳ ξυνεῖναι.

Systema tetrametrorum iisdem claudit comicus Nub. 1389—1392. 1448—1453. Versus 1446, 1447. dimetros putabat Dawesius, qui sic eos tacite emendat p. 189.

τοῦθ' ετερον αυ μειζον κακον.
τι δ' ην τον ηττω 'γωγ' εχων.

Recte vero Hermannus, MS. Ravennatem secutus, in unum tetrametrum conjunxit,

τοῦθ' ἕτερον αὖ μεῖζον κακόν. τί δ' ἦν ἔχων τὸν ἥττω.

Dimetri cum trimetris miscentur Acharn. 262–269. 273. 274.

In Acharn. 835–859. quatuor sunt strophæ e sex versibus singulæ constantes, quorum primus et secundus sunt iambici tetrametri catalectici, tertius, quartus et quintus, iambici di-

[q] Marius Victorinus p. 2489. *Græco sermone duorum pedum copulatio Basis dicitur, veluti quidam gressus pedum.* Schol. Euripid. Hec. 59. μονόμετρα ἀκατάληκτα, ὃ καὶ ἀναπαιστικὴ ὀνομάζεται βάσις.

metri[r], sextus ionicus a majore dimeter brachycatalectus, sive syllaba, dactylus, spondeus. In v. 850. negantem particulam, sensui non magis quam metro noxiam, delevit Porsonus.

Antistrophica sunt ex dimetris et dimetris catalecticis Acharn. 1007–1016. 1336–1045.

Ejusdem fabulæ versus 935–944. sic videntur distribuendi,

κρατὴρ κακῶν, τριπτὴρ δικῶν,
φαίνειν ὑπευθύνους λυχνοῦ-
χος, καὶ κύλιξ
τὰ πράγματ' ἐγκυκᾶσθαι.
ΧΟ. πῶς δ' ἂν πεποιθοίη τις ἀγ-
γείῳ τοιούτῳ χρώμενος
κατ' οἰκίαν
τοσόνδ' ἀεὶ ψοφοῦντι;
ΔΙ. ἰσχυρόν ἐστιν, ὦ 'γαθ', ὥστ'
οὐκ ἂν καταγείη ποτ' εἴ-
περ ἐκ ποδῶν
κατωκάρα κρέμαιτο.

Dimetri sunt etiam Ach. 1190–1195. 1230–1232. Vesp. 866–868. 881–885. 1326–1329. et quibusdam aliis immistis Av. 406–433.

P. 32, 6. τρίμετρα] Trimetrorum, sive senariorum, leges

[r] Bentleius Σχεδιασμ. de Metris Terentianis init. " Iambicus versus " senorum pedum Latinis veteribus " *Senarius* vocabatur, a pedum et " ictuum numero. Horatius A. P. " 251.

*Syllaba longa brevi subjecta vocatur* iambus,
*Pes citus: unde etiam trimetris accrescere jussit*
*Nomen iambeis, cum senos redderet ictus*
*Primus ad extremum similis sibi.*

" Sex, inquit, habet ictus versus se- " narius, et tamen trimetrus sive " *ternarius* Græcis vocatur; quasi " tres tantum ictus redderet, ob pedis " celeritatem, præsertim cum totus " iambis puris decurrit. Latini igi- " tur per μονοποδίαν, *singulos pedes*, " hos versus dividebant; Græci per " διποδίαν, seu *geminatos*. Inde qui " Græcis est *tetrametrus*, Varroni a " pedum numero est *octonarius*. " Juba rex apud Rufinum de Metris " p. 2712. *Quod autem binis pedibus,* " *et non singulis, scandatur iambicus,* " *vetus institutum est.* Et mox: *Unde* " *apparet heroicum singulis pedibus* " *scandi etiam apud veteres solitum,* " *iambum autem binis.* Marius Vic- " torinus p. 2497. *Per monopodiam* " *sola dactylica scanduntur, per di-* " *podiam vero cetera.* Nescivit hic " bacchiacos et creticos, quos etiam " monopodia dimetitur. Diomedes " p. 503. *Feritur senarius iambicus* " *combinatis pedibus ter.* Terentia- " nus Maurus p. 2432.

*Iambus ipse* sex *enim locis manet*
*Et inde nomen inditum est* senario:
*Sed* ter *feritur, hinc* trimetrus *dicitur,*
*Scandendo binos quod pedes conjungimus.*

" *Ictus, percussio* dicitur; quia tibi- " cen, dum rythmum et tempus

exposuit Porsonus in aurea sua ad Euripidis Hecubam [s] præfatione; quam sæpius iterumque pertractandam lectoribus meis commendo. Interim ex ea delibare placuit, quæ summam præceptionum ejus continere videantur.

Tragici igitur [t] anapæstum, nisi in primo senarii pede et nominibus propriis, rarissime vel nunquam adhibebant; rarissime versus cæsura carentes scripsere; rarissime, si unquam, pausam neglexere, hoc est, in quinto loco spondeum inter duo verba hypermonosyllaba divisere, ut in primo Euripidei Ionis

*Ἄτλας | ὁ χαλ|κέοι|σι νώ|τοις οὔ|ρανον.*

dactylum certe in eodem quinto pede nunquam posuere. Rarissime etiam permisere ut pedes tertius [u] et quartus integras voces vel vocum partes facerent. Sed hæc omnia sibi libenter permisere comici.

" moderabatur, ter in trimetro, quater in tetrametro, solum pede feriebat: Ἄρσις autem sive *elevatio* appellatur, quod in iisdem syllabis, quibus tibicen *pedem* accommodabat, actor *vocem* acuebat ac tollebat. In *thesi* autem sunt ceteræ syllabæ, quæ ictu destitutæ minus idcirco audiuntur."

[s] Hujus præfationis eam partem quæ rem metricam spectat, una cum Elmsleii Censura, ne quis aliunde quærat, appendicis loco infra imprimendam curabo.

[t] anapæstum nisi in primo senarii pede] Notat Hermannus Elem. Doct. Metr. p. 119 seqq. antiquiorem tragœdiam eum anapæstum respuere, qui ex pluribus vocabulis constet, neque eum admittere, qui ex verbis augmento potitis nascatur.

[u] Marius Victorinus p. 2525 = 106. *Tomas, id est divisiones versuum, recipit penthemimerim et hephthemimerim, id est quinariam et septenariam. E quibus penthemimeres in trimetris satis probatur quæ per binos iambos et semipedem verba finit,*

Divi potentes | ferte lassatis opem,

*pessimus autem qui singula verba in dipodiis habet,*

Præsentium | divinitas | cælestium.

A. Gellius XVIII. 15. *In longis versibus qui hexametri vocantur, item in senariis, animadverterunt metrici duos primos pedes item extremos duos habere singulos posse integras partes orationis, medios haud unquam posse: sed constare eos semper ex verbis aut divisis aut mixtis atque confusis. Marcus etiam Varro in libris Disciplinarum scripsit, observasse sese in versu hexametro, quod omnimodo quintus semipes verbum finiret: et quod priores quinque semipedes æque magnam vim haberent in efficiendo versum atque alii posteriores septem: idque ipsum ratione quadam geometrica fieri disserit.*

Ceterum ex subjecto schemate præcipuæ senariorum formæ tironibus colligendæ sunt.

## METRUM IAMBICUM TRIMETRUM ACATALECTUM. TRAGICUM.

| | 1 2 3 4 5 6 |
|---|---|
| Purum. Soph. Aj. 5. | *πάλαι κυνηγετοῦντα καὶ μετρούμενον.*<br>⏑ – \| ⏑ – \| ⏑ – \| ⏑ – \| ⏑ – \| ⏑ – |
| Tribrachys in prima Eurip. Troad. 510. | *ἄγετε τὸν ἁβρὸν δή ποτ' ἐν Τροίᾳ πόδα.*<br>⏑ ⏑ ⏑ \| ⏑ – \| – – \| ⏑ – \| – – \| ⏑ – |
| ——— in secunda ib. 500. | *τρυχηρὰ περὶ τρυχηρὸν εἱμένην χρόα.*<br>– – \| ⏑ ⏑ ⏑ \| – – \| ⏑ – \| ⏑ – \| ⏑ – |
| ——— in tertia ibid. 501. | *πέπλων λακίσματ' ἀδόκιμ' ὀλβίοις ἔχειν.*<br>⏑ – \| ⏑ – \| ⏑ ⏑ ⏑ \| ⏑ – \| ⏑ – \| ⏑ – |
| ——— in quarta ibid. 369. | *πόλιν τε δείξω τήνδε μακαριωτέραν.*<br>⏑ – \| ⏑ – \| – – \| ⏑ ⏑ ⏑ \| ⏑ – \| ⏑ – |
| ——— in quinta Helen. 519. | *ἄλλους τυράννους αὐτὸν ὄντα βασιλέα.*<br>– – \| ⏑ – \| – – \| ⏑ – \| ⏑ ⏑ ⏑ \| ⏑ – |
| Spondeus 1ma, 3tia, 5ta Troad. 498. | *ἢ σιτοποιεῖν κἂν πέδῳ κοίτας ἔχειν.*<br>– – \| ⏑ – \| – ⏑ \| ⏑ – \| – – \| ⏑ – |
| Dactylus in prima Troad. 480. | *οὐκ ἀριθμὸν ἄλλως ἀλλ' ὑπερτάτους Φρυγῶν.*<br>– ⏑ ⏑ \| ⏑ – \| – – \| ⏑ – \| ⏑ – \| ⏑ – |
| ——— in tertia ibid. 499. | *ῥυσσοῖσι νώτοις βασιλικῶν ἐκ δωμάτων.*<br>– – \| ⏑ – \| – ⏑ ⏑ \| ⏑ – \| – – \| ⏑ – |
| Anapæstus in prima Phœn. 542. | *φιλοτιμίας παῖ μὴ σύ γ' ἄδικος ἡ θεός.*<br>⏑ ⏑ – \| ⏑ – \| – – \| ⏑ ⏑ ⏑ \| ⏑ – \| ⏑ – |

Exempla anapæstorum in propriis nominibus pro se quisque facile colliget.

## SATYRICUM.

In Satyricis fabulis anapæstus in secunda, quarta, et quinta sedibus invenitur; in tertia fortassse nunquam. Exstat quidem Cycl. 234. sed ibi cum Musgravio legendum *ἐξεφροῦντο.*

| | |
|---|---|
| Anapæstus in secunda Cycl. 260. | *ἐπεὶ κατελήφθη σου λάθρα πωλῶν τὰ σά.*<br>⏑ – \| ⏑ ⏑ – \| – – \| ⏑ – \| – – \| ⏑ – |
| ——— in quarta ibid. 343. | *πῦρ καὶ πατρῷον τόνδε λέβητά γ' ὃς ζέσας.*<br>– – \| ⏑ – \| – – \| ⏑ ⏑ – \| ⏑ – \| ⏑ – |
| ——— in quinta ibid. 242. | *θήξεις μαχαίρας καὶ μέγαν φάκελον ξύλων.*<br>– – \| ⏑ – \| – – \| ⏑ – \| ⏑ ⏑ – \| ⏑ – |

Pausa negligitur Eurip. Cycl. 304.

ἅλις δὲ Πριάμου γαῖ' ἐχήρωσ' | Ἑλλάδα.

In Satyris quoque trisyllabi pedes frequentius occurrunt, quod a Scholiaste p. 183. notatum idoneis auctoritatibus adstruit Casaubonus de Sat. Poës. p 222.

COMICUM.

Anapæstus in 1. 2. 3. 4. 5. Aristoph. Vesp. 973.

κατάβα κατάβα κατάβα κατάβα καταβήσομαι.
⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ –

Dactylus in quinta Menander apud Suid. v. Ἅβρα.

αὐτὰς ἅβρα τῆς μητρὸς αὐτῶν γενομένη.
– – | ⏑ – | – – | ⏑ – | – ⏑ ⏑ | ⏑ –

Aliquando statueram omnes versus, qui mihi saltim cogniti essent, anapæstos sedibus illicitis continentes corradere, et simul in lectoris gratiam exhibere. Nunc, mutata paullum sententia, tres tantum Æschyli versus subjiciam, quorum in priore anapæstus sedem quartam, in duobus posterioribus quintam occupat. In Prom. itaque 354. Τυφῶνα θοῦρον πᾶσιν ὃς ἀντέστη θεοῖς. MS. Barocc. ὃς πᾶσιν. Porsonus in Adversariis p. 150. correxit Τυφῶνα θοῦρον ὅστις ἀ. θ. deleto πᾶσιν, quod e glossa [t] in textum irrepsit. Verum hanc emendationem hodie minus probant viri docti. Aliorum conjecturas congessit Hermannus. Ibid. 681, ἀπροσδόκητος δ' αὐτὸν αἰφνίδιος μόρος. Supra αἰφνίδιος MS. Seldenianus scriptum habet ἐξαίφνης, et hoc verum esse mecum fortasse sentient eruditi, si pauca quædam de indole istius codicis prius enarravero. Codex est chartaceus, haud magnæ molis, forma quadrata, recens, sed ex antiquo descriptus, qui, ut videtur, non interpretamenta solum sed lectiones etiam diversas singulis lineis interpositas habuit. Quum itaque antiquior iste codex librario in manus iterum describendus traderetur, is, neglecto prorsus glossarum et variarum lectionum discrimine, postquam textum absolverat, reliqua omnia uno tenore eodemque charactere intervallis versuum inseruit. Hinc factum est, ut vera lectio cum gl. aliquoties confundatur, depravata textui [u] immisceatur. Prom. 943. Τὸν ἐξαμάρτοντ' εἰς θεούς, τὸν ἐφη-

[t] In S. Theb. 260. MS. Selden. habet αὐτή σὺ δούλοις κἀμέ, καὶ $\overset{\text{πᾶσαν}}{\text{σὲ καὶ}}$ πόλιν. Hinc perspicuum est unde derivatur vulgata lectio κἀμὲ καὶ πᾶσαν πόλιν.

[u] Ita olim. Nunc cum Hermanno legere malim αἰφνίδια, cujus interpretatio est ἐξαίφνης.

*μέροις.* Secundum *τὸν* sensui parum commodum omittunt MS. Selden. et unus Mosquensium. Porsonus emendabat *κἀφημέροις*, Hermannus edidit *τὸν ἡμέροις* cum Med.

P. 32, 8. *τετράμετρα*] Tetrametros acatalectos a tragicis Græcis usurpatos esse negant Bentleius ad Ciceron. Tusc. Disp. I. 44. et Valckenærius Diatr. Eurip. p. 176. a comicis pariter ac tragicis Dawesius Misc. Cr. p. 28. et Porsonus Append. ad Toupium IV. p. 454. Marius Victorinus p. 2528 = 111. *Admonemur hic quod apud Græcos celebratur non prætermittere, Boiscum Cyzicenum supergressum hexametri legem, iambicum metrum in octametrum versum extendisse, sub hujusmodi epigrammate,*

> Βόϊσκος ᾽ἀπὸ Κυζίκου, παντὸς γραφεὺς ποιήματος,
> τὸν ὀκτάπουν εὑρὼν στίχον Φοίβῳ τίθησι δῶρον.

Ibid. 10. *δίμετρα*] Dimetros catalecticos [x] *ἡμιάμβους* vocat scholiastes Nicandri Theriac. 377. Locus Herodæ ibi citatus dabitur ex emendatione Toupii in Suid. T. II. p. 364.

> φύγωμεν ἐκ προσώπου,
> μή σ᾽ ἐμπεσὼν ὁ πρέσβυς
> οὐλῇ κατ᾽ εὐθὺ κρατὸς
> βατηρίῃ χαλέψῃ.

Promathidæ *ἡμιάμβους* memorat Athenæus VII. p. 296 B. cf. Casaubon. ad I. p. 19 C.

In Aristoph. Ran. 419. systema est ex octo triasin constans, quarum duo versiculi priores iambici sunt dimetri catalectici, tertius iambicus trimeter:

> βούλεσθε δῆτα κοινῇ
> σκώψωμεν ᾽Αρχέδημον
> ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτορας.

v. 440. reliquis deletis legit Hotchkisius *αἶροι᾽ ἂν αὖθις αὖγε.* Equidem malim propius ad MSS. *αἶροι᾽ ἂν αὖθις, ὦ παῖ.*

P. 33, 1. *τρίμετρον*] Trimetros catalecticos adhibuit Archilochus in Epodis, veluti apud Stobæum LXIV. 11.

[x] *ἡμιάμβους*] v. Meineke Anal. Alex. p. 389. Tricha de Metris p. 8. *᾽Ιστέον δὲ, ὅτι τοῦτο τὸ καταληκτικὸν δίμετρον καὶ ἡμίαμβον παρ᾽ ἡμῖν ὀνομάζεται.* Schol. Nicandri in MS. Vatic. Bastio teste sic legitur: *καὶ ῾Ηρω ὁμοίως ὁ ἡμίαμβος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ ῡ. φεύγων μ. ἐ. π. μή σ᾽ ἐκπερῶν π. ο. κ. ε. βακτηρίῃ καλύψῃ.*

τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθεὶς
πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευε

quo genere metri post eum usus est Horatius, Carm. I. 4. In melicis aliquando posuere tragici: e. g. Euripides Helen. 640. 641. Continuis hujusmodi versibus usus videtur Alcman Athenæi III. p. 111 A.

κλίναι μὲν ἑπτὰ καὶ τόσαι τράπεσδαι
μακωνίδων ἄρτων ἐπιστέφοισαι
λίνῳ τε, σασάμῳ τε κὴν πελίχναις—

Iterum XIV. p. 648 B.

ἤδη παρέξει πυάνιόν τε πόλτον
χίδρον τε λευκὸν κηρίναν τ' ὀπώραν.

Phalæcus Anthol. Pal. XIII. 5.

Νικῶ δίαυλον. ἀλλ' ἐγὼ παλαίων.
ἐγὼ δὲ πανταέθλον. ἀλλ' ἐγὼ πύξ.
καὶ τίς τύ; Τιμόδημος. ἀλλ' ἐγὼ Κρής.
ἐγὼ δὲ Κρηθεύς. ἀλλ' ἐγὼ Διοκλῆς.
καὶ τίς πατήρ τοι; κλεινὸς ὥσπερ ὔμμιν.
ἔμπη δὲ νίκης; Ἰσθμόν. ᾗ τὺ δ' ἔμπη;
Νέμειον ἂν λείμωνα, καὶ παρ' Ἥραν.

P. 33, 3. τετράμετρον] De tetrametro catalectico, sic Marius Victorinus p. 2574=172. *Ut Archilochus creticum iambico trimetro præposuit, ut faceret tetrametrum trochaicum, ita Hipponax trimetro iambico ultimum adjunxit antibacchium ex prima brevi, longis duabus.——Frequens hoc comicis metrum et præcipue antiquæ comœdiæ scriptoribus, nostri quoque Plautus et Cæcilius et Turpilius non aspernati sunt; Atellanarum autem scriptores appetiverunt; est enim jocosis motibus emollitum, gestibusque agentium accommodatum.*

Hujus speciei leges exposuit Porsonus in Supplemento ad Præfátionem Euripid. Hecub. p. xxxix. "Duabus rebus a comico senario hoc differt; primo quod quartus pes semper iambus vel tribrachys sit oportet; secundo, quod sextus pes anapæstum etiam admittit. Sed pes catalecticam syllabam præcedens non iambus esse nequit; nisi in proprio nomine, ubi conceditur anapæstus; quod de quarto etiam pede intelligi velim." Vide ibi multo plura. Interim haud incommodum est animadvertere scholiastem ad Aristoph. Thesm. 547. ἐγένετο Μελανίππας ποιῶν, Φαίδρας τε Πηνελόπην δέ, hæc

habere: *τοῦτο μόνον τὸ τετράμετρον ἰαμβεῖον ἀνάπαιστον ἔχει τὸν καταλήγοντα. Ἄξιον οὖν αὐτὸν τηρῆσαι.*

Ad hanc speciem retulerunt eruditorum nonnulli versus istos semibarbaros Græcis neotericis usitatissimos, *πολιτικῶν*, sive *vulgarium*, nomine designatos; quibus tamen[y] alii trochaicos numeros inesse censuerunt. Sed præstat integram exhibere disputationem Ducangii, Glossario Med. et inf. Latinitatis insertam. "[z] POLITICI VERSUS, quo carminis "genere conscripti complures in manibus teruntur recentiorum "Græcorum libri, unde dicantur, non parva est difficultas; in "qua enodanda, si liceat mihi extra instituti metas paullo "excurrere, dicam quod sentio.

"VERSUS POLITICI haud multum abludunt ab eo "genere versuum, quos dithyrambicos veteres appellarunt. "Nam ut ii nullam numerorum, nullam carminum recurren- "tium certam legem habebant, quod docet [a]Aristoteles, sed "numeris lege solutis feruntur, ut ait Horatius: ita et politici "minime ad exactam metri formam conscripti sunt. Sylla- "barum enim certo numero, qui vix ultra 15 excurrit, cre- "brisque metaphoris, *ὀνομάτων διπλώσεσι*, et *συνθέτοις ὀνόμασι*, "constant: quæ omnia dithyrambicis adscribit Demetrius "Phalereus, seu Dionysius Halicarn. lib. *περὶ ἑρμηνείας* p. 39, "44. ed. Morell. nisi forte dicamus eos similes esse veteribus "Sibyllinis, quos longos fuisse asseverant Cicero et Varro.

"Versus politicos heroicis adscribit Scholiastes Hephæ- "stionis p. 91=191. quo loco septem genera carminum heroi- "corum recenset, in quibus *politicum* est postremum, quod sic

[y] Salmasius ad Flavium Vopiscum p. 352. "Politici versus recentium "Græcorum mensuram metri tro- "chaici tetrametri numero syllaba- "rum adæquant, a rhythmis tro- "chaicis incedunt." Santenius ad Terent. Maur. p. 188. "Recentiorum "Græcorum poësis vulgaris, et La- "tina etiam ex magna parte, tro- "chaicum octonarium catalecticum "quindecim syllabarum numero "æquabat: vel, quod hic eodem "redit, iambicis constabat duobus "dimetris, priore acatalecto, poste- "riore catalectico:—vid. Fabricium "Bibl. Gr. l. V. c. 42, 3. T. X. p. "253, et l. IV. c. 31. §. 5. not. d. "T. IV. p. 429. qui de hac specie "monet, nonam syllabam novum "inchoare vocabulum, decimam au- "tem quartam accentu vulgo no- "tari."

[z] POLITICI VERSUS] Nonnulla de his lectu digna protulit Hamakerus in Censura Kieslingianæ editionis Chiliadum Joannis Tzetzæ in Bibliotheca Critica Nova T. IV. p. 384.

[a] Hoc ex Aristotele posse colligi negat Santenius ad Terent. Maur. p. 160.

" definit: Πολιτικὸν δὲ τὸ ἄνευ πάθους ἢ τρόπου πεποιημένον, vel-
" uti, inquit, ἵππους τε ξανθὰς ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα, moxque
" λογοειδῆ appellatum fuisse ait, quod videlicet solutæ orationis
" speciem magis quam strictæ præ se ferat, quod et alibi
" innuit his verbis, λογοειδὴς δέ ἐστιν ὁ πεζότερος τῇ συνθέσει,
" quomodo *versum pedestrem* dixit Fortunatus Pictaviensis
" Episcopus lib. 5. cap. 4, aut quomodo Commodianum scrip-
" sisse ait Gennadius libro de Scriptor. Ecclesiasticis, *quasi*
" *versu*. Unde constat πολιτικοῦ vocem pro soluta oratione,
" præcipue apud Græcos medii ævi grammaticos, intelli-
" gendam, ut apud Phrynichum in brevi illa quam conscripsit
" Ἀττικῶν ὀνομάτων ἐκλογῇ, in qua duobus locis ποιητικὸν πολι-
" τικῷ opponit: ait enim ἐρεύγεσθαι, ποιητής, ἀλλ' ὁ πολιτικὸς
" ἐρυγγάνειν λεγέτω; et alibi; μεσονύκτιον, ποιητικὸν, οὐ πολι-
" τικόν. Ejusmodi est λεξικὸν τοῦ πολιτικοῦ λόγου, quod laudat
" Photius in Bibliotheca cod. 148. cui subjungitur aliud, ποιη-
" τικὰς λέξεις continens.

" Unde vero pedestris oratio πολιτικῆς nomen sumpserit,
" vix constat. Quidam, ait vir illustrissimus episcopus Mons-
" peliensis ad Psellum, quasi *politos* dictos volunt: quomodo
" forte *politos sermones* dixit Victor. Utic. lib. 3. de Persecut.
" Vandal. p. 42. *Si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc*
" *Constantinopolim, et ibi reperiet unum subdiaconum Reparatum*
" *sermones politos sine ulla offensione loquentem.* Alii πολιτικὴν
" orationem eo sensu accipiendam volunt, quo apud rhetores
" sumptam legimus: tradit enim Hermogenes lib. 2. Orator.
" alios πολιτικοὺς, alios σοφιστὰς appellatos, quorum etiam
" φράσιν diversam fuisse scribit: φράσιν quippe πολιτικὴν eam
" dici, quæ seclusa erat ab ornatissimo dicendi modo, quem
" σοφιστικὸν vocabant: sophistæ enim ἐν τοῖς ὀνόμασιν ἐσοφί-
" ζοντο, οὐκ ἐν τοῖς νοήμασιν, inquit Xenophon. Unde si quæ
" in eorum oratione δεινότης, erat tantum φαινομένη, καὶ μὴ
" οὖσα. Præterea *politici*, ejusmodi versus fortasse nuncu-
" pantur, quasi civiles ac populares; quorum nempe in collo-
" quiis familiaribus vulgo usus erat. Sic enim πολιτικὸν inter-
" pretatur Cicero lib. v. de Finibus: *Namque sic hominis*
" *natura generata sit, ut habeat quiddam innatum quasi civile,*
" *atque populare, quod Græci* πολιτικὸν *vocant &c.* Longe enim
" popularior est oratio pedestris ac soluta, quam stricta.

" Unde veteres comici dum quotidianum sermonem imitari " volunt, consulto a stricta versificationis observatione reces- " serunt, uti observat Terentianus Maurus:"

*Sed qui pedestres fabulas socco premunt,*
Quam Juno fertur, quam Juno fertur.

*Secundam divisionem hephthemimerem Græci dixerunt, quæ tribus pedibus emensis adjicit syllabam, completque sensum quacumque orationis particula. Huic, sicut et superiori, nomen inditum ex eo est, quod tribus pedibus et una syllaba, id est semipede, quæ in arsi et thesi septem motus efficiunt, versum dividat. Cujus exemplum erit,*

Quam Juno fertur terris.

*Nam post tres pedes suprema* ris *syllaba sensum complet. Erunt igitur hæ duæ principales tomæ, ut dictum est, heroici versus incisiones, quibus similiter et iambici versus trimetri dividuntur. Sed his in heroo duæ aliæ accedunt. Nam si harum neutram inveneris, tertium trochæum in versu conquires; id est penthemimeren disyllabo clausam, ut est,*

Infandum regina.

*Nam percussis duobus pedibus tertius pes trochæus est,* gina, *cui conjuncta brevis* ju *secundum legem versus hexametri dactylum complet,* bes *autem syllaba et sensum superioris coli integrat, ut fiat hephthemimeres, et sequentis pedis initium inducit. Eodem modo et quartus trochæus accipietur, qui raro admodum reperietur, ut est,*

Quæ pax longa remiserat, arma | novare parabant.

*Quartus pes trochæus,* arma, (*vide hephthemimerem disyllabo clausam, ut supra,*) *cui adnexa brevis* no *syllaba dactylum lege heroici versus implet. Harum si nullam in hexametro speciem inveneris, heroum versum jure ac merito negabis. Nonnunquam autem evenit, ut in eodem versu plures incisiones, id est, penthemimerem et hephthemimerem et eam quæ quarta cæsura partem orationis terminat* (*quam Bucolicon Græci dicunt*) *reperiamus, ut*

Arma virumque cano Trojæ qui primus ab oris.

*Nam* jæ qui *pes in versu quartus eam divisionem explicat, quam bucolicon vocari dictum est, sub qua pedum percussione sensus impletur. Nam bucolici metri hæc lex est, quam per omne opus sui carminis Theocritus Syracusanus observat, exceptis paucis versiculis.* Adde Diomedem p. 496=467. A. Gellium XVIII. 15. supra allatum ad c. 5. p. 41. Alias cæsurarum species commemorat Hermannus De Metris p. 270. qui rem fusius atque eruditius persequitur in præclaris ad Orphica annotationibus p. 692. seqq. unde pauca quædam huc transferre non erit inutile: "Cæsuram supra diximus Homero et antiquis epicis "hanc maxime placuisse, quæ est in prima tertii pedis "syllaba,

μῆνιν ἄειδε θεά.

"qua illi quidem ita sunt usi, ut non modo sæpe trochæum "isto in loco ponerent,

ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα.

"sed plurimas etiam alias admitterent incisiones. Quanquam "illa prior cæsura, quæ in prima est tertii pedis syllaba, "principatum obtinuit.—Sed in magna illa cæsurarum varie-"tate, quam habet versus heroicus, una præcipue incisio est, "quæ, quia vim et robur numerorum debilitat, a melioribus "poëtis improbata est. Eam dico, quæ habet trochæum in "pede quarto,

Πηλεὺς θήν μοι ἔπειτα γυναῖκα γαμέσσεται αὐτός.

"Hanc igitur non nisi rarissime admiserunt."

A veteribus grammaticis observatum fuit, post quintum versus heroici pedem interpunctioni non esse locum. Scholiastes Harleianus ad Hom. Od. β'. 77. Τόφρα γὰρ ἂν κατὰ ἄστυ προτιπτυσσοίμεθα μύθῳ, Χρήματ' ἀπαιτίζοντες.] Προτιπτυσσοίμεθα μετὰ τοῦ ρ. δηλοῖ δὲ τὸ στερνιζοίμεθα, ἢ ἀχώριστοι γενοίμεθα. καὶ

*ἔδει μὲν ἡμᾶς ὑποστίζειν εἰς αὐτὸ, τὸ δὲ μύθῳ τοῖς ἑξῆς ἀποδιδόναι. ἀλλ' οὐδέποτε ὁ εἰκοστὸς χρόνος τοῦ ἡρωϊκοῦ στιγμὴν ἐπιδέχεται.* Præcepti hujus rationes accutissime, ut solet, exponit Bentleius in nota ad Lucanum I. 231. a Porsono laudata. "In "versu heroico raro admodum fit distinctio plenior pausa, "vel clausula, in pede quinto; sed ubicumque illud fit, tum "quia in legendo vox ob coli finem deprimitur, et in *θέσει* "est, ea erigenda est in priore syllaba pedis sexti; idque ex "arcana musices ratione, quam, qui aurem habet, admonitus "a me, facile deprehendet. Hanc ejus syllabæ elevationem "ut consequantur poëtæ, conficiunt pedem sextum ex duobus "monosyllabis, eo enim pacto vox in quinto pede demissior, "in sexto necessario extollitur. Vide modo hæc Virgiliana: "Ecl. VII. 35.

*Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu.*

Æn. III. 695.

*Occultas egisse vias subter mare; qui nunc.*

"Vide Æn. XII. 526. V. 372. 624. 713. Lucani VI. 700.

"Vides hic vocem monosyllabi virtute extolli; quod eo "justius fit, cum monosyllabon repetitum est, et majorem "inde emphasin adipiscitur, ut in his Maronis, Ecl. V. 83.

Nec *percussa sonant fluctu tam litora*, nec quæ.

VI. 39.

*Incipiant silvæ* cum *primum surgere*, cumque.

Georg. I. 80.

Ne *saturare fimo pingui pudeat sola*, neve.

Ibid. 223.

*Debita* quam *sulcis committas semina*, quamque.

"Atque hac repetiti verbi potestate nonnunquam et disylla-"bon pedem ultimum obtinet; ut noster Pharsal. VII. 350.

Ipsi *tela regent per viscera Cæsaris*, ipsi.

Virgil. Æn. V. 633.

Nulla*ne jam Trojæ dicentur mœnia*, nusquam.

"Hic enim *nulla* et *nusquam* repetitionis vim obtinent, sensu, "non syllabis, convenientia. Non dicam tibi ad has leges "poëtas cæteros numerorum studiosos accommodare se. Ipse "tibi credes, cum rem cognoveris."

De licentiis [g]carminum heroicorum, quarum præcipuæ sunt productiones ob cæsuram et frequentior [h]hiatuum usus, consulendus est omnino Hermannus in notis ad Orphica loco supra citato: plura collegit Spitznerus in Libro *De versu Græcorum heroico* Lips. 1816. Eustathius recenset quinque hexametrorum vitia, de quibus monitum est alibi.

Deinceps de ea hexametrorum specie quæramus, quam grammatici βουκολικὴν ideo vocant, *quia Theocritus,* inquit Diomedes p. 496. *auctor bucolici carminis hac plurimum esse usus creditur.* Marius Victorinus p. 2563=157. *Bucolici carminis hæc lex sit, ut versus ejus ea observatione formetur, ut ante duos ultimos quarto pede terminet aut partem orationis aut sensum, quam legem per omne opus sui carminis Theocritus Syracusanus, exceptis tribus aut quattuor ferme versibus, e quibus sunt*

ἀμφῶες, νεοτευχὲς, ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον

*et*

τοῖς δὲ μέτα γριπεύς τε γέρων καὶ πέτρα τέτευκται

*custodit.* Adde Terentianum Maurum p. 2430=v. 2123.

Wartonus in diss. de Poësi Bucolica p. 36. "In pangendis "versiculis cavisse videtur Theocritus, ut pes quartus esset "dactylus; ita ut demptis duobus in fine pedibus tragicum "tetrametrum fiat. Cujus constructionis sunt omnes Idyllii "primi, exceptis viginti et septem: omnes etiam secundi, "præter novem. Ex hac circumstantia concludit Heinsius "illa carmina mera esse bucolica: cum longe alius sit carmi-"num cursus in *Ptolemæo* v. g. et *Charitibus.* Hac de re ita "statuit Valckenaer. in Epist. ad Rover. p. 15. 'Versum dac-"tylicum dici debere Bucolicum, si duobus pedibus postremis "recisis remaneret tetrameter, qui clauderetur dactylo, ter-"minante partem orationis atque adeo Alcmanicus.' Porro

[g] Hexametros heroicos e solis spondeis constantes perraros esse docent grammatici. Schol. Ven. ad Il. λ'. 130. Ἀτρείδης· τὼ δ' αὐτ' ἐκ δίφρου γουναζέσθην. ἡ διπλῆ, ὅτι δυωδεκασύλλαβος ὁ στίχος. καὶ σπανίως χρῆται, ὡς καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ· (φ'. 15.) τὼ δ' ἐν Μεσσήνῃ ξυμβλήτην ἀλλήλοιϊν.—εὐτελεῖς τῇ κατασκευῇ δοκοῦσιν οἱ τοιοῦτοι. Contra notatur Il. μ'. v. 381. κεῖτο μέγας παρ' ἔπαλξιν ὑπέρτατος· οὐδέ κέ μιν ῥέα utpote ex solis dactylis conflatus. Conf. Il. ο'. 187. et schol. Ven.

[h] hiatuum] De hiatu post tertium trochæum in Homericis carminibus docta est disputatio Ahrensii in Schneidewini Philologo T. VI. p. 11 seqq. De hiatu in cæsura bucolica ibid. p. 27. Utramque infra dabimus in Appendice, necnon ejusdem de hiatu apud elegiacos poëtas Græcos ex eodem Philologo T. III. p. 223.

"laudatur Bucolicum carmen, certe numerosius erit, si primo "loco sit dactylus, et pedem absolvat."

Hexametros in tragœdiis "nonnunquam insertos fuisse, sed "numero paucos, et colis brevibus plerumque intercisos" esse monet Tyrwhittus Aristot. Poet. s. 47. Plura eorum exempla indicat Hermannus ad eundem scriptorem p. 134. Observandum autem tragicos hosce hexametros nonnunquam acatalectos reperiri, ut Euripid. Suppl. 279.

πρὸς σὲ γενειάδος, ὦ φίλος, ὦ δοκιμώτατος Ἑλλάδι,
ἄντομαι, ἀμφιπιτνοῦσα τὸ σὸν γόνυ, καὶ χέρα δειλαία.

media vocis δειλαία corripitur. cf. supra p. 6.

Quod ad comicos attinet, eos Aristophanes adhibet in fine Ranarum,

πρῶτα μὲν εὐοδίαν ἀγαθὴν ἀπιόντι ποιητῇ
κεἰς φάος ὀρνυμένῳ δότε, δαίμονες οἳ κατὰ γαῖαν,
τῇ τε πόλει μεγάλων ἀγαθῶν ἀγαθὰς ἐπινοίας.
πάγχυ γὰρ ἐκ μεγάλων ἀχέων παυσαίμεθ' ἂν οὕτως,
ἀργαλέων τ' ἐν ὅπλοις ξυνόδων· Κλεοφῶν δὲ μαχέσθω,
κἄλλος ὁ βουλόμενος τούτων πατρίοις ἐν ἀρούραις.

et in Pace 119.

Ἔστι τι τῶνδ' ἐτύμως, εἴπ', ὦ πάτερ, εἴ τι φιλεῖς με.
Δοξάσαι ἔστι, κόραι· τὸ δ' ἐτήτυμον ἄχθομαι ὑμῖν,
ἡνίκ' ἂν αἰτίζητ' ἄρτον, πάππαν με καλοῦσαι,
ἔνδον δ' ἀργυρίου μηδὲ ψακὰς ᾖ πάνυ πάμπαν.
ἢν δ' ἐγὼ εὖ πράξας ἔλθω πάλιν, ἕξετ' ἐν ὥρᾳ
κολλύραν μεγάλην, καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῇ.

Adde ejusdem dramatis vv. 1063 et seqq. 1269 seqq. Cratinus sæpius usurpasse videtur, ut in fabula inscripta Ὀδυσσεῖς apud Athenæum III. p. 99 F. Priscian. XVIII. p. 1214.

ἦσθε πανημέριοι χορταζόμενοι γάλα λευκὸν,
πύον δαινύμενοι, κἀμπιμπλάμενοι πυριάτῃ.

Posteriorem versiculum, neque in Athenæo neque in Prisciano exstantem, hic subjunxi, Porsono monente, ex Schol. Aristoph. Vesp. 708, ubi sine ullo auctoris indicio exhibetur. In eadem scena, in eadem fortasse oratione, quæ Cyclopis fuisse videtur Ulyssem et comites ejus compellantis, locum habuerunt versus sequentes apud Athenæum IX. p. 385 C. D.

ἀνθ' ὧν πάντας ἑλὼν ὑμᾶς, ἐρίηρας ἑταίρους,
φρύξας, ἑψήσας, κἀπ' ἀνθρακιᾶς ὀπτήσας,

*εἰς ἅλμην τε καὶ ὀξάλμην κᾆτα σκοροδάλμην*
*χλιαρὸν ἐμβάπτων, ὃς ἂν ὀπτότατός μοι ἁπάντων*
*ὑμῶν φαίνηται, κατατρώξομαι, ὦ στρατιῶται.*

Idem in fine Chironum apud Aristid. T. II. p. 521. ed. Dindorf.:

*ταῦτα δυοῖν ἐν ἐτοῖν ἡμῖν μόλις ἐξεπονήθη.*

Idem Archilochis apud Athen. III. p. 86 E.

*ἡ μὲν δὴ πίννῃσι καὶ ὀστρείοισιν ὁμοίη.*

apud Athen. IV. p. 164.

*Εἶδες τὴν Θασίαν ἅλμην οἷ᾽ ἄττα βαΰζει,*
*ὡς εὖ καὶ ταχέως ἀπετίσατο καὶ παραχρῆμα*
*οὐ μέν τοι παρὰ κωφὸν ὁ τυφλὸς ἔοικε λαλῆσαι.*

Suid. in Διὸς ψῆφος:

*Ἔνθα Διὸς μεγάλου θᾶκοι πεσσοί τε καλοῦνται.*

Pherecrates (vel alius quis) Athenæi VIII. p. 364.

*Μηδὲ σύ γ᾽ ἄνδρα φίλον καλέσας ἐπὶ δαῖτα θάλειαν*
*ἄχθου ὁρῶν παρέοντα· κακὸς γὰρ ἀνὴρ τόδε ῥέζει·*
*ἀλλὰ μάλ᾽ εὔκηλος τέρπου φρένα τέρπε τ᾽ ἐκεῖνον.*
*ἡμῶν δ᾽ ἤν τινα τις καλέσῃ θύων ἐπὶ δεῖπνον*
*ἀχθόμεθ᾽ ἢν ἔλθῃ καὶ ὑποβλέπομεν παρέοντα,*
*χὤττι τάχιστα θύρας ἐξελθεῖν βουλόμεθ᾽ αὐτόν.*
*εἶτα γνοὺς πῶς τοῦθ᾽ ὑποδεῖται, κᾆτά τις εἶπεν*
*τῶν ξυμπινόντων, ἤδη σύ, τί οὐχ ὑποπίνεις;*
*οὐχ ὑπολύσεις σαυτόν; ὁ δ᾽ ἄχθεται αὐτὸς ὁ θύων*
*τῷ κατακωλύοντι καὶ εὐθὺς ἔλεξ᾽ ἐλεγεῖα·*
*Μηδένα μήτ᾽ ἀέκοντα μένειν κατέρυκε παρ᾽ ἡμῖν*
*μήθ᾽ εὕδοντ᾽ ἐπέγειρε, Σιμωνίδη· οὐ γὰρ ἐπ᾽ οἴνοις*
*τοιαυτὶ λέγομεν δειπνίζοντες φίλον ἄνδρα;*

Plura dabit Hermippus Athen. I. pp. 27. 29. Alia exempla e poëtis Mediæ Comœdiæ collegit Meinekius in Hist. Poët. Com. p. 296 seqq.

P. 42, 2. Pentametrum catalecticum in disyllabum, quod cum Nostro *Simmieum* vocat Plotius, Servio *Stesichorium* dicitur, nisi et ibi potius reponendum statuas *Simmieum*. Auctor quoque est Plotius hujus metri sedem quintam plane indifferentem esse, quippe quam pes quivis disyllabus implere queat. Utitur autem Latinis tantum exemplis, diserte testatus se unum solum Græcum reperisse, idem scilicet quod in contextu posuerat Hephæstio.

E tragicis Æschylus hac mensura usus in Eumen. 373. systema trochaico dimetro catalectico concludit;

*δόξαι τ' ἀνδρῶν καὶ μάλ' ὑπ' αἰθέρι σεμναὶ,*
*τακόμεναι κατὰ γᾶν μινύθουσιν ἄτιμοι*
*ἡμετέραις ἐφόδοις μελανείμοσιν, ὀρχησ-*
*μοῖς τ' ἐπιφθόνοις ποδός.*

Idem paullo ante dederat duos ejusdem moduli dactylicos, quibus subjungitur Pherecrateus:

*γεινομέναισι λάχη τάδ' ἐφ' ἁμὶν ἐκράνθη,*
*ἀθανάτων δὶχ' ἔχειν γέρας, οὐδέ τις ἐστὶν*
*συνδαίτωρ μετάκοινος.*

Hanc formam ante trochaicum dimetrum catalecticum collocavit Aristophanes Ran. 830. 837. 844. 851. recte enim disposuit Brunckius. cf. hujus ed. 816. 820. 824. 828. Item ante ithyphallicum Nub. 459. ed. Brunck. Sophoclis Antig. versus 339–342. sic restituendos voluit Hotchkisius,

*ἄφθιτον, ἀκαμάταν, ἀποτρύεται,* Tetrametrus.
*ἰλλομένων ἀρότρων ἔτος εἰς ἔτος, ἱππεί-*
*ῳ γένει πολεύων.*

Euripid. Troad. 843.

*καλλιγάλανα τρέφεις· Πριάμοιο δὲ γαῖαν*
*'Ελλὰς ὤλεσ' αἰχμά.*

Bacch. 168. recte edidit Brunckius,

*κῶλον ἄγει ταχύπουν σκιρτήμασι Βάκχα.*

P. 42, 5. *τετράμετρον καταληκτικὸν εἰς δισύλλαβον*] Tetrametrum catalecticum in disyllabum Archilochus in Epodis dactylico hexametro subjunxit; quem postea imitatus est Horatius. Terentianus Maurus p. 2430. v. 2093.

*Hexametro duo quando pedes primi retrahuntur,*
*Ut sermo expletus partes non occupet ambas,*
*Tetrametrus remanet versus, ceu subditus hic est:*
Cantabunt mihi | Damœtas et Lyctius Ægon.
Cantabunt mihi *quum demsi, pars cœtera restat*
Damœtas et Lyctius Ægon.
*Talis carminibus Flacci reperitur epodos,*
Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi &c.

Hoc tetrametrum Plotius *Anacreontium* nuncupat p. 2638=263. *Anacreontium tetrametrum dactylicum a tetrametro buco-*

*lico hoc differt, quod illud quidem octo schemata habet, et quartum pedem semper dactylum, hoc vero monoschematistum. Nam semper tribus dactylis percutitur, et quarto pede spondeo. Cujus metri exemplum Græcum est,*

Ἀδυμελὲς χαρίεσσα χελιδοῖ.

Marius Victorinus p. 2518=98. *Tetrameter in dactylum desinens Alcmanicum, in spondeum vero Archilochium metrum efficit.* Alcmanis exemplum præbet Hephæstio p. 44. Idem apud Athenæum X. p. 416 C.

καί ποκά τοι δώσω τρίποδος κύτος
ᾧ κ' ἔνι . . . . . . . . . λε' ἀγείρῃς
ἀλλ' ἔτι νῦν γ' ἄπυρος, τάχα δὲ πλέος
ἔτνεος, οἷον ὁ παμφάγος Ἀλκμὰν
ἠράσθη χλιερὸν πεδὰ τὰς τροπάς.
οὔ τι γὰρ ἠῢ τετυγμένον ἔσθει,
ἀλλὰ τὰ κοινὰ γὰρ, ὥσπερ ὁ δᾶμος,
ζατεύει.

Iterum XI. p. 499 A.

Πολλάκι δ' ἐν κορυφαῖς ὀρέων, ὅκα
θεοῖσιν ἅδῃ πολύφανος ἑορτὰ,
χρύσεον ἄγγος ἔχοισα μέγαν σκύφον,
οἷά τε ποιμένες ἄνδρες ἔχουσιν,
χερσὶ λεόντειον γάλα θεῖσα
τυρὸν ἐτύρησας μέγαν ἄτρυφον
ἀργύφεόν τε.

Ibycus Athenæi XIII. p. 564 F.

Εὐρύαλε, γλαυκέων Χαρίτων θάλος
καλλικόμων μελέδημα, σὲ μὲν Κύπρις
ἁ δ' ἀγανοβλέφαρος Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν.

Tetrametros tam catalecticos in disyllabum, quam acatalectos, in tragicorum choris, Aristophane, et Pindaro, aliquoties deprehendet lector studiosus. In Aristoph. Pac. 114 seqq. leguntur primo duo dactylici catalectici in disyllabum, quos excipiunt duo acatalecti, et hexameter catalecticus in disyllabum:

ὦ πάτερ, ὦ πάτερ, ἦ ῥ' ἔτυμός γε
δώμασιν ἡμετέροις φάτις ἥκει
ὡς σὺ μετ' ὀρνίθων προλιπὼν ἐμὲ
ἐς κόρακας βαδιεῖ μεταμώνιος;
ἔστι τι τῶνδ' ἐτύμως; εἴπ', ὦ πάτερ, εἴ τι φιλεῖς με.

Operæ pretium quoque videtur hic apponere integram stropham Aristophanis Nub. 275, ubi inter alios versus dactylici generis plures habentur tetrametri:

ἀέναοι Νεφέλαι     Penthem.
ἀρθῶμεν φανεραὶ δροσερὰν φύσιν εὐάγητον,     Hexam. cum spondeo in 5[ta] pede.
πατρὸς ἀπ' Ὠκεανοῦ βαρυάχεος
ὑψηλῶν ὀρέων κορυφὰς ἐπὶ
δενδροκόμους ἵνα     Dimeter.
τηλεφανεῖς σκοπιὰς ἀφορώμεθα,
καρπούς τ' ἀρδομέναν ἱερὰν χθόνα,
καὶ ποτάμων ζαθέων κελαδήματα,
καὶ πόντον κελάδοντα βαρύβρομον.
ὄμμα γὰρ αἰθέρος ἀκάματον σελαγεῖται     Pentam. cat. in dis.
μαρμαρέαις ἐν αὐγαῖς     Choriambicus dim.
ἀλλ' ἀποσεισάμεναι νέφος ὄμβριον
ἀθανάτας ἰδέας ἐπιδώμεθα
τηλεσκόπῳ ὄμματι γαῖαν.     Parœmiacus.

Euripid. Phœn. vv. 784 et seqq. (796 Pors.) in vett. exemplaribus valde confusos in ordinem se redegisse monet scholiastes: ἀτάκτως (inquit) γὰρ ἦσαν καὶ ἀναρμόστως ἐν τοῖς ἀντιγράφοις κείμενα, καὶ πολύν μοι παρέσχον πόνον εἰς τάξιν ταῦτα καὶ ἁρμονίαν μετενεγκεῖν. Dactylici sunt partim tetrametri, partim hexametri, partim breviores:

ὦ πολύμοχθος Ἄρης, τί ποθ' αἵματι
καὶ θανάτῳ κατέχει, Βρομίου παράμουσος ἑορταῖς;
οὐκ ἐπὶ καλλιχόροις στεφάνοισι νεάνιδος ὥρας,
βόστρυχον ἀμπετάσας, λωτοῦ κατὰ πνεύματα μέλπει
μοῦσαν, ἐν ᾇ Χάριτες χοροποιοί·
ἀλλὰ σὺν ὁπλοφόροις στρατὸν Ἀργείων ἐπιπνεύσας
αἵματι Θήβας κῶμον ἀναυλότατον προχορεύεις,
οὐ πόδα θυρσομανῆ νεβρίδων μέτα δινεύεις, ἀλλ'
ἅρμασι καὶ ψαλίοις τετραβάμοσι μώνυχα πῶλον,
Ἰσμηνοῦ τ' ἐπὶ χεύμασι βαίνων,
ἱππείαισι θοάζεις,
Ἀργείους ἐπιπνεύσας
γέννᾳ Σπαρτῶν,
ἀσπιδοφέρμονα θίασον ἔνοπλον
ἀντίπαλον κατὰ λάϊνα τείχεα·
ἦ δεινά τις Ἔρις θεός, ἃ τάδε

μήσατο πήματα γᾶς βασιλεῦσι
Λαβδακίδαισιν πολυμόχθοις.

Trimeter catalecticus in disyllabum reperitur Sophocl. Trachin. 112.

πολλὰ γὰρ ὥστ' ἀκάμαντος
ἢ Νότου ἢ Βορέα τις
εὐρέϊ κύματα πόντῳ.

vide ejusdem fabulæ 501. 503. 511. 513. Hanc speciem *Alcmanium* vocat Servius: Alcmanis notum est exemplum

Μῶσ' ἄγε μῶσα λίγεια.

P. 42, 14. πενθημιμερεῖ] Hac penthemimeri in melicis sæpe utuntur tragici. Sic Euripides Troad. 1101.

κυανέαν ἐπὶ ναῦν
εἰναλίαισι πλάταις
ἢ Σαλαμῖν' ἱερὰν
ἢ δίπορον κορυφὰν
Ἴσθμιον, ἔνθα πύλας.

Archilochum in Epodis secutus est Horatius Carm. IV. 7. Terentianus Maurus p. 2422. v. 1801.

*Nec tantum hexametris geminam subjungere partem*
*Dactylicam mos est: sæpe semel posita*
*Præmisso hexametro dulcem subnectit epodon:*
*Talis epodus erit,*
*Tibia docta precor tandem mihi dicere versus*
*Desine Mænalios.*
*Hoc doctum Archilochum tradunt genuisse magistri:*
*Tu mihi, Flacce, sat es,*
Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comæ.

Monuit Hermannus hoc metrum in Pindari carminibus nunc in primo, nunc in secundo loco spondeum habere, sed nunquam in utroque simul; quod et in tragicis fortasse verum.

P. 43, 4. Ἑφθημιμερεῖ] Hoc metrum adhibuit Ausonius Epigr. 77.

*Sit mihi talis amica velim*
*Jurgia quæ temere incipiat,*
*Nec studeat quasi casta loqui.*

*Pulchra, procax, petulante manu,*
*Verbera quæ ferat et regerat,*
*Cæsaque ad oscula confugiat.*
*Nam nisi moribus his fuerit,*
*Casta, modesta, pudenter agens,*
*Dicere abominor, uxor erit.*

Æsch. Suppl. 553. πολλὰ βροτῶν διαμειβομένα
cui in antistropho respondet,

Παμφύλων τε διορνυμένα.

Hanc formam in Euripidis Orest. 1375. invenisse videtur Terentianus Maurus,

Ἀργεῖον ξίφος ἐκ θανάτου

qui sic loquitur p. 2426. v. 1957.

*Cum vero hepthemimeres fuerit divisio versus*
*In tragicis plerumque choris deprenditur unus*
*Insertus multis non una lege creatis.*
*Fabula sic Euripidis inclyta monstret Orestes:*
*Nam tali versu, cunctis trepidantilus intus,*
*Argivum fugiens eunuchus flagitat ensem.*
*Cetera non simili componit lege: sed aptos*
*Continue trepido plures connectit iambos.*

Conf. Mar. Vict. p. 2578=177. Nos hodie eos versus aliter disponimus. Hic loci inserendus videtur tetrameter hypercatalectus, Servio *Alcmanius*, cujus exemplum habes Soph. Aj. 224. 248.

τῶν μεγάλων Δαναῶν ὑποκληζομέναν.
ἢ θοὸν εἰρεσίας ζυγὸν ἑζόμενον.

Æsch. Eum. 525. ed. Herm. δυσσεβίας μὲν ὕβρις τέκος ὡς ἐτύμως
Eurip. Helen. 391. ὤλεσεν ὤλεσε Πέργαμα Δαρδανίας
Aristoph. Av. 742. ἰζόμενος μελίας ἐπὶ φυλλοκόμου.

P. 43, 6. ἀκαταλήκτων] Acatalectorum plures commemorant species grammatici Latini. 1. Dimetrum, quod Servius et Plotius p. 2640=266. *Hymenaicum* vocant. Plotii verba sunt, *Hymenaicum dimetrum dactylicum Sapphicum monoschematistum est. Semper enim duobus dactylis constat.* Exemplum, quod profert, extra dubitationem corruptum est. 2. Trimetrum, Marius Victorinus p. 2518=98. *Trimetrus acatalectus, qui e tribus,*

Cui non dictus Hylas puer.

*hoc* ἡμιεπὲς *dicitur, quo Simonides frequenter usus est.* Plotius p. 2639 = 264. *Hemidexium trimetrum dactylicum, tribus dactylis constans, ut,* Ξεῖνε τὸν Ἀρχιλόχου τάφον. 3. Pentametrum, Servio *Simonideum*, cujus exemplum profert Plotius p. 2636 = 259. sed mendosissime editum. 4. Hexametrum, Servio *Ibycium*, cujus exemplum servavit Athenæus IX. p. 388 E.

Αἰεί ὦ φίλε θυμὲ τανύπτερος ὡς ὄκα πορφυρίς.

P. 44, 4. δακτυλικὰ] Versus dactylicos hexametro prolixiores non commemoravit Hephæstio. Servius quatuor recenset species. 1. *Hexametrum hypercatalectum*, [i] *Alcmanium.* 2. *Heptametrum catalecticum*, [k] *Stesichorium.* 3. *Heptametrum acatalectum, Ibycium.* 4. *Heptametrum hypercatalectum, Ibycium.* Marius Victorinus p. 2519 = 100. *Inter hæc ne ignorasse videar, non prætermiserim, quod ferunt apud auctores exempla reperiri, quibus ostendant hexametrum dactylicum usque ad* [l] *octametrum disyllabo terminatum processisse, ultra quam proceritatem nihil in eodem scrutandum est.* Heptametros* esse catalecticos in disyllabum versus Æschyl. Pers. 864, 6. 871, 3. statuit Burneius Chor. Cant. p. 40. Equidem potius Hermanno assentiar El. D. M. p. 363. dactylicos esse cum basi judicanti.

Plures dactylicos diversi moduli uno in carmine conjunxit Ibycus Athenæi XIII. p. 601. quos sic disponit et emendat Hermannus:

Ἦρι μὲν αἵ τε Κυδώνιαι — Trim.
μηλίδες ἀρδόμεναι ῥοᾶν
ἐκ ποταμῶν, ἵνα παρθένων
κῆπος ἀκήρατος, αἵ τ᾽ οἰνανθίδες — Tetram.
αὐξόμεναι σκιεροῖσιν ὑφ᾽ ἕρνεσιν
οἰναρέοις θαλέθοισιν, ἐμοὶ δ᾽ ἔρος
οὐδεμίαν κατάκοιτος ὥ-
ραν, ἅθ᾽ ὑπὸ στεροπᾶς φλέγων

[i] Eo utitur Stesichorus Athenæi XI. p. 499 B.
Πίεν ἐπισχόμενος, τό ῥα οἱ παρέθηκε Φόλος κεράσας.

[k] Stesichorus Strabonis III. p. 148 C.
Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ παγὰς ἀπείρονας ἀργυροριζους.

[l] *octametrum disyllabo terminatum*] Hunc versum videndum ne commenti sint metrici conjunctis in unum tetrametris acatalecto et catalectico in disyllabum, quos alternantes posuisse quidam videntur, ut Alcman in eo carmine, unde sunt fr. 23 et 25. HERMAN. Epit. Doct. Met. v. 304.

Θρηΐκιος βορέας, ἀΐσ-
σων παρὰ Κύπριδος
ἀζαλέαις μανίαισιν, ἐρυμνὸς ἀθαμβείῃσι, κραταιῶς
παιδόθεν φυλάσσει
ἡμετέρας φρένας.

P. 44, 5. Αἰολικὰ] De metro Æolico verba Terentiani supra protulimus p. 46. quibus vix necesse puto hic insuper adjicere Marium Victorinum p. 2559=151. Plotium p. 2636=260. Servius p. 1824=375. Eulogiacum *constat primo pede disyllabo quolibet et quatuor dactylis.* Ubi ipse pro mendoso *eulogiacum* multo ante conjeceram *Æolicum*, quam in manus meas casu delata esset elegantissima Santenii editio. Dactylici Æolici pentametri specimen præbet Theocritus Id. XXIX. Alcæus apud Aristophanem Vesp. 1227.

ἄνθρωφ', οὗτος ὁ μαινόμενος τὸ μέγα κράτος,
ἀντρέψεις ἔτι τὰν πόλιν· ἁ δ' ἔχεται ῥοπᾶς.

ubi spondeus primum locum occupat. Horum vero Æolicorum carminum indolem atque artificium percipies ex singulari isto perfectissimoque exemplo ab Hephæstione prolato p. 46.

ἔρōς | δ' αῦτἔ μ' ὀ|λῡσῐμἔ|λῆς δὄνεῐ
γλῠκῠ | πικρον α|μαχανον | ορπετον.
Ατθῐ|σοι δ' εμε|θεν μεν α|πηχθετο
φρōντῑσ|δην επι | δ' Ανδρομε|δαν ποτη.

De Æolicis carminibus in genere consulatur Bentleius post Horatium p. 710.

P. 46, 8. Λογαοιδικὰ—δακτυλικὰ] De versibus logaœdicis hæc Marius Victorinus p. 2560=153. *His logaœdici metri speciem, quæ et* Enoplius *et* Archebulius *dicitur, non absurde conjunxerim adæque dactylici metri sobolem, scilicet cum trochaica basi versus clauditur duobus vel tribus vel quatuor dactylis præeuntibus, prout carminis mensura aut ratio exegerit; cujus generis est etiam hoc, quod ex duobus dactylis et duobus connectitur trochæis, et appellatur Alcaicum decasyllabum,*

– ∪ ∪ | – ∪ ∪ || – ∪ | – ∪

*Item e tribus dactylis, et duobus trochæis,*

– ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪ ∪ || – ∪ | – ∪

*rursus e quatuor, et duobus trochæis,*

– ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪ ∪ || – ∪ | – ∪

*quæ species et in anapæstico versu reperietur, ita duntaxat, ut postrema ejus clausula bacchio a brevi incipiente terminetur, et pro anapæsto nonnunquam spondeus ponatur.*

De Alcaico logaœdico nonnulla dicemus infra ad cap. XIV. 3. Nonnunquam id metrum apud tragicos reperitur, veluti

Euripid. Hec. 946. *μήτε πατρῷον ἵκοιτ' ἐς οἶκον.*
Alcest. 603. *ἀμφὶ μὲν ἀελίου κνεφαίαν*
Iph. Taur. 1105. *ἃ παρὰ Κύνθιον ὄχθον οἰκεῖ*
Ion. 1068. *νυκτιπόλων ἐφόδων ἀνάσσεις*
Æschyl. Prom. 132. *κραιπνοφόροι δέ μ' ἔπεμψαν αὖραι.*

Non tamen dissimulandum est tales versus inter Antispasticos numerari ab Hermanno Epit. Metr. II. xx. s. 220.

P. 47, 4. Praxilleum habes Sophocl. Antig. 134.

*ἀντίτυπος δ' ἐπὶ γᾷ πέσε τανταλωθεὶς*
*πυρφόρος, ὃς τότε μαινομένᾳ ξὺν ὁρμᾷ.*

## CAP. VIII.

### *De Anapæstico.*

Sequentia loca ex grammaticis Latinis decerpta carminum anapæsticorum indolem tironibus planam facient. Atilius Fortunatianus p. 2691 = 341. *Dactylico contrarium est Anapæsticum metrum. Huic naturale catholicum est partes orationis singulis pedibus terminare; hic enim versus optimus est: secundus ab optimo ille qui syzygias parte orationis finit. Nam sicuti in ceteris metris vitiosum est si singuli pedes partem orationis finiant, ita hic bonum est quod in aliis contrarium est. Recipit pedes, suum scilicet anapæstum, dactylum et* [m] *spondeum, raro et* [n] *proceleusmaticum; hos omnes omnibus in locis.* Marius Victorinus p. 2520 = 100. *Anapæsticum metrum originem trahere a rhythmo dactylico in dubium non venit, cum iisdem temporibus uterque eorum syllabisque subsistat: unde a quibusdam*

[m] Terentianus Maurus p. 2423. *Mirum tibi nec videatur Spondeon inesse anapæstis: Rex et dominus prior ipse est, Hic advena sumptus et hospes: De fœdere temporis æqui Quotiens locus expetet, ultro Reddet sua jura priori.*

[n] In Æschyli Pers. 926. (931.) Brunckius edidit ex MSS.

*αἰνῶς | αἰνῶς | ἔπῐ γόνῠ | κέκλῐταῐ.*

Anapæstici videntur etiam ejusdem fabulæ 937. 938. (931. 932.)

*κᾰκόφᾰτῐ | δᾰ βόᾱν | κᾰκόμελε | τὸν ἰᾱν.*

Aristoph. Nub. 913.

*δῐᾰ σὲ δὲ | φοιτᾱν.*

*ἀντιδάκτυλος dicitur, siquidem dactylus e longa et duabus brevibus, anapæstus e duabus brevibus et longa digesti, situ ordinis tantum discrepare videantur. Dehinc, quod detracta per ἐπιπλοκὴν heroo dactylico prima longa, reliqui pedes in anapæstum reformentur in eo dumtaxat versu, qui quinque continuis per ordinem dactylis currit: ut*

At tuba terribilem sonitum procul ære canoro.

*Detracta enim* at *syllaba, qua primus in versu dactylus constat, erunt reliqui pedes anapæsti, sic,*

Tuba terribilem sonitum procul ære canoro.

*Recipit autem id metrum pedes quatuor spatio temporum pares, syllabarum numero dispares, spondeum, qui est anapæsti collectio, dactylum, proceleusmaticum, et eundem anapæstum in quacumque sede. Nam cum omnes numero temporum quatuor comprehendantur, tamen divisione longarum vel conjunctione brevium, cum longæ in breves colliguntur, inter se variantur, et cum diversis vocabulis nuncupentur, ejusdem fere generis existunt. Nonnulli in ultima hujus sede ionicum minorem recipiunt, ea ratione qua in fine metrum omne varie claudatur; dehinc quod etiam ab auctoribus studio novitatis quædam adjiciantur et detrahantur contra quam ratio veteris disciplinæ permittit: quod et in ceteris metris datur agnoscere. Nam et iambus in clausula invenitur, et appellatur Archebulium. At si trisyllabo pede sui dumtaxat generis terminetur, adæque Archebulion, sed integrum: nam prius, in quo iambus, ἀπόκροτον dicitur. Volunt enim sicut dactylicum trochæo ultimo, ita anapæstum nonnunquam iambo concludi, si quidem dactylus ut trochæus a longa incipiat, anapæstus autem ut iambus desinat, quo sit sonorus. Percutitur vero versus anaspæticus præcipue per dipodian, interdum et per singulos pedes. Est autem percussio cujuslibet metri in pedes divisio. Exemplum erit tetrametri catalectici, quod est in anapæsticis, nobilis ille versus,*

Alius cithara sonituque potens volucres pecudesque movere.

*Item,*

Admota labris tuba terribilem sonitum dedit ære canoro.

*Quod genus frequens est apud Aristophanem: unde et Aristophanium vocatur: non quia conditor ejus idem fuit, nam et Æschylus et Cratinus et alii priores usi sunt eo, verum quia plurimus in hoc metro Aristophanes est.*

Postrema hæc citat Hemsterhusius ad Aristophanis Plutum p. 141. cum hac nota; "*Æschyli* quæ partes hic esse "possint mihi non liquet; quam ob rem aut *Aristoxeno Selinuntio*, aut *Epicharmo* locum illum potiori jure deberi per"suasum habeo." Vox *Æschylus* haud dubie mendosa est, parum tamen feliciter excogitata est viri eruditissimi correctio. Aperte enim legendum *Eupolis*. Ipse Victorinus non multo post p. 2523=105. *Nostri enim in modulandis metris seu rhythmis veteris comœdiæ scriptores sequi maluerunt, id est, Eupolin, Cratinum, Aristophanem.* Simile mendum ex eodem Victorino eluendum est p. 2580=181. ubi verba fere repetit paullo ante prolata, *Accedit his etiam illa anapæsticorum species de fonte dactylici versus veniens, apta admodum comicis, quæ* Ἀριστοφάνειος *nuncupata est, non quia conditor ejus Aristophanes fuit, nam et Æschylus* (lege *Eupolis*) *et Cratinus priscæ comœdiæ scriptores ea usi sunt, sed quia plurimus in hoc metro Aristophanes invenitur.* Et Eupolin hoc metro usum esse testatur locus elegantissimus a Plutarcho servatus T. II. p. 662 D. Macrobio Saturn. VII. 5. Chorus Caprarum loquitur,

> Βοσκόμεθ' ὕλης ἀπὸ παντοδαπῆς, ἐλάτης πρίνου κομάρου τε
> πτόρθους ἁπαλοὺς ἀποτρώγουσαι, καὶ πρὸς τούτοισί γε θαλλὸν
> κύτισόν τ' ἠδὲ σφάκον εὐώδη, καὶ σμίλακα τὴν πολύφυλλον,
> κότινον, σχῖνον, μελίαν, πεύκην, ἁλίαν, δρῦν, κιττὸν, ἐρείκην,
> πρόμαλον, ῥάμνον, φλόμον, ἀνθέρικον, κισθὸν, φηγὸν, θύμα, θύμβραν.

Idem apud Suidam v. ἀγῆλαι a Porsono emendatus,

> ἀναθῶμεν νῦν χἠμεῖς τούτοις ΤΑΣΔΙ ΤΑΣ εἰρεσιώνας
> καὶ προσαγήλωμεν ἐπελθόντες. χαίρετε πάντες. δεχόμεσθα.

Tetrametorum, quos κατ' ἐξοχὴν ἀναπαίστους vocat Aristophanes Eq. 502. Av. 685. Pac. 734, leges enucleate exposuit Porsonus in præfatione ad Hecubam p. L. iterumque iterumque perlegenda. Formas eorum præcipuas ex subjecto schemate elicias,

| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – ‖ | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | – |
| – – | – – | – – | – – ‖ | – – | – – | | |
| – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | ‖ | – ⏑ ⏑ | | | |

et nota cæsuram post quartum pedem semper inviolatam servari. Quod mox ait Noster p. 50, 5. anapæstum aut spondeum in septima sede indifferenter adhiberi, id non sine cautione quadam accipi debere monet Brunckius ad Aristoph. Vesp. 349. "Nusquam Aristophanes in tetrametris anapæsti-"cis syllabam catalecticam spondeo subjicit. Hanc sibi licen-"tiam sumsisse Cratinum testatur Hephæstio, sed nihil tale "de Aristophane dicit. Alia quæ adducit istius metri exempla "e Doricis poëtis petita sunt, quorum inventum fuisse videtur: "nec adeo temere metrum ipsum *Laconicum* appellatum fuit." Jure id *Laconicum* nominatum fuisse ex locis deinceps subjectis satis patebit. Polycrates in Laconicis de secunda Hyacinthiorum die, apud Athenæum IV. p. 139. E. *τῇ δὲ μέσῃ τῶν τριῶν ἡμερῶν γίνεται θέα ποικίλη, καὶ πανήγυρις ἀξιόλογος καὶ μεγάλη. Παῖδές τε γὰρ κιθαρίζουσιν, ἐν χιτῶσιν ἀνεζωσμένοι, καὶ πρὸς αὐλὸν ᾄδοντες πάσας ἅμα τῷ πλήκτρῳ τὰς χορδὰς ἐπιτρέχοντες, ἐν ῥυθμῷ μὲν ἀναπαίστῳ, μετ' ὀξέος δὲ τόνου τὸν θεὸν ᾄδουσιν.* Cicero Tusc. Disp. II. 15. *Spartiatarum mora procedit ad tibiam, nec adhibetur ulla sine anapæstis pedibus hortatio.* Marius Victorinus p. 2522 = 104. *Idem et ἐμβατήριον dicitur, quod est proprium carmen Lacedæmoniorum. Id in prœliis ad incentivum virium per tibias canunt, incedentes ad pedem ante ipsum pugnæ initium.* De spondeo ante syllabam catalecticam vide eundem p. 2546 = 134. 2560 = 153. Plotium p. 2653 = 285. Spondeum similiter in dimetro catalectico adhibet Tyrtæus apud Dionem Chrysost. II. p. 51. in Analectis Brunckii T. I. p. 53. *Ἔτι δὲ οἶμαι τὴν παρακλητικὴν οἷα τῶν Λακωνικῶν* [o] *ἐμβατηρίων, μάλα πρέπουσαν τῇ Λυκούργου πολιτείᾳ καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασιν ἐκείνοις,*

*ἄγετ' ὦ Σπάρτας εὐάνδρου·*
*κοῦροι πατέρων πολιῆται.*
*λαιᾷ μὲν ἴτυν προβαλέσθε,*
*δόρυ δ' εὐτόλμως πάλλοντες,*
*μὴ φειδόμενοι τᾶς ζωᾶς·*
*οὐ γὰρ πάτριον τᾶς Σπάρτας.*

[o] Schol. Clementis Alex. T. IV. p. 118. ed. Klotz. *ἐμβατήριος ῥυθμὸς παρὰ τοῖς μουσικοῖς εἶδος μέλους κινητικοῦ πρὸς ᾠδήν, κατεσπευσμένους ἔχον καὶ ἐπεμβαίνοντας ἀλλήλοις τοὺς ῥυθμούς, προοιμίου ῥητορικοῦ δύναμιν ἔχον.*

Ceterum non omittendum est hos versus in trimetros redigere Santenium ad Terentianum Maurum p. 78.

Dimetros acatalectos, speciem usitatissimam, mirum est Hephæstionem ne verbo quidem attigisse. Ac sane cum ob hanc, tum ob alias quoque causas nunquam satis dolendum est eos tam breviter a Porsono in Præfat. tractatos fuisse. Meum non est rem a tanto viro quasi in medio relictam ad umbilicum adducere; proferenda tamen sunt nonnulla, ex ipsius observationibus magnam partem petita, quibus rite perceptis, mediocrem saltim hujus metri notitiam tirones adipisci queant.

Systemata itaque legitima cum proprio pede omnibus locis indifferenter adhibent dactylum et spondeum; sed rarissime proceleusmaticum; rarissime etiam anapæstum dactylo subjiciunt.

Euripid. Alcest. 80.

ὅστῐς ἂν [p] ἐνῐ́ποι | πότερον φθιμένην.

In Hippol. 1381. forsan legas ὑπέρσχων.

Aristoph. Pac. 168.

καὶ μύρον ἐπεχεῖς; | ὡς ἦν τι πεσών.

Ephippus Athenæi VII. p. 322 E.

κῶβῐ̆ος, ἀφῠ̆αῖ, | βελόναι κεστρεῖς.

Huic regulæ non videntur ea adversari loca quæ dactylum et anapæstum in diversis exhibent dipodiis, ut Soph. Aj. 205.

νῦν γὰρ ὁ δεῖνος ὁ μέγας ὠμοκράτης

ubi tamen notandum ὁ secundum ab hodiernis editoribus omitti.

Euripid. Electr. 1328. θάρσει· Παλλάδος ὁσίαν ἥξεις.

Mnesim. Athen. IX. p. 403 C. κάραβος ἔσχαρος ἀφύαι βελόναι.

Vocalium longarum et diphthongorum hiatus ea lege nonnunquam admittitur, si vocales istæ vel diphthongi corripiantur.

Euripid. Med. 1081. μοῦσα καὶ ἡμῖν ἣ προσομιλεῖ.

Electr. 1325. ἀλλ' ἐγὼ οἶκον ἕξειμι πατρός.

1340, 1341. οὐκ ἔτι σ' ὄψομαι.

οὐδ' ἐγὼ εἰς σὸν βλέφαρον πελάσω.

Versus tum maxime numerosi sunt, cum singulæ dipodiæ integris vocibus terminantur. Interdum tamen, quod ex sub-

[p] Pro ἐνέποι duo MSS. apud Matthiæum præbent εἴποι, unus εἴπῃ.

jectis exemplis patebit, voces in duas dipodias distributæ sunt.

Æschyl. Prom. 172. καὶ μ' οὔ τι μελι | γλώσσοις πειθοῦς.
Agam. 52. πτερύγων ἐρετμοῖ | σιν ἐρεσσόμενοι.
64. γόνατος κονίαι | σιν ἐρειδομένου.
75. ἰσόπαιδα νέμον | τες ἐπὶ σκήπτροις.
84. θύγατερ, βασίλει | α Κλυταιμνήστρα.
86. πειθοῖ περίπεμ | πτα θυοσκινεῖς.
95. μαλακαῖς ἀδόλοι | σι παρηγορίαις.
791. τῷ δυσπραγοῦν | τι δ' ἐπιστενάχειν.
794. καὶ ξυγχαίρου | σιν ὁμοιοπρεπεῖς.
795. ἀγέλαστα πρόσω | πα βιαζόμενοι.
1341. καὶ τοῖσι θανοῦ | σι θανὼν ἄλλων.
1528. Ἰφιγένειαν ἀν | ἄξια δράσας.
1557. ἀλλ Ἰφιγένει | ά νιν ἀσπασίως.
1559. πατέρ' ἀντιάσα | σα πρὸς ὠκύπορον.
Choeph. 338. ἀλλ' ἔτ' ἂν τῶν | δε θεὸς χρῄζων.
857. νῦν γὰρ μέλλου | σι μιανθεῖσαι.
862. δαίων ἀρχαῖς | [q]τε πολισσονόμοις.
1071. νῦν δ' αὖ τρίτος ἦλ | θέ ποθεν σωτήρ.
Eumen. 1008. ὑμεῖς δ' ἡγεῖσ | θε πολισσοῦχοι.
Suppl. 620. ἄγε δὴ, λέξω | μεν ἐπ' Ἀργείοις.
Prometh. Solut. apud Strabonem I. p. 58=49. ed. Oxon.
χαλκοκέραυνόν | [q]τε παρ' Ὠκεανῷ
λίμναν παντοτρό | φων Αἰθιόπων.

Sophocl. Aj. 146. ἤπερ δορίληπ | τος ἔτ' ἦν λοιπή.
Trach. 1276. μεγάλους μὲν ἰδοῦ | σα νέους θανάτους.
Antig. 156. τῆσδε Κρέων ὁ Με | νοικέως νεοχμός.
382. τοῖς βασιλείοισ | ιν ἄγουσι νόμοις.
Philoct. 1470. Νύμφαις ἁλίαι | σιν ἐπευξάμενοι.
Œd. Col. 1760. ὦ παῖδες, ἀπεῖ | πεν ἐμοὶ κεῖνος.
1771. διακωλύσω | μεν ἰόντα φόνον.
Electr. 94. ὅσα τὸν δύστη | νον ἐμὸν θρηνῶ.
Inachi fr. 2. Ἴναχε γεννᾶ | τορ παῖ κρηνῶν.

Euripid. Bacch. 1372. καὶ σὰς ἐδάκρυ | σα κασιγνήτους.
Hippol. 1376. τίς ἐφέστηκ' ἐν | δέξια πλεύροις.
Alcest. 82. ζῶσ' ἔτι φῶς λεύσ | σει Πελίου παῖς.

[q] Particula enclitica voci præcedenti ἀδιαλύτως adhæret.

Iph. Aul. 594. ἴδετ' Ἰφιγένει | αν ἄνασσαν ἐμήν.
Iph. Taur. 461. ἐν ναοῖσι πέ | λας τάδε βαίνει.
Aristoph. Nub. 451. ταῦτ' εἴ με λέγου | σιν ἀπαντῶντες.
889. ἐν τοῖς πολλοῖ | σι λέγων ἀπολῶ.
944. κεντούμενος ὥσ | περ ὑπ' ἀνθρηνῶν.
Ran. 1122. Παναθηναίοι | σι γελῶν, ὅτε δὴ
Acharn. 1142. ἴτε δὴ χαίρον | τες ἐπὶ στρατιάν.
Thesmoph. 52. μέλλει γὰρ ὁ καλ | λιεπὴς Ἀγάθων.
Vesp. 1473. τίς ἐπ' αὐλείοι | σι θύραις θάσσει.
1478. πλευρὰν λυγίσαν | τος ὑπὸ ῥώμης.
Pac. 97. τοῖς τ' ἀνθρώποι | σι φράσον σιγᾶν.
99. καιναῖς πλίνθοι | σιν ἀνοικοδομεῖν.
987. μὰ Δί' ἀλλ' ἀπόφη | νον ὅλην σαυτήν.
1002. δούλοισι χλανισ | κιδίων μικρῶν.
1003. κἀκ Βοιωτῶν | [r]γε φέροντας ἰδεῖν.
1320. κἄπειτ' εὔξαμέ | νους τοῖσι θεοῖς.
Av. 523. νῦν δ' ἀνδράποδ', ἢ | λίθιους, μανᾶς.
536. κἄπειτα κατε | σκέδασαν θερμόν.

Aliquando, etsi rarissime, vocabula sic dividit Aristophanes ut pars eorum in uno versu pars in altero legatur: sic Av. 733.

βίον, εἰρήνην, νεότητα, γέλω-
τα, χοροὺς, θαλίας, γάλα τ' ὀρνίθων.

Vesp. 750.

ἴν' ὁ κήρυξ φησὶ, τὶς ἀψήφι-
στος ἀνιστάσθω.

Apprime autem et præ ceteris tenendum est, ultimas versuum horum syllabas minime pro communibus habitas esse, sed eadem diligentia servatas ac si in mediis versibus repertæ forent. Hanc legem, a se prius in Epistola ad Millium p. 26=23. editam, postmodum in Dissertatione Phalaridea rationum exemplorumque pondere stabilivit Bentleius, cujus verba ex versione Lennepiana exscribo. "In dissertatione "ad Joann. Antioch. p. 26. nova quædam in medium protu- "leram de numeris anapæsti. Antea opinio stabat, cujusque "versus ultimam syllabam esse communem, idque tam ana- "pæsti, quam, quod notum est, hexametrorum aliorumque. "Ut, qui posterioribus hisce sæculis carmina fecerunt, sæpe

[r] Particula enclitica voci præcedenti ἀδιαλύτως adhæret.

" tribrachi, vel trochæo, vel cretico, anapæstos terminaverint; " aut versum concluserint vel vocali, vel litera M, cum in subsequentis initio esset vel vocalis, vel H. Quorum quodque " vitiosum: neque enim hæc licentia olim data scribentibus " anapæstos; sed continuabantur anapæsti, vel pares anapæsto pedes, usque ad versum illum, qui dicebatur parœmiacus, quasi unicus esset versus. Hanc dicebam communem Græcorum poëtarum regulam; nec ipse Seneca tragicus (ut pateat, hujus eum regulæ, quam nunc aperui, conscium fuisse) unquam cretico anapæstos terminavit, ut Buchananus, Scaliger, Grotius, cet. solent; licet, trochæo " aliquando, sed id etiam semel tantum atque iterum, nec nisi " finita verbis sententia. Confitebitur vel ipsa invidia, si " quod detexerim verum sit, id non parvi esse momenti. " Equidem mihi persuadco, si ante, quam carmina sua edidissent Buchananus et reliqui, esset inventus qui id patefaceret, eum summam ab illis gratiam fuisse initurum, quod " præcavisset ne in iis offenderent. Sed vide quod fatum " eos circumstet, qui nova aperiunt. Prodit tandem doctissimus Boyleus, ac doctis, qui octo novemve abhinc annos " fidem mihi habuerant, affirmat, *nihil falsum esse magis aut plenum errore posse, quam id, quod affirmaverim ego*. Diceres, " eum, qui tam audacter loquatur idque *ore tam confidente*, " (p. 158.) non posse non *certo cognitum habere, quod aiat*. " Num autem ea hic causa scriptoris censuræ? Num *digressus a proposito* certis verisque vestigiis? De hoc judicabit mox lector: sed non possum quin ante palam ei prædicem me nonnihil indignari, quod memet occupatum " sentiam in rebus tam futilibus, quas in medium protulerit, " refellendis.

" *Quid est*, inquit, p. 159. *quod Grotiis et Scaligeris, quibus viris! opponere sine ulla ratione audeas? Solent Græci tragici terminare trochæo vel tribrachi anapæstos: idque factum a Seneca quadraginta aut quinquaginta minimum in locis, sententia etiam verbis non finita*. Exempla, quibus nititur, " quinque sunt ex Æschylo, et pari numero e Seneca. " Primum, quod ex Æschylo depromsit, est Prom. v. 122.

Τὴν Διὸς αὐλὴν εἰσοιχνεῦσι
Διὰ τὴν λίαν——.

" et huic simile, quartum, v. 565.

Τὸν δὲ χαλινοῖς ἐν πετρίνοισι
χειμαζόμενον.

" Cadunt hi duo versus, ut opinatur scriptor censuræ, in tro- " chæos, ultima litera brevi. At, puto, aliquis Boyleo longe " indoctior cognovisset, σι hic esse longam posse, addita ei ν " ante consonantem, ut solent poëtæ; εἰσοιχνεῦσιν, πετρίνοισιν. " Didicisset id ex hac etiam, quam citat, fabula Boyleus, " v. 173.

Ἐπαοιδαῖσι θέλξει στερέας.

" vel e Supplic. 36,

Ὀμβροφόροισί τ' ἀνέμοις ἀγρίας·

" vel Aristophan. Plut.

Ἁλσὶ διασμηχθεὶς ὄναιτ' ἂν οὑτοσί,

" et Nub.

Ἰατρὸς ὢν καὶ μάντις ὥς φασὶ σοφός.

" In quibus locis omnibus et centenis aliis syllaba σι longa " est, quasi sit expressum, ἐπαοιδαῖσιν, ὀμβροφόροισιν, ἁλσὶν, " et φασίν. Et hæc quidem in mediis versibus omnia; ne " quid excipiat scriptor censuræ si in extremis anapæstis " sint.

" Sed melius fortasse ceciderit, quod secundo loco profert " ex Æschylo; Prom. 191.

Εἰς ἀρθμὸν ἐμοὶ καὶ φιλότητα
Σπεύδων.

" Hunc quoque versum terminari trochæo putat, quia τα " syllaba brevis est. Sed doctissimo censuræ scriptori dico, " τα in hoc loco syllabam esse longam, quod subsequens " verbum σπεύδων a duplici consonante incipiat. Nihil hoc " frequentius; ut exemplis ex ipso Æschylo petitis probabo, " et id quidem in mediis anapæstis:

Πῆμα στενάχω πῆ ποτε μόχθων.
Γένος ὠλέσατε πρυμνόθεν αὖθις.
Οὗς περὶ πᾶσα χθὼν Ἀσιῆτις.
Ἀλλὰ χθόνιοι δαίμονες ἁγνοί.

" v. Prom. v. 99. Sept. Theb. 1064. Pers. 61. 630. Nonne " πῆμα, ὠλέσατε, πᾶσα, et ἀλλὰ, in longam syllabam cadunt, " quia duæ consonantes subsequuntur? Num quoque Virgilii " oblitus est sui scriptor censuræ?

Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.
Æstusque, pluviasque, et agentes frigora ventos.
Ferte citi flammam, date tela, scandite muros.

" Aliud ex Æschylo est, Prom. 1084.

——στρόμβοι δὲ κόνιν
Εἱλίσσουσι——

" Ubi tribrachi terminari versum putat, νιν in voce κόνιν " brevi. Sed dico anapæstum esse, et potest ultima vocis " [r] κόνιν syllaba esse longa. Sic Homerus:

Εὗρον ἔπειτ' Ὀδυσῆα Διὶ μῆτιν ἀταλάντον.
Τῶν ἄρ' Ὀδυσσεὺς ἦρχε Διὶ μῆτιν ἀταλάντος.

" et Aristophan. in Avibus:

Ὁπότ' ἐξέλθοι Πρίαμός τις ἔχων ὄρνιν ἐν τοῖσι τραγῳδοῖς.

" Nunc quod reliquum est ex Æschylo sumtum exemplum " videamus, Prom. v. 156.

Νῦν δ' αἰθέριον κίνυγμ' ὁ τάλας.

" Etiam hic tribrachin esse censet; tam enim est in poëtis " Græcis versatus, ut ultimam syllabam vocis τάλας brevem " habeat. Quid itaque huic ejusdem poëtæ anapæsto fiet? " Sept. Theb. 1071.

Τεύξῃ κεῖνος δ' ὁ τάλας ἄγοος.

" Numquid in medio æque atque extremo versu tribrachi " locus? Quid his Euripidis? Hippol.

Καὶ μὴν ὁ τάλας ὅδε δὴ στείχει.
Ἀπόλωλα τάλας, οἴμοι, οἴμοι.

" Quid his iambis, ex eadem fabula?

Οὐ τλῆτον οὐδὲ λεκτὸν ὦ τάλας ἐγώ.
Ἄρηρεν ὡς ἔοικεν ὦ τάλας ἐγώ.

" Aut his, ex Sophoclis Philoct. Antig. Œd. Tyr. et Ajac.

Οἴμοι τάλας ἀλλ' οὐχ ὁ Τυδέως γόνος.
Ἴησι δυσθρήνητον ὦ τάλας ἐγώ.
Οἴμοι τάλας ἔοικ' ἐμαυτὸν εἰς ἀράς.
Ὡς ὧδ' ἐχόντων, ὦ τάλας ἐγὼ τάλας.

" Vix, puto, fabula est, sive comœdia sive tragœdia, ex qua " non aliquod exemplum peti contra scriptorem censuræ " possit. Sed promat, si possit, ille aut *ejus adjutor, qui pro*

[r] Exemplum suppeditat Æschylus ipse Suppl. 179.
Ὁρῶ κόνιν ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ.

"*eo quæsivit*, unicum modo ubi λας in τάλας syllaba sit brevis. Quid ergo cum animo suo cogitavit cum hæc scriberet? "Meminerit forte illius Theocriti, Id. II.

Ὅς μοι δωδεκαταῖος ἀφ' ὦ τάλας οὐδεπόθ' ἥκει.

"Nam illic brevis est. Sed, quæ ejus in Græcis literis peritia est, novisset esse Doricum, nec ut exemplum valere, "ubi non sit istius linguæ rationibus locus. Nam etiam in "quarto casu pluralis numeri ας brevis est Doribus: ut ex "eodem Theocrito, Id. III. apparet:

βόσκονται κατ' ὄρος, καὶ ὁ Τίτυρος αὐτᾶς ἐλαύνει.
Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε, βόσκε τὰς αἶγας.

"Vidimus jam omnia exempla quæ e poëtis Græcis deprom-"sit scriptor censuræ: ac fateor, cum ad ea retro convertam "oculos, obstupescere me temerarii audaciam scriptoris; qui, "cum horum studiorum plane esset imperitus, sine ulla ne-"cessitate in res tam remotas a sua intelligentia se inter-"posuit. Deflexit, ut ait, *de via*, ut quæreret in quo posset "offendere: qua quidem digressione minime opus erat: nam "nulla temere pagina est in qua, etiamsi firmissime insistat "proposito, non offendat. Quid tandem erat, quo ad judi-"cium suum de anapæstis Græcis interponendum provoca-"retur is, qui ostenderat ne quidem sibi constare de numeris "versus iambici Latini. Reddiderat duo versus Græcos, in "Ep. Phalaridis sui 81. (114.) sic:

Multo videtur satius, *timentem* nihil
Futura fata, quam timentem, perpeti.

"Prior quorum vacillat, et auctoris prodit scientiam; qui nisi "omnino ignorasset claudicare versum, aliud, quod sumeret, "in promtu habuisset verbum, *metuentem*.

"Quum autem male cesserit scriptori censuræ quod in "Æschylo tentavit, nec eo contentus sit ad existimationem "suæ in poëtis peritiæ imminuendam, quidquid de ea reli-"quum est, id omne perdere velle videtur, cum judicis perso-"nam agat in Tragœdiis Senecæ (p. 159.) Orditur a loco, "in Agamemn. 337.

Trucibus monstris. Stetit imposita
Pelion Ossa: pinifer ambos
Pressit Olympus.

"Hoc in medium adfert, ut probet tribrachi posse terminari

" anapæstum: unde intelligas existimasse eum *imposita* hic, " ultima syllaba brevi esse; ut, ex Boylei sententia de verborum constructione, *imposita Ossa* sit in casu primo positum. Jam unum hoc mihi peto; ut, nisi sit aliquod " mysterium, efferat quo ordine construat hæc verba. Num, " *Ossa imposita stetit Pelion?* Sed valde rarum *stetit* cum " nomine in quarto casu. An, *Ossa stetit imposita Pelion?* " Sed *imposita* ante nomen in quarto casu rarius etiam " altero. Præterea si tribrachis *imposita* in extremo versu, " *Ossa* trochæus est in medio; quod non tantum pugnat " cum iis, quæ aperui, de anapæstis, sed cum omnibus quæ " unquam tradita sunt.

" Sed ex hoc loco fortasse conjecturam aliquis fecerit, esse " Boyleo peculiarem æque grammaticam atque dialecticam. " Quam primum eam divulgaverit, ad discendum ero paratus. " Interea temporis *imposita*, ut ante eum omnes, accipio in " casu sexto, *stetit impositâ Pelion Ossâ.* Jam fere 16 sæcula " sunt, quum primum hæc edebantur, et vix credi potest tam " præpostere unquam ante verba fuisse constructa, nisi fortasse in infimo ordine ludi cujusdam literarii.

" E quatuor locis reliquis, quæ, tanquam Senecæ, citat, " tria non minus sumta sunt ex Hercule Œtæo quæ fabula " Senecæ non est, quemadmodum octoginta abhinc annis " jam probavit doctissimus ille Daniel Heinsius: ut hoc, tanquam unum de meis paradoxis, pro more suo explodere non " possit scriptor censuræ. Unicum itaque restat exemplum, " e Senecæ Medea, ad refutandum id, quod aio, semel atque " iterum fieri. Lepidum vero adversarium! Veruntamen hoc " ei dico, etiamsi sex exempla protulisset, et omnia bona illa, " eum nihil aliud ostensurum fuisse, nisi quam esset animo " ad calumniandum propenso. Nam *semel atque iterum*, ἅπαξ " καὶ δὶς, non speciatim *bis* valet, sed sæpe *raro*; ut δὶς καὶ " τρὶς, *bis terque, iterum atque tertium*, non *ter* solum, sed *sæpe*. " *Decies* itaque potest esse *raro*, quum numerus, ad quem pertinet, aliquot centenis vel millenis terminatur.

" Secutus nunc sum vestigia scriptoris censuræ, cum *digressus est a proposito:* ipse autem, ubi otium erit, cogitabit " quantum ex hac digressione in se laudis redundaverit. Videtur ille una cum fido suo Achate quicquid unquam ediderim

" ego, id omne excussisse; selegitque hunc locum, ut maxime " omnium telis expositum suis. Et, cum triumphus videretur " dignus digressione, quo eum consequeretur de via declina- " vit. Sed cum maxime, puto, intelliget, *non* (p. 160.) *posse* " UNUMQUEMQUE, *si modo oculos in Senecam et Græcos tragicos* " *conjecerit, refellere Bentleium.*

" Is, qui non solum *oculos conjecit* in libros de quibus vult " disserere, sed etiam diligenter eos legit, in medium afferre " varia exempla potuisset anapæstorum, qui cadere in tro- " chæum, vel tribrachin, vel creticum, viderentur. Hoc etsi " pulchre noveram cum quæ erant a me observata aperie- " bam; lectorem tamen ejus non admonebam, sed totum, " quodcunque erat, judicandum ei relinquebam; ratus, si " quando perpenderet hujusmodi exempla, ipsummet aptum " futurum ad rationem illorum reddendam. Quoniam vero " palam oppugnata sunt ea, quæ disputaveram; ut ne quis " arbitretur, non veritatem, sed ejus qui oppugnaverit infir- " mitatem effecisse ne everterentur; singula quæ quidem in " Græcis tragicis, Aristophane, et Seneca, invenero illis con- " traria in medium proferam; et ostendam, esse omnia cor- " rupta a librariis. Eritque singulorum facilis et promta " correctio demonstrationis instar cordato lectori, non posse " non esse vera, quæ disseruerim. Primum, cretico termina- " tur versus Æschyli, in Prom. 279.

Καὶ νῦν ἐλαφρῷ ποδὶ κραιπνόσσυτον
Θῶκον προλιποῦσ'———

" Quæ scriptura, si rata habetur, argumento contra me est " ultimam syllabam esse communem. Sed corrigendum κραι- " πνόσυτον, cum simplici σ; ac tum anapæstus erit. Utuntur, " aut simplici aut duplici consonante poëtæ, prout numerus " postulat. Hesychius; αὐτόσυτος, αὐτοκέλευστος· Σοφοκλῆς. " Σκυρίοις. Dein, Æschyl. Eumen. 1008.

Πρὸς φῶς ἱερὸν τῶνδε προπομπὸν
Ἴτε, καὶ σφαγίων τῶν δ' ὑπὸ σεμνῶν
Κατὰ γῆς σύμεναι, τὸ μὲν ἀτήριον
Χώρας κατέχειν.———

" Primus horum versuum in trochæum cadit, tertius in creti- " cum; utrumque contrarium ei, quod volebam. Sed in " primo legendum προπομπῶν, quemadmodum ex verborum

"sentententia conjecerat Stanleius, vir doctus; quodque confirmat nunc numerus. In tertio autem pro *ἀτήριον*[s] repono *ἀτηρὸν*, quod ejusdem virtutis et altero usitatius; ipse Æschyl. Prometh. 745. sic:

*Δυσχείμερόν γε πέλαγος ἀτηρᾶς δύης.*

"Tertius locus Sophoclis est, Electr. 112.

*Σεμναί τε θεῶν παῖδες Ἐριννύες*
*Τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε.* [*αἳ τοὺς ἀ.* Ald.]

"Rursus cretico terminatum priorem versum habes; sed dactylus erit, si, quemadmodum par est, sine *τοὺς* legetur;

*Ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε.*

"Versus est parœmiacus, quæ semper anapæstorum clausula; ubi trochæo, qui est in *ὁρᾶτε*, aptus locus. Tum in Sophoclis Antig. 129.

*Ὑπερεχθαίρει καὶ σφᾶς εἰσιδών·*

"Creticus *εἰσιδών* culpa librarii scriptus est pro anapæsto *ἐσιδών*. Præterea in Sophoclis Philoctete, extr.

*Χωρῶμεν νῦν πάντες ἀολλέες*
*Νύμφαις ἁλίαισιν ἐπευξάμενοι.*

"Creticus in formam spondæi convertetur facili vocabuli *ἀολλέες* in *ἀολλεῖς* mutatione, quæ vera scriptura est. Adhæc in Euripidis Med. 1087.[t]

*Παῦρον δὴ γένος ἐν πολλαῖσιν*
*Εὕροις ἂν ἴσως.*—

"Est trochæus in extremo versu; sed si corrigemus *πολλαῖσίν γ'*, erit spondæus, ut oportet. Tum, ibid. 1103.

*Ἔτι δ' ἐκ τούτων, εἴτ' ἐπὶ φλαύροις*
*Εἴτ' ἐπὶ χρηστοῖς μοχθοῦσι, τόδε*
*Ἔστιν ἄδηλον.*

"Versus medius, ut vulgo scribitur, contra me est; sed numeri mutandi, et distinguendi sic:

*Εἴτ' ἐπὶ χρηστοῖς*
*Μοχθοῦσι, τόδ' ἔστιν ἄδηλον.*

[s] Hanc vocem imperite admodum Sophocli Antig. v. 4. donavit Brunckius loco viris eruditis desperato. Ipse nihil dubito quin recte emendaverit Porsonus, *οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν, οὔτ' ἄτης ἔχον*. Similis est constructio Œd. T. 709. *βρότειον οὐδὲν μαντικῆς* ΕΧΟΝ ΤΕΧΝΗΣ.

Hipp. 742. ἀρθείην δ' ἐπὶ πόντιον
..................
ἀκταῖς Ἠριδανοῦ θ' ὕδωρ
761. ὦ λευκόπτερε Κρησία
πορθμὶς ἃ διὰ πόντιον.
Alc. 568. δοχμιᾶν διὰ κλιτύων
984. καὶ μετάρσιος ἦξα καὶ
πλείστων ἁψάμενος λόγων
......................
εὗρον οὐδέ τι φάρμακον
Θρῄσσαις ἐν σανίσιν τὰς
1009. κλαίων τοὺς φθιμένους ἄνω.
Supp. 975. κεῖται μνήματα πένθιμοι
κουραὶ καὶ στέφανοι κόμας.
Iph. Aul. 164. ἔμολον ἀμφὶ παρακτίαν
ψάμαθον Αὐλίδος ἐναλίας
Εὐρίπου διὰ χευμάτων
....................
ἀγχιάλων ὑδάτων τρόφον.
180. Πάρις ὁ βούκολος ἂν ἔλαβεν
.....................
Ἥρᾳ Παλλάδι τ' ἔριν ἔριν.

Iph. Aul. 213. *ἅμιλλαν δ' ἐπόνει ποδοῖν.*
299. *ἔνθα δάϊον εἰδόμαν.*
544. *μάκαρες οἱ μετρίας θεοῦ*
*μετά τε σωφροσύνας μετέσ-*
756. *ἥξει δὴ Σιμόεντα καὶ*
766. *κοσμηθεῖσαν ὅταν θεοῦ*
778. *Πέργαμον δὲ Φρυγῶν πόλιν*
790. *μήτ' ἐμοῖσι τέκνων τέκνοις*
796. *τίς ἄρα μ' εὐπλοκάμους κόμας*
1091. *οὐ σύριγγι τραφεῖσαν οὐδ'*
1101. *ἀνομία δὲ νόμων κρατεῖ*

Iph. T. 405. *βωμοὺς καὶ περικίονας*
1097. *πόντου δειράδας ἀλκυὼν*
1101. *ἐγώ σοι παραβάλλομαι.*

Troad. 1067. *οὕτω δὴ τὸν ἐν Ἰλίῳ*
*ναὸν καὶ θυόεντα βω-*
. . . . . . . . . . . . . . . . . .
*ὦ Ζεῦ καὶ πελάνων φλόγα*
*σμύρνης αἰθερίας τε κα-*

Bacch. 111. *στικτῶν τ' ἐνδυτὰ νεβρίδων*
118. *ἀφ' ἱστῶν παρὰ κερκίδων τ'*
154. *Τμώλου χρυσορόου χλιδὰ*
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
*βαρυβρόμων ὑπὸ τυμπάνων*
404. *Πάφον θ' ἂν ἑκατόστομοι*
*βαρβάρου ποταμοῦ ῥοαὶ*
862. *ἆρ' ἐν παννυχίοις χοροῖς*
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
*ἡνίκ' ἂν φοβερὸν φύγῃ*
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
*εὐπλέκτων ὑπὲρ ἀρκύων*
*θωΰσσων δὲ κυναγέτας*
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
*μόχθοις τ' ὠκυδρόμοις τ' ἀέλ-*
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
*παρὰ θεῶν γέρας ἐν βροτοῖς*

Helen. 1481. *λάβετέ τ' ἐλατίνας πλάτας*
1508. *σύννομοι νεφέων δρόμου*

Ion. 120. *μυρσίνας ἱερὰν φόβαν*
*ᾧ σαίρω δάπεδον θεοῦ*

Ion. 190. ἀλλὰ καὶ παρὰ Λοξίᾳ
τῷ Λατοῦς διδύμων προσώ-
214. λεύσσω Παλλάδ' ἐμὰν θεόν.
1104. τὰν χρυσοστέφανον κόραν.
Her. Fur. 346. αἴλινον μὲν ἐπ' εὐτυχεῖ.
354. ὑμνῆσαι στεφάνωμα μόχ-
θων δι' εὐλογίας θέλω
γενναίων δ' ἀρεταὶ πόνων
361. ξανθὸν κρᾶτ' ἐπινωτίσας
645. μή μοι μήτ' Ἀσιήτιδος
651. τὸ δὲ λυγρὸν φόνιόν τε γῆ-
ρας μισῶ, κατὰ κυμάτων δ'
ἔρροι μηδέ ποτ' ὤφελεν
θνατῶν δώματα καὶ πόλεις
ἐλθεῖν ἀλλὰ κατ' αἰθέρ' αἰ-
678. μὴ ζώην μετ' ἀμουσίας
782. Ἰσμήν' ὦ στεφανηφόρει
ξεσταί θ' ἑπταπύλου πόλεως
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
σύν τ' Ἀσωπιάδες κόραι
Electr. 115. ἐγενόμαν Ἀγαμέμνονος
117. στυγνὰ Τυνδαρέου κόρα
κικλήσκουσι δέ μ' ἀθλίαν
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
φεῦ φεῦ τῶν σχετλίων πόνων
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
κεῖσαι σᾶς ἀλόχου σφαγαῖς
146. διέπομαι κατὰ μὲν φίλαν
ὄνυχι τεμνομένα δέραν
χερά τε κρᾶτ' ἐπὶ κούριμον
438. ἵν' ὁ φίλαυλος ἔπαλλε δελ-
φὶς πρώραις κυανεμβόλοι-
458. κλεινᾶς ἀσπίδος ἐν κύκλῳ

Sequentem cantum ex Aristoph. Thesmoph. 1147. inter Glyconeos ponit Hermannus.

Παλλάδα τὴν φιλόχορον ἐμοὶ
δεῦρο καλεῖν νόμος ἐς χορὸν,
παρθένον, ἄζυγα κούρην,
ἣ πόλιν ἡμετέραν ἔχει
καὶ κράτος φανερὸν μόνη,
κληδοῦχός τε καλεῖται.

φάνηθ', ὦ τυράννους
στυγοῦσ', ὥσπερ εἰκός. } Bacchiaci.
δῆμός τοι σὲ καλεῖ γυναι-
κῶν, ἔχουσα δ' ἐμοὶ μόλοις
εἰρήνην φιλέορτον.

Glyconeis puræ formæ sæpe immiscentur et in antitheticis opponuntur polyschematisti, ex antispasti variis formis et choriambo compositi: de quibus fusius agetur infra ad cap. XVI. 2. Interim singulari exemplo, quæ modo dicta sunt, libet confirmare. Euripid. Electr. 175.

Stropha.

οὐκ ἐπ' ἀγλαΐαις, φίλαι,
— ∪ — ∪ | ∪ — ∪ —
θυμὸν, οὐδ' ἐπὶ χρυσέοις
— ∪ — ∪ | ∪ — ∪ —
ὅρμοις ἐκπεπόταμαι
— — — ∪ | ∪ — —
τάλαιν', οὐδὲ στᾶσα χοροὺς
∪ — — — | — ∪ ∪ —
Ἀργείοις ἅμα νύμφαις,
— — — ∪ | ∪ — —
ἑλικτὸν κρούσω πόλεμον.
∪ — — — | — ∪ ∪ —
δάκρυσι χορεύω, δακρύων δέ μοι μέλει
∪ ∪ ∪ ∪ — | — ∪ ∪ — | ∪ — ∪ —
δειλαίᾳ τὸ κατ' ἦμαρ.
— — — ∪ | ∪ — —
σκέψαι μου πιναρὰν κόμαν,
— — — ∪ | ∪ — ∪ —
καὶ τρύχη τάδ' ἐμῶν πέπλων,
— — — ∪ | ∪ — ∪ —
εἰ πρέποντ' Ἀγαμέμνονος
— ∪ — ∪ | ∪ — ∪ —
κούρᾳ, τᾷ βασιλείᾳ,
— — — ∪ | ∪ — —
τᾷ Τροίᾳ θ', ἃ μου πατέρος
— — — — | — ∪ ∪ —
μέμναταί ποθ' ἀλοῦσα.
— — — ∪ | ∪ — —

Antistropha.

οὐδεὶς θεῶν ἐνοπᾶς κλύει
— — — ∪ | ∪ — ∪ —
τᾶς δυσδαίμονος, οὐ παλαι-
— — — ∪ | ∪ — ∪ —
ὧν πατρὸς σφαγιασμῶν.
— — — ∪ | ∪ — —
οἴμοι τοῦ καταφθιμένου,
— — — ∪ | — ∪ ∪ —
τοῦ τε ζῶντος ἀλάτα,
— — — ∪ | ∪ — —
ὃς ποῦ γᾶν ἄλλαν κατέχει
— — — — | — ∪ ∪ —
μέλεος, ἀλαίνων ποτὶ θῆσσαν ἑστίαν,
∪ ∪ ∪ ∪ — | — ∪ ∪ — | ∪ — ∪ —
τοῦ κλεινοῦ πατρὸς ἐκφύς.
— — — ∪ | ∪ — —
αὐτὰ δ' ἐν χέρνησι δόμοις
— — — — | — ∪ ∪ —
ναίω ψυχὰν τακομένα,
— — — — | — ∪ ∪ —
δωμάτων πατρῴων φυγὰς
— ∪ — ∪ | ∪ — ∪ —
οὐρείας ἂν' ἐρίπνας.
— — — ∪ | ∪ — —
ματὴρ δ' ἐν λέκτροις φονίοις
— — — — | — ∪ ∪ —
ἄλλῳ ξύγγαμος οἰκεῖ.
— — — ∪ | ∪ — —

Jure autem a Diomede aliisque hoc metrum Anacreontium vocari liquet ex carminibus aliquot istius poëtæ quæ ad nostra tempora pervenerunt, quorum unum servavit Scholiastes Hephæstionis supra p. 128. Alterum Dio Chrys. Or. II. p. 31 D=

Ὦναξ, ᾧ δαμάλης Ἔρως
καὶ Νύμφαι κυανώπιδες
πορφυρέη τ' Ἀφροδίτη
συμπαίζουσιν, ἐπιστρέφεαι δ'
ὑψηλῶν κορυφὰς ὀρέων,
γουνοῦμαί σε, σὺ δ' εὐμενὴς
ἔλθ' ἡμῖν, κεχαρισμένης δ'
εὐχωλῆς ἐπακούειν.
Κλευβούλῳ δ' ἀγαθὸς γένευ
σύμβουλος· τὸν ἐμὸν δ' ἔρωτ'
ὦ Δεύνυσε δέχεσθαι.

Tertium Athenæus XIII. p. 599 C.

Σφαίρῃ δεῦτέ με πορφυρέῃ
βάλλων χρυσοκόμης Ἔρως
νήνι ποικιλοσαμβάλῳ
συμπαίζειν προκαλεῖται.
ἡ δ', ἐστὶν γὰρ ἀπ' εὐκτίτου
Λέσβου, τὴν μὲν ἐμὴν κόμην,
λευκὴ γάρ, καταμέμφεται,
πρὸς δ' ἄλλην τινὰ χάσκει.

Quartum Idem p. 564 D.

Ὦ παῖ παρθένιον βλέπων
δίζημαί σε, σὺ δ' οὐ κλύεις,
οὐκ εἰδὼς ὅτι τῆς ἐμῆς
ψυχῆς ἡνιοχεύεις.

Aliud Strabo III. p. 151. ed. Par. 196 Coray.

Ἐγὼ δ' οὔτ' ἂν Ἀμαλθίης
βουλοίμην κέρας, οὐδ' ἔτεα
πεντήκοντά τε χἤκατὸν
Ταρτησσοῦ βασιλεῦσαι.

Mitto alia. Non prætereundum vero hoc metrum a Terentiano Mauro v. 2607. Mario Victorino p. 2597=205. Atilio Fortunat. p. 2675=316. pro choriambico haberi, perperam

ad antispasticum genus ab Hephæstione referri judice Hermanno Epit. Doct. Met. III. 2. s. 459. seqq.

P. 62, 9. *Σαπφικὸν ἐννεασύλλαβον, ἢ Ἱππωνάκτειον*] [1] Hic versus una syllaba Glyconeo est procerior. Sæpissime in tragicorum melicis invenitur. Exempla sunto

Soph. Œd. Col. 133. *ἰέντες τὰ δὲ νῦν τιν' ἥκειν*
668. *εὐίππου ξένε τᾶσδε χώρας*
672. *θαμίζουσα μάλιστ' ἀηδὼν*
674. *τὸν οἰνῶπ' ἀνέχουσα κισσὸν*
680. *θείαις ἀμφιπολῶν τιθήναις*
1213. *ζώειν σκαιοσύναν φυλάσσων*
Antig. 604. *τεὰν Ζεῦ δύνασιν τίς ἀνδρῶν*
Aj. 596. *ὦ κλεινὰ Σαλαμὶς σὺ μέν που*
1206. *ἐρώτων δ' ἀπέπαυσεν. ᾤμοι.*
Phil. 139. *καὶ γνώμα παρ' ὅτῳ τὸ θεῖον*
Eurip. Hec. 449. *ἅτε ποντοπόρους κομίζεις*
451. *ποῖ με τὰν μελέαν πορεύσεις*
635. *Ἰδαίαν ὅτε πρῶτον ὕλαν*
906. *κηλῖδ' οἰκτροτάταν κέχρωσαι*
*τάλαιν', οὔκετι σ' ἐμβατεύσω.*
Med. 830. *ξανθὰν Ἁρμονίαν φυτεῦσαι.*
Hipp. 746. *ἔνθα πορφύρεον σταλάσσουσ'*
Alcest. 1015. *ἐζεύξω κλισίαις ἄκοιτιν.*
Suppl. 957. *οὐκέτ' εὔτεκνος οὐκέτ' εὔπαις*
Iph. T. 1131. *πεντηκόντορος οἶκον ἄξει*
Rhes. 342. *Ἀδράστεια μὲν ἁ Διὸς παῖς*
345. *ψυχᾷ προσφιλές ἐστιν εἰπεῖν*
Bacch. 902. *εὐδαίμων μὲν ὃς ἐκ θαλάσσας*
904. *εὐδαίμων δ' ὃς ὕπερθε μόχθων*
906. *ὄλβῳ καὶ δυνάμει παρῆλθεν.*
Heracl. 359. *μήπω ταῖς μεγάλαισιν οὕτω*
372. *εἰρήνα μὲν ἔμοιγ' ἀρέσκει*
375. *οὐχ οὕτως ἃ δοκεῖς κυρήσεις.*
751. *γᾶ καὶ παννύχιος σελάνα*
758. *μέλλω τᾶς πατριώτιδος γᾶς*
897. *εἴη δ' εὔχαρις Ἀφροδίτα.*

[1] Hunc versum potius logaœdicum esse cum basi censet Hermannus El. Doct. Metr. p. 224. i. e. constare ex duabus syllabis, dactylo, et duobus trochæis. Quem vide iterum p. 560.

Eurip. Ion 113. καλλίστας προπόλευμα δάφνας
186. οὐκ ἐν ταῖς ζαθέαις Ἀθάναις
208. παντᾷ τοι βλέφαρον διώκω.
1069. καὶ μεθαμερίων ὅδωσον
Herc. Fur. 679. αἰεὶ δ' ἐν στεφάνοισιν εἴην
Electr. 466. τῷ Μαίας ἀγροτῆρι κούρῳ
489. ὄψομ' αἷμα χυθὲν σιδάρῳ.

P. 62, 12. τῶν δὲ τριμέτρων, τὸ μὲν καταληκτικὸν,—[m] Φαλαίκειον] Specimen hujus metri præbet ipse Phalæcus in Brunckii Analectis T. I. p. 421. Anthol. Pal. XIII. 6.

τοῦτ' ἐγὼ τὸ περισσὸν εἰκόνισμα
τοῦ κωμῳδογέλωτος εἰς θρίαμβον
κισσῷ καὶ στεφάνοισιν ἀμπυκασθὲν
ἕστασ', ὄφρα Λύκωνι σᾶμ' ἐπείη.
ὅσσα γὰρ [n] κατέπραξε λαμπρὸς ἀνὴρ,
μνᾶμα τοῦ χαρίεντος ἔν τε λέσχᾳ
ἔν τ' οἴνῳ τόδε [o] κῆπὶ τοῖς ἔπειτα
ἄγκειται, παράδειγμα τᾶς ὀπωπᾶς.

In tragicis sequentia observavi loca.

Soph. Phil. 136. στέγειν ἢ τι λέγειν πρὸς ἄνδρ' ὑπόπταν.
682. τοῦδ' ἐχθίονι συντυχόντα θνατῶν.
1140. ἀνδρός τοι τὸ μὲν εὖ δίκαιον εἰπεῖν.
1145. κοινὰν ἤνυσεν ἐς φίλους ἀρωγάν.
Eurip. Hec. 457. φασὶν Ἀπίδανον γύας λιπαίνειν
Or. 823. ἢ ματροκτόνον αἷμα χειρὶ θέσθαι.
Rhes. 361. Τροία τοὺς προπότας παναμερεύσει
Heracl. 761. κίνδυνον πολιῷ τεμεῖν σιδάρῳ.

Legitur etiam hic hendecasyllabus in Scoliis, de quibus vide infra ad c. XVI.

Atilius Fortunatianus p. 2676 = 318. *Hendecasyllabus, quem Phalæcium vocamus, apud antiquos auctores solebat incipere alias a spondeo, alias ab iambo, alias a trochæo; ut apud Catullum, hendecasyllabus a spondeo*

Passer deliciæ meæ puellæ

*a trochæo,*

Arido modo pumice expolitum.

[m] Φαλαίκειον] Rectius cum Hermanno statues hunc versum constare ex basi, i. e. quovis disyllabo pede, dactylo, et tribus trochæis.

[n] κατέπραξε] Sic ed. Brunck. καθύπερθε MS. ποτ' ἔπαιξε et κάμ' ἔνερθε conj. Jacobs.

[o] κἄτι Jacobs. καὶ τὶ MS.

*ab iambo*

Meas esse aliquid putare nugas.

*quæ omnia genera hendecasyllabi Catullus, et Sappho et Anacreonta et alios auctores secutus, non tanquam vitiosa vitavit, sed tanquam legitima inseruit.* Observat Hermannus Elem. Doct. Metr. p. 368. Catullum magno cum elegantiæ detrimento etiam spondeum pro dactylo admisisse,

*Oramus si forte non molestum est.*

De hoc metro plura quærentibus dabunt Diomedes p. 509 = 489. Marius Victorinus pp. 2566 = 162. 2595 = 203. Terentianus p. 2440. v. 2545.

Est alia hendecasyllabi antispastici species a superiore diversa, quæ in secunda dipodia antispastum purum habet. Istam describit Terentianus p. 2426. v. 1940. Marius Victorinus p. 2576 = 175. *Heroi versus primam incisionem, quam πενθημιμερῆ tomen vocant, in qua prior est spondeus, secundus dactylus, dehinc syllaba, si duobus pedibus integri duntaxat sensus ex cujuslibet fine versus hexametri connectas, propagabis versum hendecasyllabum, formæ alterius, quam est ille, qui subnexo Phalæcio figuratur. Hoc frequenter est usa Sappho.* An inter Sapphonis reliquias exemplum hujus metri exstet, nolim adfirmare. Sed huc refer Anacreontem apud Etymolog. M. p. 713.

τίλλει τοὺς κυάμους ἀσπιδιώτης.

Et *Anacreontium* vocat Servius c. 6. Nonnunquam usurpabant poëtæ scenici; ut Sophocl. Antig. 944.

ἔτλα καὶ Δανάας οὐράνιον φῶς.

Loca quæ sequuntur indicavit Porsonus in addendis ad Euripid. Hecub. p. 82. ed. secundæ.

Sophocl. Aj. 628. οὐδ' οἰκτρᾶς γόον ὄρνιθος ἀηδοῦς.
640. ὀργαῖς ἔμπεδος, ἀλλ' ἐκτὸς ὁμιλεῖ.
Œd. Col. 696. οὐδ' ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ.
701. γλαυκᾶς παιδοτρόφου φύλλον ἐλαίας.
703. σημαίνων ἁλιώσει χερὶ πέρσας.
709. δῶρον τοῦ μεγάλου δαίμονος εἰπεῖν.
714. ἵπποισιν τὸν ἀκεστῆρα χαλινόν.
716. ἁ δ' εὐήρετμος ἔκπαγλ' ἁλία χερ-
Phil. 203. φωτὸς ξύντροφος, ὡς τειρομένου του.

Soph. Phil. 212. ὡς οὐκ ἔξεδρος ἀλλ' ἔντοπος ἀνήρ.
710. πλὴν ἐξ ὠκυβόλων εἴποτε τόξων.
722. ὅς νιν ποντοπόρῳ δούρατι, πλήθει.
Aristoph. Eq. 556. δεῦρ' ἐλθ' εἰς χορὸν, ὦ χρυσοτρίαιν' ὦ.
557. δελφίνων μεδέων Σουνιάρατε.
586. νικὴν, ἣ χορικῶν ἐστὶν ἑταίρα.
587. τοῖς τ' ἐχθροῖσι μεθ' ἡμῶν στασιάζει.

Alia forma est Euripid. Orest. 1501.
ἄθυρσοι δ' οἷά νιν δραμόντε βάκχαι.
∪ – – – | ∪ – ∪ – | ∪ – –

P. 63, 2. ἀκατάληκτον] De Asclepiadeo consulendi Diomedes p. 508 = 487. Servius p. 1824 = 374. Marius Victorinus p. 2557 = 148. Atilius Fortunat. p. 2700 = 353. Antispastici trimetri acatalecti videntur Sophocl. Antig. 951.
ἀλλ' ἁ μοιριδία τις δύνασις δεινά.
– – – ∪ | ∪ – – ∪ | ∪ – – –

Aj. 195. στηρίζει ποτε τᾷδ' ἀγωνίῳ σχολᾷ.
– – – ∪ | ∪ – ∪ – | ∪ – ∪ –

Hypercatalectus est Rhesi 366.
Σπάρταν οἰχομένων Ἰλιάδος παρ' ἀκτᾶς.
– – – ∪ | ∪ – – ∪ | ∪ – ∪ – | –

P. 64, 5. Tetrameter catalecticus Soph. Œd. Col. 694.
ἔστιν δ' οἷον ἐγὼ γᾶς Ἀσίας οὐκ ἐπακούω.
– – – ∪ | ∪ – – ∪ | ∪ – – ∪ | ∪ – –

P. 64, 9. Metrum Priapeum, ut cum verbis Marii Victorini p. 2598 = 207. loquar, *constat duobus metris, quorum prius est Glyconium octo syllabarum, sequens Pherecration syllaba diminutum, ita tamen, ut novissima Glyconii, id est octava syllaba, longa sit, si natura brevis fuerit, veluti,*

Nereus ut caneret fera | grato Pyrrha sub antro.

*Igitur, quod hoc versu Priapi laudes plerique canendo prosecuti sunt, Priapeum metrum nuncuparunt, quod genus hexametri adeo abhorret ab heroi lege, ut utraque pars commatis nonnunquam trochæis et iambis, aut pro spondeo anapæstis inchoetur, aut etiam cretico prius comma pro dactylo terminetur, ut est apud Catullum,*

Nam te præcipue in suis,

*dehinc,*

Hellespontia ceteris.

*quando bina sunt cola, mora distinctionis intercedente; quod genus versuum apud Græcos comœdiarum veterum scriptores plurimum est, et magis apud eos qui satyrica scripserunt, unde a nonnullis satyricon prius vocabatur, verum postea abiit in consuetudinem ut Priapeum appellaretur.* Atilius Fortunatianus p. 2675=317. *Ex hac divisione et Priapeus nascitur versus. Cujus exemplum apud Catullum,*

Hunc locum tibi dedico consecroque Priape.

*Nam cum in duo commata hic versus dividatur, superius comma octo syllabarum, et insequens septem, diminuta superioris commatis parte; ut si facias,*

Mater sæva Cupidinum, mater sæva Cupido.

*Sed adeo totus hic ex heroo venit hexametro, ut et apud Homerum nullo immutato verbo complures inveniantur Priapei, et apud Virgilium, quorum unum in præsentia posuimus, qui forte succurrit: credo et alios inveniri posse complures;*

Cui non dictus Hylas puer, et Latonia Delos.

*quod apparet ita esse, quoniam ita hujus versus exigit natura, ut inter duo commata exiguam pronunciando interponas moram. Nam,*

Cui non dictus Hylas puer,

*par est huic,*

Hunc lucum tibi dedico.

*sequens autem comma,*

Et Latonia Delos,

*huic,*

Consecroque Priape.

*Non ignoro autem variari primas et secundas syllabas utriusque in Priapeo commatis, ut modo ab iambo incipiat, modo ab trochæo; tanquam,*

Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape.

*et,*

Libens hoc tibi dedico, libens sancte Priape.

Adde eundem p. 2696=348. Diomedem p. 512=495. Servium p. 1825=375. Terentianum Maurum p. 2444. v. 2741. Plotius p. 2635=258. *Priapeium metrum monoschematistum est. Constat enim spondeo, duobus dactylis, spondeo, dactylo et spondeo, ut est apud Homerum versus ille,*

Κουρῆτές τ' ἐμάχοντο καὶ Αἰτωλοὶ μενεχάρμαι.

*Inveni et apud Virgilium hac divisione, in qua tamen observandum est, ut in utraque versus divisione finita sit pars orationis, ut est illud Virgilianum,*

Externum tulit, aut cruor hic de stipite manat.

Cratinus Athenæi VII. p. 325 E.

Οὐδ' Αἰξωνίδ' ἐρυθρόχρων ἐσθίειν ἔτι τρίγλην,
οὐδὲ τρυγόνος, οὐδὲ δεινοῦ φυὴν μελανούρου.

Ib. p. 305 B.

τρίγλη δ' εἰ μὲν ἐδηδοκοίη τένθου τινὸς ἀνδρός.

P. 65, 4. ἀκατάληκτον] Integrum carmen hoc metro conscriptum extat inter Theocritea n. XXVIII. Sapphonis duo fragmenta restituit Bentleius in Epist. ad Hemsterhusium p. 104.

Athenæi p. 564.

στᾶθι κἄντα φίλος καὶ τὰν ἐπ' ὄσσ' ἀμπέτασον χάριν.

Pollucis X. 124.

ἐλθόντ' ἐξ ὀρανῶ πορφυρέαν περρέμενον χλάμυν.

Insignius specimen præbet Stobæus Tit. IV. 12. quomodo recte dispescuit Grotius p. 29.

κατθανοῖσα δὲ κεῖσθ'· οὐδέ ποκα μναμοσύνα σέθεν
ἔσσετ' οὐδέ ποκ' εἰς ὕστερον· οὐ γὰρ πεδέχεις ῥόδων
τῶν ἐκ Πιερίης, ἀλλ' ἀφανὴς κὴν 'Αΐδα δόμοις
φοιτάσεις πέδ' ἀμαυρῶν νεκύων ἐκπεποταμένα.

cum pæone tertio in prima sede eadem in Argum. ad Theocrit. XXVIII.;

ῥοδοπήχεες ἁγναὶ χάριτες δεῦτε Διὸς κοραί.
⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – – ⏑ | ⏑ – – ⏑ | ⏑ – ⏑ –

P. 66, 4. ὑπερκαταλήκτῳ] Sappho apud Athenæum XIII. p. 571 D. ex emend. Blomfieldi,

τάδε νῦν ἑτάραις ταῖσιν ἐμαῖς τερπνὰ καλῶς ἀείσω.

et sic Stesichorus apud Strabonem VIII. p. 534=505. Oxon.

ἄγε, Μοῦσα λίγει', ἄρξον ἀοιδᾶς ἐρατῶν ὕμνους
Σαμίων περὶ παίδων ἐρατᾷ φθεγγομένα λύρᾳ.

Sic et Alcæus Athenæi X. p. 430 B.

τέγγε πνεύμονας οἴνῳ, τὸ γὰρ ἄστρον περιτέλλεται,
ἁ δ' ὥρα χαλεπὰ, πάντα δὲ δίψαισ' ὑπὸ καύματος.

Ibid. C.

Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω.

Ibid. D. XI. 481 A. confer Porsonum ad Eurip. Med. 494.

*πίνωμεν· τί τὰ λύχν' ἀμμένομεν; δάκτυλος ἀμέρα.*
*[καδδ' ἄειρε (ἀνάειρε 430.) κυλίχναις μεγάλαις αἶ τὰ ποικίλ-*
*λης (ποικίλα 430.)]*
*οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς υἱὸς λαθικαδέα*
*ἀνθρώποισιν ἔδωκ', ἔγχεε κίρναις ἕνα καὶ δύο*
*πλείαις κακκεφαλᾶς· ἁ δ' ἑτέρα τὰν ἑτέραν κύλιξ*
*ὠθείτω.*

Idem apud Aristotelis Polit. III. 10.

*τὸν κακοπάτριδα*
*Πιττακὸν πόλεως τᾶς ἀχόλω καὶ βαρυδαίμονος*
*ἐστάσαντο τύραννον μέγ' ἐπαινεῦντες ἀολλέες.*

Scolion apud Athenæum XV. p. 695 B.

*'Αδμήτου λόγον, ὦ 'ταῖρε, μαθὼν, τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,*
*τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς ὅτι δειλοῖς ὀλίγη χάρις.*

Ibid. D.

*σύν μοι πῖνε, συνήβα, συνέρα, συστεφανηφόρει,*
*σύν μοι μαινομένῳ μαίνεο, σὺν σώφρονι σωφρόνει.*

Quomodo recte citavit Bentleius ad Menandrum p. 56.

Ibid. D.

*ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκόρπιος, ὦ 'ταῖρ', ὑποδύεται·*
*φράζευ μή σε βάλῃ, τῷ δ' ἀφανεῖ πᾶς ἕπεται δόλος.*

Ibid. D.

*ἁ ὗς τὰν βάλανον τὰν μὲν ἔχει, τὰν δ' ἔραται λαβεῖν·*
*κἀγὼ παῖδα καλὴν τὰν μὲν ἔχω, τὰν δ' ἔραμαι λαβεῖν.*

Ibid. E.

*πόρνη καὶ βαλανεὺς ταὐτὸν ἔχουσ' ἐμπεδέως ἔθος·*
*ἐν ταὐτᾷ πυέλῳ τόν τ' ἀγαθὸν τόν τε κακὸν λόει.*

Ibid. F.

*ὅστις ἄνδρα φίλον μὴ προδίδωσιν μεγάλην ἔχει*
*τιμὰν ἔν τε βροτοῖς ἔν τε θεοῖσιν κατ' ἐμὸν νόον.*

Rectius autem hanc speciem choriambis accensent alii: veluti Terentianus v. 2714. Marius Victorinus p. 2598=206. *Idem Phalæcus et tres choriambos uno versu copulatos induxit, mutuatus id quoque ab Alcæo, ita ut tres dipodiæ choriambicæ extimis utrimque simplicibus concludantur:* ut

Tu ne quæsieris scire nefas quem mihi quem tibi

*item*

Nullam Vare sacra rite prius severis arborem.

*Nam binis syllabis ex initio et fine detractis supererunt tres reliqui choriambici.* Similiter fere Atilius Fortunatianus p. 2676 =317. Idem de metris Horatii p. 2700=353. *Ceterum Asclepiadeon duodecasyllabon esse oportet, potest et antispasticon esse trimetron acatalecton, cujus penultimam affectavit pro longa brevem facere, cujus ingressio talis est*

Mæcenas atavis edite regibus.

*Tetrametron fecit ejus generis*

Tu ne quæsieris scire nefas quem mihi quem tibi

*Quidam volunt adjectis duobus, spondeo ad caput, pyrrhichio ad finem, in medio dimetron choriambicon clausum, ut ingressio talis,*

Mæcenas atavis edite regibus.

*Nam si solas duas pronuncies choriambicum sonant. Ejus generis trimetron fecit sic*

Tu ne quæsieris scire nefas quem mihi quem tibi.

Servius c. IX. 5.

*Alcaicum constat spondeo tribus choriambis et pyrrhichio.*

P. 66, 6. πενταμέτρῳ] Nescio an inter pentametros numerari debeat Alcæi fragmentum apud Athenæum XIV. p. 627 A. B. hac mensura;

— — — ∪ | ∪ — ∪ — | — — — ∪ | ∪ — ∪ — | — — ∪ —

μαρμαίρει δὲ μέγας δόμος χαλκῷ. πᾶσα δ' Ἄρῃ κεκόσμηται στέγη<br>
λαμπραῖσιν κυνέαισι, κατ τᾶν λευκοὶ καθύπερθεν ἵππειοι λόφοι<br>
νεύουσιν, κεφαλαῖσιν ἀνδρῶν τἀγάλματα· χάλκεαι δ' αὖ πασσάλοις<br>
κρυπτοῖσιν περικείμεναι λαμπραὶ κναμίδες, ἄρκος ἰσχυρῶ βέλευς·<br>
θώρακές τε νέω λίνω, καὶ κοῖλαι δὲ κατ' ἀσπίδες βεβλημέναι·<br>
πὰρ δ' αὖ Χαλκιδικαὶ σπάθαι, πὰρ δὲ ζώματα πολλὰ καὶ κυπαττίδες.<br>
τῶν οὐκ ἔστι λαθέσθ', ἐπειδὴ πρώτισθ' ὑπὸ Ϝέργον ἔσταμεν τόδε.

Blomfieldus hæc in septem strophas dispescit, quarum singulæ constant e duobus Glyconeis et iambico monometro.

## CAP. XI.

### *De Ionico a Majore.*

P. 66. *Ionicum metrum,* inquit Plotius, p. 2658=292, *duplex est. Unum a* majore, *quod spondeo constat et pyrrhichio, alterum* a minore, *constans ex pariambo et spondeo. Ionicum majus interdum puro Ionico scanditur,*

μή μοι λέγε.

— — ∪ ∪

*Interdum soluta longa prima componitur, ut sit ex anapæsto et pyrrhichio,*

ἑκατόνζυγε.
◡ ◡ – | ◡ ◡

*Interdum duabus longis solutis, ut sit compositum ex proceleusmatico et pariambo,*

ἑλικοβλέφαρε.
◡ ◡ ◡ ◡ | ◡ ◡

*commiscetur autem huic metro et ditrochæo, et chorio, seu tribrachy,*

κάλλος ἄμαχον.
– ◡ ◡ | ◡ ◡

*et a chorio, seu tribrachy, et trochæo,*

φιλοχορεύτα.
◡ ◡ ◡ | – ◡

*Sed omnibus pedibus temporum sex, finem tamen habet aut in spondeum, aut in trochæum, quod etiam Sotadeum metrum dicitur, de quo sub exemplis postea tractabimus. Interdum et molossos omnes habet, unde et molossicum metrum hoc dicitur; nam prima longa molossi soluta facit ionicum minorem, novissima majorem.* Marius Victorinus p. 2536 = 120. *Ionicus a majore, quem musici* ἀπὸ μείζονος *vocant, constat, ut supra docuimus, ex duabus longis subjectis sibi totidem brevibus; id est, ex spondeo et pyrrhichio, vel ex molosso novissima ejus longa in duas breves divisa, quem merito utraque ionica admittunt. Ex quo intelligitur in his arsin et thesin non in æqualitatis, sed in dupli ratione consistere. Nam supra docuimus ea esse optima metra, quæ æqualitatis ratione constant, propter quod utrumque hoc ionicum, quando ex dupli ratione subsistit, magis rhythmis quam metris proximum est. Admittit autem solutionem duarum præcedentium longarum, varie: nam primæ longæ solutio syllabæ facit ex anapæsto et pyrrhichio conjugationem; secundæ vero ex dactylo et pyrrhichio habebit copulationem, quæ sunt communes utrisque ionicis. Nam si tertiam longam minoris ionici in duas breves dividas, fit ex pyrrhichio et anapæsto conjugatio; si autem quartam, ex pyrrhichio et dactylo, temporibus dumtaxat in sua mensura ac spatio, quo censentur ionici, permanentibus. Recipit, ut diximus, et hippium, id est molossum, e tribus longis dumtaxat in fine, et appellatur metrum Cleomachium, nam si majoris ionici duas breves in unam contrahas longam, pari etenim lege ut longa in duas breves solvitur, ita duæ breves in unam longam connec-*

*tuntur, ergo si breves in unam longam contrahas, eveniet ut sequentibus aliis longis duabus ejusdem pedis quinque continuæ longæ syllabæ fiant, et incertum sit, utrum molossus an spondeus prior positus habeatur. At in eo qui a minori est ionicus, idem contra est. Primæ enim ejus duæ breves conciliatæ molossum facient, dehinc sequens ionicus a brevi initium sumet, ex quo fit, ut quinque longarum continuatio ejusdem interjectione secernatur. Ergo observabimus pedem molossum majori ionico in fine, minori autem inter initia ponere, et cavere, ne in medietate collocetur. Recipit hoc metrum trochaicas bases, id est, duplicem trochæum, qui totidem temporum est, sicut et iambicas bases, choriambicum et antispasticum, quod fieri dicunt, sed et vocant,* κατὰ συμπάθειαν. *Similiter anapæstum et pyrrhichium geminatos recipit, adæque et tribrachyn cum trochæo, seu contra mutato situ, sociatos dumtaxat admittit, quod fit, ut supra ostendimus, cum longæ solvuntur in breves, etiam in trochaica conjugatione, quam familiariter suscipit, quæ conjugatio pedem tetrasyllabum ditrochæum, id est, duplicem trochæum, quem dichorion in Oratore Cicero noster appellat, efficit. Ionicum metrum quidam a genere hominum vocabulum accepisse existimarunt, quod in rhythmo et satis prolixum et satis molle, sicut ejusdem gentis homines adseverantur. Scanditur autem per dipodias.* Plura vide in Terentiano p. 2428 = v. 2010. Atilio Fortunatiano p. 2694 = 345. Diomede p. 505 = 483. Nunc exempla quædam pro more afferemus; hoc tamen in antecessum monentes, primam horum versuum syllabam pro arbitrio poëtarum [p] tempore uno vel duobus constare.

Ac primum, dimeter brachycatalectus, Servio c. 8. Plotio p. 2659 = 293. *Hipponactius,*

Soph. Œd. Tyr. 896. τί δεῖ με χορεύειν.
⏑ – ⏑ ⏑ | – –

cui in antistropho respondet et

910. ἔρρει δὲ τὰ θεῖα.
– – ⏑ ⏑ | – ⏑

[p] tempore uno vel duobus constare] Sequentes versus et qui sunt ejusdem moduli inter Ionicos numeravi fretus Hephæstionis auctoritate, qui primum pedem a brevi vel a longa syllaba indifferenter inchoari tradit p. 70. Nec negarim tamen eos recte judicare, qui ionicos numeros in talibus minime agnoscant. Igitur si quis eos ita dimetiatur, primo ut syllabam ponat, longam vel brevem, secundo dactylum, deinde trochæum unum vel plures, me habebit sibi non prorsus dissentientem.

Alia specimina præstabunt

Soph. Œd. Col. 673. χλωραῖς ὑπὸ βάσσαις
1049. ἢ λαμπάσιν ἀκταῖς
1056. ἀδμῆτας ἀδελφὰς
Aj. 914. δυσώνυμος Αἴας
Phil. 717. αἰεὶ προσενώμα
Eurip. Hec. 903. δορὶ δὴ, δορὶ πέρσαν.
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – –
Orest. 808. δισσοῖσιν Ἀτρείδαις
1000. μονόπωλον ἐς ἀῶ.
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – –
Phœn. 182. καὶ σώφρονα πώλοις
Med. 154. μηδὲν τόδε λίσσου.
438. ἄτιμος ἐλαύνει
650. οὐκ ἄλλος ὕπερθεν
Hippol. 534. μηδ' ἄρρυθμος ἔλθοις
539. ἔρως ὁ Διὸς παῖς.
Heracl. 753. φαεσίμβροτοι αὐγαὶ
757. γλαυκᾶς ἐν Ἀθάνας
760. ἱκέτας ὑποδεχθεὶς
903. αἰών τε Κρόνου παῖς
Helen. 1372. τερφθεὶς ἀλαλαγμῷ
Ion. 115. σαίρεις ὑπὸ ναοῖς
470. 472. μόλε Πύθιον οἶκον
476. μαντεύματα κραίνει
483. μαντεύμασι κύρσαι
1105. καὶ ματέρα σεμνὰν
Herc. F. 799. Θήβαις ἱερὸν φῶς

Pindarum consulas cum alibi, tum Olymp. IX. 5. 7. 9. 11. 13.

Hic versus epodi vicem gerit in Aristoph. Nub. 1348.

σὸν ἔργον, ὦ πρεσβῦτα, φροντίζειν ὅπῃ
τὸν ἄνδρα κρατήσεις. κ. τ. λ.

vide et antistropham. Confer etiam Theocriti Epigr. XVII. in Epicharmum. Sed frequentissime cum dimetris catalecticis copulatur, quorum lex et ratio cuivis patebit percurrenti sequentem ex Aristoph. Eccles. 289 sqq. cantum, partim ex MS. Ravennatis lectionibus, partim ex Dawesii et Porsoni conjecturis emendatum.

χωρῶμεν εἰς ἐκκλησίαν, ἄνδρες, ἠπείλησε γὰρ { Iamb. dim. troch. dim. cat.
ὁ θεσμοθέτης, ὃς ἂν

μὴ πρῴ πάνυ τοῦ κνέφους
ἥκῃ κεκονιμένος,
στέργων σκοροδάλμῃ,
βλέπων ὑπότριμμα, μὴ
δώσειν τὸ τριώβολον.
σὺ δ', ὦ Χαριτιμίδη,
καὶ Σμίκυθε, καὶ Δράκης
ἕπου κατεπείγων,
σαυτῷ προσέχων, ὅπως
μηδὲν παραχορδιεῖς
ὧν δεῖ σ' ἀποδεῖξαι.
ὅπως δὲ τὸ σύμβολον
λαβόντες ἔπειτα πλη-
σίον καθεδούμεθ', ὡς
ἂν χειροτονῶμεν
ἅπανθ', ὁπόσ' ἂν δέῃ
τὰς ἡμετέρας φίλας.
καίτοι τί λέγω; φίλους
γὰρ χρῆν μ' ὀνομάζειν.
ὅρα δ' ὅπως ὠθήσομεν τούσδε τοὺς ἐξ ἄστεος Antistroph.
ἥκοντας, ὅσοι προτοῦ
μὲν ἡνίκ' ἔδει λαβεῖν
ἐλθόντ' ὀβολὸν μόνον
καθῆντο λαλοῦντες
ἐν τοῖς στεφανώμασιν.
νυνὶ δ' ἐνοχλοῦσ' ἄγαν.
ἀλλ' οὐχὶ, Μυρωνίδης
ὅτ' ἦρχεν ὁ γεννάδας,
οὐδεὶς ἂν ἐτόλμα
τὰ τῆς πόλεως διοι-
κεῖν, ἀργύριον φέρων,
ἀλλ' ἧκεν ἕκαστος
ἐν ἀσκιδίῳ φέρων
πιεῖν, ἅμα τ' ἄρτον ἂν,
καὶ (πρὸς) δύο κρομμύω,
καὶ τρεῖς ἂν ἐλάας.
νυνὶ δὲ τριώβολον
ζητοῦσι λαβεῖν, ὅταν
πράττωσί τι κοινὸν, ὥσ-
περ πηλοφοροῦντες.

Adde Aristoph. Ran. 451.

*χωρῶμεν ἐς πολυρρόδους λειμῶνας ἀνθεμώδεις*
*τὸν ἡμέτερον τρόπον*
*τὸν καλλιχορώτατον*
*παίζοντες, ὃν ὄλβιαι*
*Μοῖραι ξυνάγουσιν.*
*Μόνοις γὰρ ἡμῖν ἥλιος καὶ φέγγος ἱλαρόν ἐστιν*
*ὅσοι μεμυήμεθ' εὐ-*
*σεβῆ τε διήγομεν*
*τρόπον περὶ τοὺς ξένους*
*καὶ τοὺς ἰδιώτας.*

Equit. 1108.

*ὦ Δῆμε, καλήν γ' ἔχεις*
*ἀρχὴν, ὅτε πάντες ἄν-*
*θρωποι δεδίασί σ', ὥσ-*
*περ ἄνδρα τύραννον.*
*ἀλλ' εὐπαράγωγος εἶ,*
*θωπευόμενός τε χαί-*
*ρεις κἀξαπατώμενος,*
*πρὸς τόν τε λέγοντ' ἀεὶ*
*κέχηνας· ὁ νοῦς δέ σου*
*παρὼν ἀποδήμει.*
ΔΗ. *νοῦς οὐκ ἔνι ταῖς κόμαις*
*ὑμῶν, ὅτε μ' οὐ φρονεῖν*
*νομίζετ'· ἐγὼ δ' ἑκὼν*
*ταῦτ' ἠλιθιάζω.*
*αὐτός τε γὰρ ἥδομαι*
*βρύλλων τὸ καθ' ἡμέραν,*
*κλέπτοντά τε βούλομαι*
*τρέφειν ἕνα προστάτην·*
*τοῦτον δ' ὅταν ᾖ πλέως*
*ἄρας ἐπάταξα.*
ΧΟ. *χοὔτω μὲν ἂν εὖ ποιοῖς,*
*εἴ σοι πυκνότης ἔνεστ'*
*ἐν τῷ τρόπῳ, ὡς λέγεις,*
*τούτῳ πάνυ πολλή,*
*εἰ τούσδ' ἐπίτηδες ὥσ-*
*περ δημοσίους τρέφεις*
*ἐν τῇ Πυκνὶ, κᾆθ' ὅταν*

μή σοι τύχῃ ὄψον ὂν
τούτων ὃς ἂν ᾖ παχὺς
θύσας ἐπιδειπνεῖς.

ΔΗ. σκέψασθέ δέ μ' εἰ σοφῶς
αὐτὸς περιέρχομαι
τοὺς οἰομένους φρονεῖν
κἄμ' ἐξαπατύλλειν.
τηρῶ γὰρ ἑκάστοτ' αὐ-
τοὺς οὐδὲ δοκῶν ὁρᾶν
κλέπτοντας· ἔπειτ' ἀναγ-
κάζω πάλιν ἐξεμεῖν
ἅττ' ἂν κεκλοφῶσί μου
κημὸν καταμηλῶν.

Av. 1730.

Ἥρᾳ ποτ' Ὀλυμπίᾳ
τῶν ἠλιβάτων θρόνων
ἄρχοντα θεοῖς μέγαν
Μοῖραι ξυνεκοίμισαν
τοιῷδ' ὑμεναίῳ.
Ὑμὴν ὦ ὑμέναι' ὦ.
Ὁ δ' ἀμφιθαλὴς Ἔρως
χρυσόπτερος ἡνίας
εὔθυνε παλιντόνους,
Ζηνὸς πάροχος γάμων
κεὐδαίμονος Ἥρας.

In scolio apud Athenæum XV. p. 695 A.

ὁ καρκίνος ὧδ' ἔφα
χαλᾷ τὸν ὄφιν λαβὼν
Εὐθὺν χρὴ τὸν ἕταιρον ἔμμεν
καὶ μὴ σκόλια φρονεῖν.

Adde Aristoph. Pac. 1329. usque ad finem. Ejusdem mensuræ sunt versus Hermippi apud Athenæum XII. p. 524 F. Meinek. Frag. Com. II. p. 402. quorum secundus et tertius corrupti sunt. Recte autem monet Dawesius, p. 305. "Hoc "metrum eorum in numero venire, quorum ultimis syllabis "nulla permissa est licentia præterquam in clausula cata- "lectica."

Ex Tragicis sequentia loca merentur conferri;

Soph. Œd. T. 661. Θεῶν πρόμον Ἅλιον
1096. ἰήϊε Φοῖβέ σοι
Col. 675. καὶ τὰν ἄβατον θεοῦ
1044. Εἴην ὅθι δαΐων
ἀνδρῶν τάχ' ἐπιστροφαὶ
τὸν χαλκοβόαν Ἄρη
Electr. 486. ἅ νιν κατέπεφνεν αἰ-
Eurip. Hec. 466. ἢ Παλλάδος ἐν πόλει
τὰς καλλιδίφροι' Ἀθα-
899. πύργων κατὰ δ' αἰθάλου
Med. 851. πάντως ἱκετεύομεν
Hippol. 556. σὺν αἵματι σὺν καπνῷ
Heracl. 373. σοὶ δ' ὦ κακόφρων ἄναξ
752. καὶ λαμπρόταται θεοῦ
759. μέλλω περὶ τῶν δόμων
775. δέσποινά τε καὶ φύλαξ
916. δόμον κατέβα πυρὸς
Helen. 1124. τὸν Ἰλιάδων τ' ἀεί-
1369. Κύπρις γέλασέν τε θεὰ
Herc. F. 355. δι' εὐλογίας θέλω.
652. μισῶ κατὰ κυμάτων δ'
687. οὔπω καταπαύσομεν
Electr. 711. κάρυξ ἰάχει βάθροις

Pindarus Olymp. IX. init.

τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος
⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – ⏑ –
φωνᾶεν Ὀλυμπίᾳ.
– – ⏑ ⏑ | – ⏑ –

P. 67, 10. [q] Dimetros acatalectos exhibet Euripides in Med. 152.

τί τοι ποτὲ τᾶς ἀπλάστου
κοίτας ἔρος, ὦ ματαία,
σπεύσει θανάτου τελευτάν·
μηδὲν τόδε λίσσου.

[q] Dimetros acatalectos] Sunt hi versus, et si quæ aliæ similes formæ sunt, omnes vel anapæsticæ logaœdicæ, vel Glyconeis cognatæ, neque ullum in iis vestigium numeri Ionici invenitur. HERMAN. El. D. M. p. 421.

vide et antistropham. Adde

Soph. Œd. T. 885. δίκας ἀφόβητος οὐδὲ
887. κακά νιν ἕλοιτο μοῖρα
Antig. 605. ὑπερβασία κατάσχοι
783. ὃς ἐν μαλακαῖς παρείαις
νεάνιδος ἐννυχεύεις
789. οὔθ' ἁμερίων ἐπ' ἀνθρώ-
Trach. 633. ὦ ναύλοχα καὶ πετραῖα
955. εἴθ' ἀνεμόεσσά τις
Aj. 598. πᾶσιν περίφαντος ἀεί.
625. μάτηρ νιν ὅταν νοσοῦντα
1207. κεῖμαι δ' ἀμέριμνος οὕτως
Eurip. Hec. 452. τῷ δουλόσυνος πρὸς οἶκον
454. ἢ Δωρίδος ὅρμον αἴας
ἢ Φθιάδος ἔνθα καλλίσ-
474. ἐν δαιδαλέαισι ποικίλ-
λουσ' ἀνθροκόκοισι πήναις
Med. 433. διδύμους ὁρίσασα πόντου
.......................
ναίεις χθονὶ τᾶς ἀνάνδρου
κοίτας ὀλέσασα λέκτρον
τάλαινα φυγὰς δὲ χώρας
644. μὴ δῆτ' ἄπολις γενοίμαν
τὸν ἀμηχανίας ἔχουσα
651. ἢ γᾶς πατρίας στέρεσθαι
845. τὰν παιδολέτειραν ἕξει
τὰν οὐχ ὁσίαν μετ' ἄλλων
.......................
σκέψαι φόνον οἷον αἱρεῖ
μὴ πρὸς γονάτων σε πάντες
Hipp. 555. τὰν ἄϊδος ὥστε βάκχαν
764. ἐπόρευσας ἐμὰν ἄνασσαν
766. κακονυμφοτάταν ὄνασιν.
Heracl. 360. καὶ καλλιχόροις Ἀθάναις
εἴη σύ τ' ἄφρων ὅ τ' Ἄργει
378. ἀλλ' ὦ πολέμων ἐραστὰ
μή μοι δορὶ συνταράξῃς
τὰν εὐχαρίτως ἔχουσαν
898. τερπνὸν δέ τι καὶ φίλων ἄρ'

Heracl. 914. τέος γόνος ὦ γεραιὰ
φεύγει λόγον ὡς τὸν ᾅδα
........................
δεινᾷ φλογὶ σῶμα δαισθεὶς
Ἥβας τ' ἐρατὸν χροΐζει
λέχος χρυσέαν κατ' αὐλάν
........................
παῖδας Διὸς ἠξίωσας.

Ion 187. εὐκίονες ἦσαν αὐλαὶ
1097. ὅτε καὶ Διὸς ἀστερωπὸς

Herc. F. 353. εἴτ' Ἀμφιτρύωνος ἶνιν
646. τυραννίδος ὄλβος εἴη

Electr. 734. λευκόν τε πρόσωπον Ἀοῦς
τὰ δ' ἕσπερα νῶτ' ἐλαύνει
........................
νεφέλαι δ' ἔνυδροι πρὸς ἄρκτον

P. 68, 4. Trimetrum brachycatalectum, Servio p. 374. Mario Vict. p. 2538=124. 2585=187. *Praxilleum* est,

Soph. Œd. Col. 669. ἵκου τὰ κράτιστα γᾶς ἔπαυλα.
— — ∪ ∪ | — ∪ — ∪ | — —

Antig. 139. ἄλλοις ἐπενώμα στυφελίζων.
— — ∪ ∪ | — — ∪ ∪ | — —

Eurip. Hec. 450. θοὰς ἀκάτους ἐπ' οἶδμα λίμνας.
∪ — ∪ ∪ | — ∪ — ∪ | — —

Ibid. 921. ἐπιδέμνιον ὡς πέσοιμ' ἐς εὐνάν.
∪ ∪ — ∪ ∪ | — ∪ — ∪ | — —

Med. 648. θανάτῳ θανάτῳ πάρος δαμείην

Hippol. 531. στάζεις πόθον εἰσάγων γλυκεῖαν
ψυχᾷ χάριν οἷς ἐπιστρατεύσῃ
μή μοι ποτε σὺν κακῷ φανείης.

P. 68, 10. Trimetrum acatalectum habes Soph. Antig. 606.

τὰν οὔθ' ὕπνος αἱρεῖ ποθ' ὁ παντογήρως.
— — ∪ ∪ | — — ∪ ∪ | — ∪ — —

Vide ejusdem fabulæ 614.

P. 69, 2. Σωτάδειον] De hoc metro pluribus agit Terentianus Maurus v. 2009. Marius Victorinus p. 2569=165. *At vero in Sotadium versum plerique pedes qui eum faciunt molliorem, contra*

*quam Ionicorum lex se habet, incidunt. Nam idem et dactylum et anapæstum et trochæum duplicem recipit, qui cum interveniant faciantque hunc versum satis mollem ac lubricum, tamen non excedit viginti duo tempora * * * Lego præterea apud quosdam Sotadium admisisse in loco trochæi tribrachyn, utpote mensura temporum parem.* Idem dixerat supra p. 2530=114. *Per omnia loca Sotadium metrum trochæos admittit et solutiones ejus.* Atilius Fortunatianus I. 1. *Primus spondeus, secundus pariambus, tertius spondeus, quartus pariambus, quintus tribrachus, ultimus spondeus: et quod magis mirum videri potest, totus Sotadeus numerus ex trochæis potest constare pedibus.* Vide et Plotium II. 9, 11. p. 295. ed. Ox.

Quæ sequuntur exempla congesta sunt ex Sotadis ipsius fragmentis apud Stobæum servatis.

III. 39.

Λύπη σε μακρὰν προφεύξεται ἀγαθὰ φρονοῦντα.
μιμοῦ τὸ καλὸν καὶ μενεῖς ἐν βροτοῖς ἄριστος.
νόμος ἐστι θεὸς, τοῦτον ἀεὶ πάντοτε τίμα.
ξένος ὀφείλεις εἶναι τῶν οὐ καλῶς φρονούντων.
οὗ καλῶς βιοῖς, παράμενε, κεὐτυχεῖς τὰ πάντα.
παρατήρει τὰ πάντων καλὰ, καὶ ταῦτα σὺ μιμοῦ.
ῥῆσιν δ' ἀγαθὴν δεδομένην, φύλασσε σαυτῷ.
σοὶ τοῦτο γενέσθω φίλον, μηδὲν ἀτακτεῖν,
τὴν ἡσυχίαν κατὰ βίον ἵνα πάντοτε τηρῇς.
ὑγιαίνειν εὔχου τοῖς θεοῖς, ἐφ' ὅσον ἔχεις ζῆν.

Ibid. V. 32.

Τῆς τύχης σκοπεῖν δεῖ τὸ μέγιστον ὡς ἔλαττον,
καὶ τὸ μὴ παρὸν μὴ θέλειν· οὐδὲ γὰρ σόν ἐστιν.
ἀμφότερα μένειν οὐκ οἶδεν· ἑστήκει γὰρ οὐδέν.
ἂν πλούσιος ὢν καθ' ἡμέραν σκοπῇς τὸ πλεῖον,
εἰς τοσοῦτον εἶ πενιχρὸς, εἰς ὅσον εἶ περισσός.
ὡς πένης θέλεις σχεῖν, καὶ πλούσιος πλέον ἔχειν,
ἴσον ἔχουσιν αὐτῶν αἱ ψυχαὶ τὸ μεριμνᾶν.

XXII. 26.

Εἰ καὶ βασιλεὺς πέφυκας, ὡς θνητὸς ἄκουσον.
ἂν μακρὰ πτύῃς, φλεγματίῳ κρατεῖ περισσῷ.
ἂν δ' εὐιματῇς, ταῦτα πρό σου προβάτιον εἶχεν.
ἂν χρυσοφορῇς, τοῦτο τύχης ἐστὶν ἔπαρμα.
ἂν πλούσιος ᾖς, τοῦτο χρόνων ἄδηλος ἰσχύς.

ἂν ἀλαζονῇς, τοῦτ' ἀνοίας ἐστὶ φρύαγμα.
ἂν δὲ σωφρονῇς, τοῦτο θεῶν δῶρον ὑπάρχει.
ἡ σωφροσύνη πάρεστιν, ἂν μετρῇς σεαυτόν.

Ib. XCVIII. 9. quod primus typis vulgavit Aldus in præfat. ad Aristot. Ethic. Venet. 1498.

Αὐτὸς γὰρ ἐὼν παντογένης ὁ πάντα γεννῶν,
οὐ κρινεῖ δικαίως τὰ κατ' ἄνθρωπον ἕκαστον.
καὶ γὰρ κατὰ γαῖαν τὰ κακὰ πέφυκεν ἀεὶ,
καὶ τοῖς μεγάλοις ἀεὶ κακοῖς γέγηθ' ὁ κόσμος.
ὅτι πάντες, ὅσοι περισσὸν ἠθέλησαν εὑρεῖν,
ἢ μηχανικὸν ποίημα, ἢ σοφὸν μάθημα,
οὗτοι κακὸν εἰς τὸν θάνατον τέλος ἐποίησαν,
ὑπὸ τοῦ γεννήτορος κόσμου κακῶς παθόντες.
Σωκράτην ὁ κόσμος πεποίηκεν σοφὸν εἶναι,
καὶ κακῶς ἀνεῖλεν τὸν Σωκράτην ὁ κόσμος,
ἐν τῇ φυλακῇ κώνειον ὅτι πιὼν τέθνηκε.
πουλύποδα φαγὼν ὁ Διογένης ὠμὸν τέθνηκεν.
Αἰσχύλῳ γράφοντι ἐπιπέπτωκε χελώνη.
Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς, πνιγεὶς τέθνηκε.
κύνες οἱ κατὰ Θρᾴκην Εὐριπίδην ἔτρωγον.
τὸν θεῖον Ὅμηρον λιμὸς κατεδαπάνησεν.

Ibid. 10.

Ἀγαθὸς, εὐφυὴς, δίκαιος, εὐτυχὴς ὃς ἂν ᾖ,
τοῦ φθόνου λαβεῖν δεῖ μερίδα, μῶμον ἔχειν δεῖ.
πλουτεῖ τις ἄγαν, ἀλλὰ πάθος παρέλαβεν αὐτόν.
εὐσεβής τις ἐστὶν, πενίαν δέδωκεν αὐτῷ.
μέγας ἐστὶ τεχνίτης τις, ἀτυχῇ πεποίηκεν αὐτόν.
κἂν ἐπὶ τὸ μέγιστον δίκαιος κριτὴς ὑπάρχῃ,
δεῖ τὸν φύσει νικώμενον, ἄδικον αὐτὸν εἰπεῖν.
πλούσιός τις ἐστὶν, τὸ μέγα πτῶμα φοβεῖται.
ἰσχυρὸς ὑπάρχει, νόσου πεῖραν εὐλαβεῖται.
ἡμέρας μιᾶς ἀλυπία μέγ' ἐστὶ κέρδος.
τί γὰρ ἴσμεν ὅλως, ἢ ποταπῆς γεγόναμεν ὕλης;
στόχασαι κατὰ σεαυτὸν τὸ βιωτικὸν, νοήσας
ἐκ τίνος ἐγένου, καὶ τίς εἶ, καὶ τίς πάλι γίνῃ.

Tit. CIII. 13.

ὁ πένης ἐλεεῖται, ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται.
ὁ μέσος δὲ βίος κεκραμένος, δίκαιός ἐστιν.
αὐτάρκεια γὰρ πρὸς πᾶσιν ἡδονὴ δικαία.

Tit. CVIII. 40.

πλειστάκις ἀδικούμενός τις ἐν ἀδικοῦντι καιρῷ
ἀνέχεταί τις ὃ μὴ θέλει, διὸ φέρει γενέσθαι.

CXIX. 7.

πῶς ἀναλύεται τὸ σῶμα πνεύματος φυγόντος.

Tit. CXXI. 11.

πάντων ὁ λιμὴν τῶν μερόπων ὁ θάνατός ἐστιν.

Athenæi XIV. p. 621 B.

ὁ δ' ἀποστεγάσας τὸ τρῆμα τῆς ὄπισθε λαύρης,
ἐκ δενδροφόρου φάραγγος ἐξέωσε βροντὴν
ἠλέματον, ὁκοίην ἀροτὴρ γέρων χαλᾷ βούς.

Lycophronides Athen. XIII. p. 564 B. οὔτε παιδὸς ἄρρενος, οὔτε παρθένων

τῶν χρυσοφόρων, οὔτε γυναικῶν βαθυκόλπων
καλὸν τὸ πρόσωπον, ἀλλὰ κόσμιον πεφύκει.

## CAP. XII.

### *De Ionico a minori.*

P. 71. Diomedes p. 505=483. *Ionicus minor constat ex homonyma dipodia, in qua antecedit pyrrhichius, sequitur spondeus, vel anapæstus, vel dactylus* (sic repono pro lect. vulg. *et pyrrhichius* vid. Atil. Fortunat. II. 15.) *Nonnunquam etiam* κατὰ συναίρεσιν *brevium syllabarum molossus interponitur; et in dimetris quidem, cum prior basis pentasemos fuerit, id est, temporum quinque, erit sine dubio secunda heptasemos, i. e. temporum septem. A dimetro in trimetrum ampliatur.* Marius Victorinus p. 2539=125. *Ionicus minor, quem musici* ἀπὸ ἐλάσσονος *vocant, contrario quam superior situ temporum, priorem habet pariambum, sequentem spondeum, et hos invicem, ut superior, sine fine currentes. Adæque spondeo terminatur, ut ionico congruit, nam semper affectant hi longis syllabis terminari, qui cum divisus est, integris syzygiæ, ex qua constat, temporibus efferatur. Quæ si velut ad rhythmum digesta decurrunt, aptior ac pulchrior habebitur. Nam solutis longis, sive utraque ejus, sive alterna in duas breves, seu contra connexis in unam longam duabus brevibus, vim propriæ naturæ modumque corrumpit, atque ex se diversa genera speciesque producit. Unde plerumque recipit in principio versus bacchium longis incipientem, et pæonem tertium, quorum*

*uterque quinque temporum spatio extenditur. Catalectum autem fit anapæsto, aut eo qui amphibrachys vocatur. Huic cum esse sena tempora in singulis conjugationibus, utpote ionicorum, oporteat, necessario trochæus aut ejus basis adnectetur, ea contemplatione imminuta, ut dipodiæ superioris tempora ex subditis compleantur. Id Græci* ἐπίζευξιν, *id est conjugationem, vocant, eo quod priorum pedum basin uno tempore breviorem sequentis syzygiæ compleat syllaba, quæ pro brevi, licet natura longa sit, utpote prior trochæi, accipienda est, siquidem unius temporis supplemento ionica basis indigere videatur, etenim huic metro rhythmica natura accidit. Hujusmodi autem inter se* συζυγίας *passionem sive communionem musici* ἀνάκλασιν *vocant, et metra, si qua forte adverterint talia,* ἀνακλώμενα *appellant, quod retrorsum inclinentur, ut in quibusdam saltationum gesticulis nostra corpora pone pandantur. Sed ut exemplo doceam, erit hoc colo* ἀνακλώμενον,

Cybele rotabo crines.

*Hic* ro, *licet sit brevis, pro longa accipietur*, Cybele ro. *Nam detractum unum tempus sequentis syzygiæ ex initiali syllaba huic impartietur, ne fiat prima syzygia* πεντάχρονος, *sequens* ἑπτάχρονος. *Igitur secundæ conjugationis prima syllaba quæ debet esse brevis, mutatur, ea conditione, ut vim suæ proceritatis quartæ syllabæ brevi, quæ est ultima primæ conjugationis, impartiat, et ipsa quidem brevis remanet facta unius temporis, superiorem autem a se syllabam, quæ fuerit brevis, commercio suæ proceritatis extendit. Atque ita fit Ionicum* [r] ἀνακλώμενον; *ut est,*

Paphias amor columbas.

*Nam* mor, *secundæ conjugationis initialis syllaba, quæ brevis natura, utpote in ionico a minore, esse deberet, derivato in se superioris syllabæ tempore* ἀνακλάσει *inter syzygias facta, trochaicam basin ionico subdidit; quæ basis secundum utrasque syzygias, id est, primam et secundam, sub hac lege versabitur. At Juba noster, qui inter metricos autoritatem primæ eruditionis obtinuit, insistens Heliodori vestigiis, qui inter Græcos hujusce*

[r] *ἀνακλώμενον*] Schol. Æschyli Prom. 128. *ὁ ῥυθμὸς Ἀνακρεόντειός ἐστι κεκλασμένος πρὸς τὸ θρηνητικόν.—ἐχρῶντο δὲ αὐτοῖς οὐκ ἐν παντὶ τόπῳ ἀλλ' ἐν τοῖς θρηνητικοῖς.*

*artis antistes aut primus aut solus est, negat hoc vitium, ut quidam asserunt, rhythmicum fore, sed mage metrica ratione contingere, quod per ἐπιπλοκὰς, id est metrorum inter se amplexiones, ut supra docuimus, plerumque evenit. Nam τετραδικὴ ἐπιπλοκὴ et δυαδικὴ, id est quadrua et binaria amplexio, huic versui, qui ionicus ἀνακλώμενος vocatur, diversitatem varietatemque fecerunt. Etenim antispastica et choriambica et utraque ionica metra de quadra amplexione subsistunt: iambica vero et trochaica, sicut supra docuimus, duaria. Evenit autem ut choriambica et antispastica iambicis conjugationibus, ionicis vero trochaicæ, quæ sunt diversarum amplexionum, misceantur. Unde accidit, ut confusione eorum metrorum, quæ ex diversis amplexionibus informantur, hujusmodi inter syzygias passio sive communio, quæ ἀνάκλασις a musicis dicitur, merito eveniat, et varietas versui de amplexionum differentia fiat. Nam si puro choriambo primam decutias syllabam, fit omne, quod residuum est, ionicum a minori: et rursum, si ionico a minori syllaba una mutiletur, quod remanet antispasticum deprehendas. Item ablata antispastico prima syllaba ionicum a majori perficiet. Verum hoc tunc accidit, cum purus est choriambicus versus. At enim contra cum interpositæ iambicæ conjugationes reperiuntur, lex illa quadruæ amplexionis infringitur, diversique generis admixta amplexione nascitur ista varietas, ut præcedens colum cum esse sena tempora in singulis conjugationibus oporteat, pentasemum fiat, sequens vero heptasemo subsistat. Recipit autem molossum et anapæstum, sed raro, juncto pariambo, et dactylum, feritur autem per dipodiam. Est itaque dimetrum acatalectum tale,*

Viret alte coma lato.
⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – –

*Trimetrum vero hujusmodi,*

Procerum quis Cererem non colat agris.
⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – –

*Tetrametrum vero hujusmodi,*

Modo quæ prona per Hæmi fugit et pascua tondet.
⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – –

*Tetrametrum autem catalecticum copiosum est apud Phrynichum auctorem comœdiæ veteris, quod est tale,*

Vocat Ætnæ super altum caput acris choreas.
⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ – – | ⏑ ⏑ –

*Trimetrum sane hypercatalectum non reperias purum, quando in fine antispastus occurrit, unde ob hoc ejus vitatur asperitas. Itaque hoc metrum et ex puris ionicis, ut ostendimus, constat, et admixtis quibusdam pedibus conjugatur: hoc Græci ἐπίμικτον, nos mixtum dicimus, quo frequentius veteres quam juniores usi noscuntur, cujus pauca exempla subjiciam. Trimetrum autem acatalectum inconditæ compositionis tale est,*

Salamina agit æquoris procellis.

*Item qui a ditrochæo incipit,*

Cæde puberes meos Siciniæ colonos.

*Item quod primam conjugationem integram habeat, sequentem autem temporum septem, tale est,*

Sacerdonio gradivo.

*Item quod inter initia facta collectione brevium pro ionico molossum accipit, erit tale,*

Ararin sic super altum.

*Plurimi autem tam tragici quam comici, sed et lyrici poëtæ hujusmodi compositionum diversitate libere abusi sunt. Inter hæc si tetrametri versus catalectici, qui in hujusmodi metro primi habendi sunt, longas in breves solverint, metrum efficient Galliambicum dictum, quasi γάλλων ἰαμβοὶ, id est, maledicta, quibus nonnunquam convitiantur. Idem et metroiacon, seu, ut quidam, bacchiacon ἀνακλώμενον. Cujus exemplum,*

Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos.

*Qui ex duobus colis, id est, dimetro acatalecto subjuncto dimetro catalectico connexus habetur, ut est,*

Segetes meum laborem. Segetes meus labor.

*Subsistit ex pariambis admixtis trochæis, sicut dictum est, alterna vice, cum longis breves aut brevibus longæ subjiciuntur. Memineris tamen et tribrachyn loco trochæi hoc metrum, si necessitas postularit, admittere, neque adcrescentis syllabæ numerum, cum in temporibus omnis ratio custodiatur, officere, ut hoc Galliambicum, quod solutione complurium syllabarum compositum est. Ut,*

Vólat agiliter, sunt * * * *

Bentleius ad Horat. Carm. III. xii. 1. "Pes metricus ex "quatuor syllabis constans, quorum priores duæ breves, posteriores longæ sunt, ut *Diomedes*, *metuentes*, *Cythereæ*, Græcis "Ἰωνικὸς ἀπ' ἐλάσσονος, Latinis *Ionicus minor* appellatur. Hoc

" unico pede totum carmen ab initio ad finem usque decurrit: " quale unum ab Alcmane olim compositum esse narrat He- " phæstion p. 66. cujus hoc initium:

Ἕκατον μὲν Διὸς υἱὸν τάδε μῶσαι κροκόπεπλοι.

" Et a Sappho alterum, quod sic incepit,

Τί με Πανδιονὶς ὠράνα χελιδών.

" ab Alcæo vero πολλὰ *multa* conscripta esse idem testatur. " Præterea et duo genera fuisse ait (p. 120.) horum carminum " Ionicorum: unum (id ἐξ ὁμοίων vocat) quod nullo certo " pedum numero claudebatur: sed ubicumque auctori visum " est, vel pedem sistebat, vel pari tenore ultra procedebat: " quale crediderim Alcmanis illud et Sapphus fuisse, solis " Ionicis constans, cætera legibus solutum. Atque hujus ge- " neris unum exhibet Terentianus Maurus, suumne an forte " Septimii Sereni equidem nescio, p. 2428.

*Diomedem modo magnum dea fecit, dea belli*
*Dominatrin, Phrygas omnes ut in armis superaret.*
*Patulis agmina campis jacuerunt data leto,*
*Pavidi tergaque dantes petierunt trepidæ mœnia Trojæ.*

" Ubi vides pedum numerum non esse definitum, sed carmen " per synaphiam, ut vocant, quousque velit, progredi. Quod " et antea nos docuerat p. 2416.

*Non* versibus *istud,* numero aut pedum, *coarctant:*
*Sed contiuuo carmine, quia pedes gemelli*
*Urgent brevibus tot numero jugando longas:*
*Idcirco vocari voluerunt συνάφειαν.*

" Alterum Ionicorum genus, quod κατὰ σχέσιν vocat Hephæ- " stion, certo eorundem pedum numero incedebat; quo simul " ventum erat, claudebatur sententia: atque inde rursus ex- " ordiens pari iterum numero decurrebat; quæ *redditio* et " *revolutio* (ἀνταπόδοσις καὶ ἀνακύκλησις) toties iterabatur, quo- " ties voluit auctor carminis; ea lege, ut neque pauciores " neque plures pedes habuerit in clausulis sequentibus, quam " in prima habuit. Tale, inquit, erat Alcæi carmen, cujus " hoc initium,

Ἐμὲ δειλὰν, ἐμὲ πασᾶν κακοτάτων πόδ' ἔχοισαν.

" qui locus obiter corrigendus est: MSti quos vidi, παῖδ' ha- " bent, non πόδ'· solemni errore αι pro ε, quia eodem sono " efferebantur: lege igitur,

'Εμὲ δειλὰν, ἐμὲ πασᾶν κακοτάτων πεδέχοισαν.
*Me miseram, me omnium calamitatum expertam.*

" πεδέχοισαν Æolensium dialecto pro μετέχουσαν. Addit He- " phæstion: Ἄπειρος μὲν ὤν τις φήσειεν ἂν αὐτὸ ἐξ ὁμοίων " εἶναι, ἐξ ἰωνικῆς ἀπ' ἐλάσσονος συζυγίας καταμετρούμενον· ἡμεῖς " δὲ, ἐπεὶ ΚΑΤΑ ΔΕΚΑ ὁρῶμεν αὐτὸ συζυγίας γεγραμμένον, κατὰ " σχέσιν αὐτὸ γεγράφθαι φαμέν· hoc est, *Imperitus quidem ali-* " *quis hoc carmen Alcæi solutum legibus esse crediderit; nos* " *vero, cum* DECEM *ubique pedibus decurrere videamus, lege id* " *constrictum esse pronunciare possumus.* Ubi in primis obser- " vandum, omnes ejus carminis clausulas fuisse *decem pedum.* " Inde etiam luce ipsa clarius constabit, ad Alcæi exemplar " hanc, de qua agimus, Odam ab Horatio compositam esse. " Quippe hæc similiter decem pedibus Ionicis decurrit: inde " rursus initio capto, stadium idem metitur, et quatuor ejus- " modi decapodiis tota finitur. Porro et illud ex verbis He- " phæstionis discimus, nullum versiculi finem aut divisionem " esse, donec ad *decimum* pedem deventum sit: et proinde " nihil referre, utrum tribus, an duabus, aut unica, si fieri " posset, linea, decapodia quæque scribatur: cum nulla pausa " aut incisio sit ante decimum pedem. Sed quandoquidem " chartæ paginæque spatium tam longam lineam admittere " et continere non posset; et proinde necesse esset, ut decem- " pedalis versus in partes divideretur; inde dubium ortum " est, quibusnam in locis commodissime fieri posset incisio. " Ubi ridiculum plane et insulsum se præbuit scriptor Cru- " quianus, qui in medio pede Ionico cæsuram posuit, et præ- " terea sexies in tam brevi carmine versum exire fecit in " dimidiatum verbum. At plerisque placuit, ut in tria mem- " bra discerperetur, quorum duo priora trimetra Ionica essent, " tertium tetrametrum; quo modo omnes hodie editiones præ- " ter Cruquianum exhibent:

*Miserarum est nec amori dare ludum*
*Neque dulci mala vino lavere aut ex-*
*animari metuentes patruæ verbera linguæ.*

" Ita dividunt Marius Victorinus p. 2618. Diomedes pp. 510 " et 524. Atilius Fortunatianus 2704. Plotius 2660. et scho- " liastes Acron. Verum in ea divisione illud incommodi acci-

" dit, quod in medio verbo ter fiat incisio, inconcinne prorsus
" et odiose:

*Neque dulci mala vino lavere aut ex-*
*Simul unctos Tiberinis humeros la-*
*vit in undis eques ipso melior Bel-*

" quæ deformitas nebuloni cuidam ansam porrexit, ut immane " facinus aggrederetur, de quo mox plura dicemus. Nos po- " tius in his Græcum Hephæstionem secuti sumus, qui, ut jam " vidimus, primam in Alcæo cæsuram fecit τετράμετρον,

'Εμὲ δειλὰν, ἐμὲ πασᾶν κακοτάτων πεδέχοισαν.

" cui accedit Marius Victorinus pp. 2538. 2507. et 2496. ubi " exemplum Ionici ἀπ' ἐλάσσονος terrametri acatalecti hoc " adducit:

*Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci.*

" Quorum exemplo priores duos in hac nostra editione scripsi- " mus tetrametros, tertium autem dimetrum, hoc modo:

*Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,*
*Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno*
*Neque segni pede victus.*

" Atque hoc pacto, ut in libro ipso videre est, nulla linea di- " midiato vocabulo clauditur; neque aliter ab Horatii manu " profectum esse quovis pignore contenderim. Illud tamen " semper memineris, utcumque scriptionis commodo versus " dividatur, unicum tamen revera esse, et continuato cursu " properare usque ad decimum pedem.

" Cæterum ineptus est scholiastes Acron, cum *metrum hoc* " *Sotadicum dici* tradit; unde deceptus vir cetera pereruditus " mirum somnium habet de scopo et proposito poëtæ; quasi " Hebrus ille, quem tantopere laudare videtur noster, *turpis* " *et vetulus mœchus* esset, et *Sotadico hoc Satyricoque rhythmo* " ironice sugillaretur. Quippe numquam hoc versu usus esse " traditur maledicus ille Sotades: Ionico quidem pede scripsit, " unde lapsus est Acron: sed Ionico ἀπὸ μείζονος, sive majore, " qui contrarius plane est hujus carminis pedi, nempe Ionico " minori. Hic post duas breves totidem longas habet sylla- " bas; ut *Fruticeto:* ille vice versa a duabus longis exit in " totidem breves, ut *Contendere.* Sotadicorum hæc exempla " notissima sunt (præter eos Terentiani Mauri hic obiter " citatos)

Σείων μελίην Πηλιάδα δεξιὸν κατ' ὦμον.
Εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὰν τὸ κέντρον ὠθεῖς.

"Ubi vides non iambeum ab heroico magis dissonum esse, "quam Sotadicum ab hoc Horatii. Neque levius falluntur ii, "qui hanc oden *pede parum elaborato procedere* dictitant, adeo "ut bene factum sit, quod semel duntaxat noster hoc metrum "adhibuerit. Imo vero et in primis dulce est metrum, et "longe omnium operosissimum. Geminas enim breves et ge-"minas longas, repetita identidem vice, paucissima verba "suppeditabunt; ut agnoscet, si quis Musarum cliens in hoc "metro periculum sui fecerit. Unde magis credibile est, diffi-"cultate operis offensum Horatium non amplius semel hoc "conatum esse. Nam magister ejus Alcæus πολλὰ, ut jam "vidimus, *multa* carmina hoc metro detexuit; et profecto, si "ad lyram canatur, ut omnia hæc chordis socianda erant, "mirum quendam leporem habet Ionicus minor κατὰ σχέσιν "iteratus et revolutus: ut jure de hac oda dixerit Terentia-"nus Maurus p. 2428.

*Simili lege sonantes numeros ad Neobulen*
*Dedit uno* modulatus lepide *carmine* Flaccus."

Dimetros catalecticos usurpat Euripides in Bacch. 370.

ὁσία, πότνα θεῶν,
ὁσία δ', ἃ κατὰ γᾶν
χρυσέαν πτέρυγα φέρεις,
τάδε Πενθέως ἀΐεις,
ἀΐεις οὐχ ὁσίαν
ὕβριν ἐς τὸν Βρόμιον.

In eodem Choro deinceps sequuntur choriambi septem continui, deinde duo ionici dim. cat. quos excipiunt duo acatalecti, cum catalectico: cantum claudunt choriambi quatuor cum bacchio. Attamen non reticendum est Hermanno, tum in Elem. Doct. Metr. p. 499. tum in editione Baccharum, placere ut numeri ionici continuentur. Judicent eruditi.

Dimetrorum acatalectorum exempla suppeditabunt Æschylus Pers. 66 seqq. ed. Hermann. Supplic. 988 seqq. Euripides Supplic. 42 seqq. His adjice Soph. Œd. Col. 697. legendum est enim cum Aldo Πέλοπος πώποτε βλαστὸν, et in antistropha reponendum ex emendatione Porsoni χθονὸς αὔχημα μέγιστον. Sequentia non sine fructu evolvantur:

Eurip. Bacch. 80. τά τε ματρὸς μεγάλας ὄρ-
για Κυβέλας θεμιτεύων,
ἀνὰ θυρσόν τε τινάσσων
κισσῷ τε στεφανωθεὶς
Διόνυσον θεραπεύει·
ἴτε Βάκχαι, ἴτε Βάκχαι,
Βρόμιον παῖδα θεὸν θεοῦ
Διόνυσον κατάγουσαι
Φρυγίων ἐξ ὀρέων Ἑλ-

Ibid. 519. Ἀχελῴου θύγατερ
πότνι', εὐπάρθενε Δίρκα,
σὺ γὰρ ἐν σαῖς ποτὲ παγαῖς
τὸ Διὸς βρέφος ἔλαβες,
ὅτε μηρῷ πυρὸς ἐξ ἀ-
θανάτου Ζεὺς ὁ τεκὼν ἥρ-
πασέ νιν τάδ' ἀναβοάσας·
ἴθι διθύραμβ' ἐμὰν ἄρ-
σενα τάνδε βᾶθι νηδύν·
ἀναφαίνω σε τόδ' ὦ Βάκ-
χιε Θήβαις ὀνομάζειν.
σὺ δέ μ', ὦ μάκαιρα Δίρκα,
στεφανηφόρους ἀπωθῇ
θιάσους ἔχουσαν ἐν σοί.
τί μ' ἀναίνῃ; τί με φεύγεις;
ἔτι ναὶ τὰν βοτρυώδη
Διονύσου χάριν οἴνας
ἔτι σοι τοῦ Βρομίου μελήσει.

Ibid. 556. πόθι Νύσης ἄρα τᾶς θη-
ροτρόφου θυρσοφορεῖς
θιάσους, ὦ Διόνυσ', ἢ
κορυφαῖς Κωρυκίαις;
τάχα δ' ἐν ταῖς πολυδένδρεσ-
σιν Ὀλύμπου θαλάμοις ἔν-
θα ποτ' Ὀρφεὺς κιθαρίζων
σύναγεν δένδρεα Μούσαις,
σύναγεν θῆρας ἀγρώτας.
μάκαρ ὦ Πιερία,
σέβεταί σ' Εὔιος, ἥξει
τε χορεύσων ἅμα βακχεύ-

*μασι· τόν τ' ὠκυρόαν*
*διαβὰς Ἄξιον εἱλισ-*
*σομένας Μαινάδας ἄξει.*

Dimetri sunt etiam aliis numeris admixti Arist. Vesp. 291. Ran. 326. Anacreontici sunt ex anaclomenis Eurip. Cycl. 495 seqq.

Dimetris nonnunquam interponuntur brachycatalecti, hac mensura,

⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ | – –

Vide Burneium ad Æsch. Pers. p. 5. Similes sunt Aristoph. Ran. 335. 336.

*ποδὶ τὰν ἀκόλαστον*
*φιλοπαίγμονα τιμάν.*

Anacreon Athenæi XV. p. 671 E. 673 D. sic, ut puto, dispescendus est:

*ὁ Μεγίσθης δ' ὁ φιλόφρων,*
*δέκα δὴ μῆνες, ἐπειδὴ*
*στεφανοῦταί τε λύγῳ, καὶ*
*τρύγα πίνει μελιηδέα.*

Et sic Timotheus Milesius apud Athenæum III. p. 122 D. de quo vide Schmidtium Diatribe in Dithyrambum p. 108. Bergk. Poët. Mel. p. 1003. Hoc metrum Servio audit *Anacreontium.* Eodem Servio teste, Sappho trimetrum tam catalecticum quam acatalectum, Alcman tetrametrum acatalectum usurpabat.

Specimen tetrametri catalectici dedit Eupolis in Schol. Æschyli Pers. 65.

*πεπέρακεν μὲν ὁ περσέπτολις ἤδη Μαρίκας.*

quod genus copiosum esse apud Phrynichum, auctorem veteris comœdiæ, præter Hephæstionem notavit Marius Victorinus p. 2542=128. Diogenis Laërtii versus in vita Eudoxi Lib. VIII. sub finem, quos ut hexametros mensus est H. Stephanus, quosque emendandi studio mire corrupit Salmasius, monuit me Porsonus sic disponendos esse;

*Ἐν Μέμφει λόγος ἐστὶ προμαθεῖν τὴν ἰδίην*
*Εὔδοξόν ποτε μοῖραν παρὰ τοῦ καλλικέρω*
*ταύρου, κοὐδὲν ἔλεξεν· βοῒ γὰρ πόθεν λόγος;*
*φύσις οὐκ ἔδωκε μόσχῳ λάλον Ἄπιδι στόμα.*
*παρὰ δ' αὐτὸν λέχριος στὰς ἐλιχμήσατο στολὴν,*
*προφανῶς τοῦτο διδάσκων, ἀποδύσῃ βιοτὴν*

*ὅσον οὔπω. διὸ καὶ οἱ ταχέως ἦλθε μόρος,*
*δεκάκις πέντ' ἐπὶ τρισσαῖς ἐσίδοντι πλειάδας.*

P. 72, 13. *γαλλιαμβικὸν*] In hac metri specie declaranda multus est Terentianus Maurus p. 2446. v. 2857 seqq. cui consimilia dant Marius Victorinus p. 2601 = 212. Atilius Fortunatianus p. 2677 = 319.

P. 74. *τριμέτρων τὸ μὲν ἀκατάληκτον*] Alcæi versus hujus mensuræ servatus est in Crameri Anecd. Oxon. T. I. p. 144. *ἔπετον Κυπρογενήας παλάμαισιν*, quem mutilum exhibet Etymol. M. p. 666, 50. ubi deest *παλάμαισιν*.

## CAP. XIII.

### *De Pæonico.*

P. 77. Diomedes p. 506 = 484. *Pæonicum metrum, quod plerique rhythmicum esse dixerunt, constat priore pæone, admittit vero et quartum, et creticum, et bacchium, a brevi qui est, ad metri finem. Hoc ἐν παραβάσει Aristophanes composuisse creditur. Elegantissimum est igitur cum per singulos pedes pars orationis impleatur.* Putschius dederat *a brevi qui est: a dimetri hoc enparabase A. c. c.* ed. Med. sic: *a brevi qui est adimetri finem composuisse creditur.* Arnaldus Animadv. ad Hephæstionem p. 140. ita emendat: *a brevi qui est. E dimetro hoc parabasen Aristophanes c. c.* Atilius Fortunatianus p. 2679 = 322. *Pæonicus versus quadratus ab Aristophane comico compositus est ex eo pæone, qui constat longa syllaba et tribus brevibus, cluditur autem cretico qui et ipse constat ejusdem generis et temporum totidem quo ille, una parcior syllaba sit. Nisi fluat eodem numero rhythmos non metrum fiet.* Marius Victorinus p. 2543 = 130. *Pæonicum metrum, sive creticum, ut quidam ferunt, adserentes pæonas originem ex cretico seu amphimacro traxisse, longis ejus prima et suprema in breves solutis, quibus pæon primus et quartus creari noscuntur, quod etiam ex bacchio et palimbacchio adæque fit, unde et bacchiacum a quibusdam hoc metrum dicitur, quidam ultimo loco posuerunt, proceleusmatico repudiato. Quod tamen magis rhythmo, id est, numero, quam metro congruere varietas ipsa compositionis ostendit. Nam recipit nonnunquam in breves solutos amphimacros, quorum etiam clausula, qua fit carmen ejus catalecticum, terminatur, adeo huic*

*familiaris est, ut plerique hoc metrum rhythmum creticum dixerint, quod cum ejusmodi sit, tamen usus ejus apud lyricos, sed et tragicos et comicos frequens est, et præcipue de bacchiacis et creticis solutionibus.*

Idem mox;

*Hexametrum autem Aristophanes composuit tale, ut sint pæones primi tres, et insequantur totidem cretici, tanquam*

Ver agere purpurea te Venus amoribus diva pollens jubet.
– ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ – | – ⏑ – | – ⏑ –

*Sed et hic tetrameter pæonicus catalecticus, is dumtaxat qui maxime in usu est, ex longa et tribus brevibus ab Aristophane compositus est, totus, ut vides, ex pæone primo, ultimo amphimacro, syllabis quidem minor, temporum tamen totidem.*

Et paullo post;

*Quod autem post tres bacchios postremo pæone concluditur, metrum* Bassaricum *appellatur, ut est,*

Ab euro sonorum quis Ætnæ per maria.
⏑ – – | ⏑ – – | ⏑ – – | – ⏑ ⏑ ⏑

*Id vero quod tribus præcedentibus creticis diiambo clauditur, fiet rhythmus concurrens ex duobus amphimacris et trochaico dimetro catalectico, quod Euripidion nominatur, tanquam*

Aureo sub toro tollit æmulas faces.
– ⏑ – – ⏑ – | – ⏑ – ⏑ – ⏑ –

*Nam ferme tragicis carminibus bacchiaca compositio familiaris est.*

P. 77. κρητικόν] Monometrum non raro trochaicis interponitur; et hoc quidem summo jure, [s] pes enim creticus versum efficit trochaicum monometrum catalecticum. Sic

Æsch. Eumenid. 919. δέξομαι Παλλάδος ξυνοικίαν.
Suppl. 1074. χειρὶ παιωνίᾳ καταςχεθών.

Dimetrorum, frequentissimi generis, sed ab Hephæstione, nescio qua de causa, prætermissi, leges et indolem subjecta exempla docebunt. In systematibus continuatur numerus,

[s] Pes creticus nihil est nisi dipodia trochaica catalectica. HERMAN. El. D. M. p. 191.

adeo ut in fine versuum syllaba minime sit anceps. Æschyl. Suppl. 418.

Φρόντισον καὶ γενοῦ
πανδίκως εὐσεβὴς
πρόξενος· τὰν φυγάδα
μὴ προδῷς τὰν ἕκαθεν
ἐκβολαῖς
δυσθέοις ὀρμέναν.
μὴ δ' ἴδῃς μ' ἐξ ἑδρᾶν
πολυθέων ῥυσια-
σθεῖσαν, ὦ πᾶν κράτος ἔ-
χων χθονός. γνῶθι δ' ὕβριν
ἀνέρων
καὶ φύλαξαι κότον.

Poterunt hæc aliter dispertiri, salva numerorum integritate. Aristophanes Equit. 303.

ὦ μιαρὲ, καὶ βδελυρὲ,
καὶ (κατα) κεκρᾶκτα τοῦ σοῦ θράσους
πᾶσα μὲν γῆ πλέα,
πᾶσα δ' ἐκκλησία,
καὶ τέλη καὶ γραφαὶ,
καὶ δικαστήρι', ὦ
βορβοροτάραξι, καὶ
τὴν πόλιν ἅπασαν ἡ-
μῶν ἀνατετυρβακώς.

ibid. 323. ἆρα δῆτ' οὐκ ἀπ' ἀρ-
χῆς ἐδήλους ἀναί-
δειαν, ἥπερ μόνη
προστατεῖ ῥητόρων.

ibid. 381. ἦν ἄρα πυρός γ' ἕτερα
θερμότερα καὶ λόγων
ἐν πόλει τῶν ἀναι-
δῶν ἀναιδέστεροι·
καὶ τὸ πρᾶγμ' οὐκ ἂν ἦν
φλαῦρον ὧδ'.
ἀλλ' ἔπιθι καὶ στρόβει
μηδὲν ὀλίγον πόει·
νῦν γὰρ ἔχεται μέσος.

Ibid. 396. ὡς δὲ πρὸς πᾶν ἀναι-
δεύεται κοὐ μεθίσ-
τησι τοῦ χρώματος
τοῦ παρεστηκότος.
Acharn. 286. τοῦτ' ἐρωτᾷς; ἀναί-
σχυντος εἶ καὶ βδελυρὸς,
ὦ προδότα τῆς πατρίδος,
ὅστις ἡμῶν μόνος
σπεισάμενος, εἶτα δύνα-
σαι πρὸς ἔμ' ἀποβλέπειν.
ibid. 293. σοῦ γ' ἀκούσωμεν; ἀπο-
λεῖ· κατά σε χώσομεν
τοῖς λίθοις.
ibid. 296. οὐκ ἀνασχήσομαι·
μηδὲ λέγε μοι σὺ λόγον·
ὡς μεμίσηκά σε Κλέ-
ωνος ἔτι μᾶλλον ὃν
κατατεμῶ τοῖσιν ἱπ-
πεῦσι καττύματα.
ibid. 665. Δεῦρο Μοῦσ' ἐλθὲ φλεγυ-
ρον πυρὸς ἔχουσα μένος
ἔντονος 'Αχαρνικὴ,
οἷον ἐξ ἀνθράκων
πρινίνων φέψαλος ἀν-
ήλατ' ἐρεθιζόμενος
οὐρίᾳ ῥιπίδι
ἡνίκ' ἂν ἐπανθρακίδες ὦσι παρακείμεναι
οἱ δὲ Θασίαν ἀνακυκῶσι λιπαράμπυκα
οἱ δὲ μάττωσιν οὕ-
τω σοβαρὸν ἐλθὲ μέλος
εὔτονον ἀγροικότερον
ὡς ἐμὲ λαβοῦσα τὸν δημότην.
Av. 1065. ἐκ κάλυκος αὐξάνομε-
νον γένυσι παμφάγοις·
δένδρεσί τ' ἐφεζόμενα
καρπὸν ἀποβόσκεται.
. . . . . . . . . . . . . . . . . . .
ἑρπετά τε καὶ δάκετα

πάνθ' ὅσαπέρ ἐστιν ὑπ' ἐ-
μᾶς πτέρυγος
ἐν φοναῖς ὄλλυται.
Lysist. 1044. ἀλλὰ πολὺ τοὔμπαλιν
πάντ' ἀγαθὰ καὶ λέγειν
καὶ δρᾶν ἵκανα γὰρ τὰ κακὰ
καὶ τὰ παρακείμενα.
ἀλλ' ἐπαγγελλέτω
πᾶς ἀνὴρ καὶ γυνὴ
. . . . . . . . . . . . . . . . .
κἄστιν ἔτνος τι καὶ
δελφάκιον ἦν τι μοι
καὶ τοῦτο τέθυχ', ὥστε κρέ' ἔ-
δεσθ' ἁπαλὰ καὶ καλά
ἥκετ' οὖν εἰς ἐμοῦ
τήμερον· πρῴ δὲ χρή
Soph. El. 1384. ἴδεθ' ὅπη προνέμεται
1418. γᾶς ὕπαι κείμενοι
Aj. 903. ὦ ταλαίφρων γύναι
Phil. 392. μᾶτερ αὐτοῦ Διός.
Eurip. Or. 311. δρομάδες ὦ πτεροφόροι
1416. λον πεσὼν ἐν φόβῳ
μή τις εἴη δόλος.
κἀδόκει τοῖς μὲν οὔ·
τοῖς δ' ἐς ἀρκυστάταν
μηχάναν ἐμπλέκειν
παῖδα τὰν Τυνδαρίδ' ὁ
μητροφόντας δράκων.
Phœn. 330. ἦ ποθεινὸς φίλοις
Iph. A. 239. χρυσέαις δ' εἰκόσιν
297. βαρβάρους βάριδας
Herc. F. 133. Ἑλλὰς ὦ ξυμμάχους.

Hujus metri specimen choriambico dimetro catalectico terminatum dedit Bacchylides[t] apud Dionysium Halic. περὶ Συνθέσεως p. 240. ed. Upton.

οὐχ ἕδρας ἔργον οὐδ'

[t] Hos versus potius hexametros esse conjicit Hermannus El. D. M. p. 201. qui in fine addit μέλος, "neque enim verisimile videtur terminari hic creticos choriambico dimetro catalectico."

ἀμβολᾶς, ἀλλὰ χρυ-
σαιγίδος Ἰτωνίας
χρὴ παρ᾽ εὐδαίδαλον
ναὸν ἐλ-
θόντας ἁβρόν τι δεῖξαι.

De quo loco Bentleius Ep. ad Mill. p. 70. "Omnes cretici "præter unum pedem qui in pæonem solutus est: adeo ut, "cum hunc locum lego, coram oculis videre videor ὑπορχου-"μένους et subsultantes."

Aliquando creticus dimeter syllaba ancipiti in principio augetur, vel si mavis pes creticus iambicæ dipodiæ subjicitur, veluti

Soph. Œd. T. 652. τὸν οὔτε πρὶν νήπιον
El. 1417. τελοῦσ᾽ ἀραί· ζῶσιν οἱ.
Aristoph. Av. 410. Τύχη δὲ ποία κομί-
ζει πότ᾽ αὐτὼ πρὸς ὄρ-
νιθας ἐλθεῖν; Ἔρως
βίου, διαίτης τε, καὶ
σοῦ, ξυνοικεῖν τέ σοι
καὶ ξυνεῖναι τὸ πᾶν.
Pac. 1118. ἥδομαί γ᾽, ἥδομαι,
κράνους ἀπηλλαγμένος,
τυροῦ τε καὶ κρομμύων.
οὐ γὰρ φιληδῶ μάχαις,
ἀλλὰ πρὸς πῦρ διέλ-
κων μετ᾽ ἀνδρῶν ἑταί-
ρων φίλων, ἐκκέας
τῶν ξύλων ἅττ᾽ ἂν ᾖ
δανότατα τοῦ θέρους

Sequuntur trochaici. Trimetri rariores sunt, neque me hujus generis legitimum systema uspiam reperisse memini. Tetrametrorum insigne exemplum præstabit Aristophanes in Vesp. 1266. ab Hephæstione laudatus. Adde et Acharn. 970–998. Idem apud Suidam v. ἀπ᾽ ἀκροφυσίων,

ῥήματά τε κομψὰ, καὶ παίγνι᾽ ἐπιδεικνύναι
– ᴗ ᴗ ᴗ | – ᴗ – | – ᴗ ᴗ ᴗ | – ᴗ –
πάντ᾽ ἀπ᾽ ἀκροφυσίων, κἀπὸ κιναβρευμάτων.
– ᴗ ᴗ ᴗ | – ᴗ – | – ᴗ ᴗ ᴗ | – ᴗ –

Idem apud Athenæum VII. p. 285 E.

μηδὲ τὰ Φαληρικὰ τὰ μικρὰ τάδ' ἀφύδια.

sic enim voces turbatas in metri legem redegit Porsonus. Item apud Athenæum III. p. 117.

ἦν μέγα τι χρῆμ' ἔτι τρυγῳδοποιομουσική,
ἡνίκα Κράτητί τε τάριχος ἐλεφάντινον
λαμπρὸν ἐνομίζετ' ἀπόνως παραβεβλημένον
ἄλλα τε τοιαῦθ' ἕτερα μυρί' ἐκιχλίζετο.

Eubulus Athenæi XV. p. 685 E.

Ὡς γὰρ εἰσῆλθε τὰ γερόντιά ποτ' εἰς δόμους,
εὐθὺς ἀνεκλίνετο. παρῆν στέφανος ἐν τάχει.
ᾔρετο τράπεζα· παρέκειθ' ἅμα τετριμμένη
μάζα χαριτοβλέφαρος.

Hoc metro, ni fallor, conscriptum est Euripidis Phaëth. fr. 6 (8).

μὴ θίγῃς ἡνίων, παιδίον, ἄπειρος ὤν,

versus alter corruptus videtur. Solutionum exempla pete ex Av. 312.[u]

ποῦ μ' ἄρ' ὃς ἐκάλεσε; τίνα τόπον ἄρα ποτὲ νέμεται;
– ∪ ∪ ∪|∪ ∪ ∪ ∪ ∪|∪ ∪ ∪ ∪ ∪|∪ ∪ ∪ –

et 316.

τίνα λόγον ἄρα ποτὲ πρός γ' ἐμὲ φίλον ἔχων πάρει.
∪ ∪ ∪ ∪ ∪|∪ ∪ ∪ – ∪ ∪ ∪ ∪ ∪|– ∪ –

Sic enim optime MS. Ravennas.

Pæon quartus, etsi raro, nonnunquam erat in usu, ut in scriptore apud Aristotelem Rhet. III. 8.

μετὰ δὲ γᾶν ὕδατά τ' ὠκεανὸν ἠφάνισε νύξ.
∪ ∪ ∪ –|∪ ∪ ∪ –| ∪ ∪ ∪ –|∪ ∪ ∪ –

Incertus apud Rufinum de Metris Comicis p. 2711.

παρὰ σοφοῦ μάθε κλύων ὅσα τὶς ἂν καταμάθοι.

P. 81, 12. Hexametros esse Aristoph. Acharn. 207.

ἐκπέφευγ', οἴχεται φροῦδος, οἴμοι τάλας, τῶν ἐτῶν τῶν ἐμῶν.
οὐκ ἂν ἐπ' ἐμῆς γε νεότητος, ὅτ' ἐγὼ φέρων ἀνθράκων φορτίον.

arguit ultima vocis **φορτίον** ante sequentem **ἠκολούθουν** pro-

[u] Hos tamen versus minime pæonicos esse statuit Hermannus El. Doct. Metr. p. 511. Dochmiacis accenset Dindorfius.

ducta. Sic etiam in antistropha ἐσπείσατο ante οἶσιν elisionem non patitur.

P. 82. Pes bacchius[x], qui versum efficit iambicum monometrum catalecticum, locum habet in clausulis v. c.

Soph. Œd. Tyr. 1468. ἴθ' ὦ 'ναξ
1471. τί φημί
1475. λέγω τι;
Col. 318. τάλαινα
1271. τί σιγᾷς
Phil. 785. παπαὶ φεῦ
787. προσέρπει
804. τί φῇς παῖ.

Duplicatur Aristoph. Ach. 735. πεπρᾶσθαι πεπρᾶσθαι.
Nub. 708. τί πάσχεις; τί κάμνεις;

Eurip. Orest. 173. ὑπνώσσει. λέγεις εὖ.
1286. ἀμείβω κέλευθον
Phœn. 1306. ἰὼ Ζεῦ ἰὼ γᾶ
Rhes. 697. πόθεν νιν κυρήσω
Ion 193. ἰδοὺ τὰν δ' ἄθρησον
1467. τιν' αὐδὰν ἀΰσω
βοάσω; πόθεν μοι

Trimeter est Rhes. 710. τιν' ἀλκήν; τιν' αἰνεῖς; 'Οδυσσῆ.

Tetrametri sunt Æschyl. Prom. 115.

τίς ἀχὼ, τίς ὀδμὰ προσέπτα μ' ἀφεγγής.

(In ejusdem fr. apud Macrob. Sat. I. 18. numeros bacchiacos inesse sensit Dindorfius n. 394.)

Scriptoris apud Dionysium Hal. περὶ Συνθ. p. 132.

τίν' ἀκτὰν, τίν' ὕλαν δράμω; ποῖ πορευθῶ.

Soph. Phil. 396. 397.

ὅτ' ἐς τόνδ' 'Ατρειδᾶν ὕβρις πᾶσ' ἐχώρει.

Eurip. Rhes. 707.

δοκεῖς γάρ; τί μὴν οὔ; θρασὺς γοῦν ἐς ἡμᾶς.

[x] Dubitari potest, an omnino Bacchiacis versibus usi sint Græci. Nam etsi, ubi invenitur hoc genus, ita plerumque verba divisa sunt, ut ea ipsa re pedem Bacchium obtrudere videantur,—tamen ita hi versus cum dochmiacis, a quorum natura abhorrere Bacchiacum numerum significavimus, conjuncti sunt, ut merito dubitandum videatur, an ex dochmiis hypercatalectis constent. HERMANN. El. D. M. p. 293, ubi plura. Vide Bentleium ad Ciceronis Tusc. III. 12.

Aristoph. Thesm. 1154.

*φάνηθ', ὦ τυράννους στυγοῦσ' ὥσπερ εἰκός.*

Pentameter Eurip. Helen. 650.

*πρὸς ἄλλαν δ' ἐλαύνει θεὸς συμφορὰν τᾶσδε κρείσσω.*

## CAP. XIV.

*De metris inter se κατ' ἀντιπάθειαν conjunctis.*

*Decursis metrorum*, inquit Marius Victorinus p. 2547 = 136. *per novem species fastigiis elementisque principalibus, quæ Græci πρωτότυπα, velut primas figuras appellando, nominarunt, scilicet artis hujusce prima, ut ita dixerim, semina, dicendum dehinc secundum ipsam disciplinæ originem consentaneum reor, quæ ex iisdem veluti fontibus derivata ad innumerabiles metrorum species, nunc per adjectionem, nunc detractionem, aut transmutationem, vel concinnationem, processisse videantur. Et cum non queant omnia ob immensam sui copiam comprehendi, utpote cum sint innumerabiles figuræ compositionum, seu quas prisca ætas dedit, seu quas sequens æmula imitatione excogitando produxit, tamen ex his quas aut frequens usus celebrat, aut potior auctoritas recipiendo commendat, prout potero sollicita investigatione comprehensa depromam; quo subinde ea quæ fallunt apud poëtas metra præceptis disciplinæ instruendis facilius intellegantur, qua metrorum origine exorta, qua specie figurata aut situ temporum digesta, aut copulatione connexa videantur. Habet enim metrorum inter se ratio summam in cognoscendo voluptatem, qua et veterum sub quacumque lege tradita celeriter comprehendere, et multa ipsi æmulante studio nova concipere animo, atque informare possimus.*

Idem c. 2. rem sic prosequitur: *Dicemus de mixtis ac mutua connexione sociatis metrorum generibus, quorum bifariam ratio dispergitur: namque alia consentanea et veluti cognata inter se ratione junguntur, alia ex dissidentia contraria, quæ Græci κατὰ συμπάθειαν et κατὰ ἀντιπάθειαν appellant. Erunt ergo per συμπάθειαν, id est per consentaneum affectum, mixtæ inter se iambicæ bases choriambicis et antispasticis; nam quotiens copulantur, sub quacumque sede, videas veluti ex una eadem specie id compositum metrum stare, et quasi uniforme, quod μονοειδὲς Græci dicunt, procedere: adæque et trochaicæ bases ionicis pari*

*consensione sociantur, cum epiplocarum, quas amplexiones metrorum diximus, mutua inter se successione variantur. Et cum non solum trochæum, et solutionem ejus tribrachum, sed et spondeum cum suis solutionibus, id est dactylum et anapæstum, admittat, tamen uniformia metra sentiuntur, cum ex similibus et familiaribus pedibus sit ista conjunctio. Similiter dactylicis anapæstica incidunt— Qua vicissitudine et ex trochaicis iambica, et ex anapæsticis dactylica metra inter se formantur. Per* ἀντιπάθειαν *vero, id est per contrarium affectum seu passionem, junguntur ea, quorum inter se contrariæ species haud facile copulantur. Est enim conjunctionis genus nimis scabrum atque asperum, ut sunt ionica* ἀπὸ μείζονος *cum iambicis, vel dactylica cum trochaicis semper dissentientia inter se atque abhorrentia, unde et* ἀσυνάρτητα *a Græcis, id est* inconnexa, *appellantur; ut est,*

Beatus ille qui vacans | mente vivit integra.

*Nam compositus apparet versus ex dimetro iambico acatalecto, et dimetro trochaico catalectico ex diversis et contrariis amplexionibus: hi enim, etiamsi genere congruunt, specie tamen discrepant. Item, ex anapæsto acatalecto et iambico dimetro catalectico, ut est,*

Age nunc comites rabidæ Cybeles | vocant choros ad aras.

*Intellegis igitur, atque ipso sensu abhorrentium aurium percipis, duo metrorum cola dissidentia inter se ita confragose atque aspere coisse in unitatem connexionemque, ut superiora lene ac liquidum nequaquam convenisse videantur. Item, si quatuor dactylis tres trochæos, quod vocant ithyphallicum, jungas, erit* ἀσυνάρτητον, *ut est illud,*

Tunc et amoris amor venit improbus | aliger Cupido.

*Præterea per mixtiones colorum, id est membrorum, in metris quadripartita est: aut ex duobus colis imperfectis conciliantur, aut duobus perfectis, aut ex perfecto et imperfecto, aut contra, id est ex imperfecto et perfecto, quod* ἀσυνάρτητον *appellavimus metrum, quale est ex iambico dimetro catalectico et ithyphallico compositum, ita,*

Jubar superne fulgida | lucet arce cæli.

*Aut contra, ex trochaico dimetro acatalecto et iambico dimetro catalectico, velut,*

Cæruli monarcha ponti, | ratisque rectitator.

*In ejusmodi enim versibus membrorum manifesta discretio est; quæ autem ex duobus imperfectis colis, id est membris, conciliantur, vix est eorum separationem divisionemque cognoscere, in his præcipue, quæ minimæ proceritatis connexa junguntur: exempli gratia, si sit iambicum dimetrum catalecticum, et sequatur dactylicum dimetrum brachycatalectum, ita,*

Dicata est vario.

*Cum sit traditum colum ita demum justæ proceritatis accipi, si decem et octo temporibus suppleatur. Cum autem nec coli mensuram brevitas ista conficiat, quantum a perfecti versus mensura discordet, utique manifestum est, cum colum portio versus esse tradatur.*

*Sunt item quæ primam trochaicam, secundam choriambicam, tertiam trochaicam, sed et quartam syllaba breviorem conjugationem habeant, quorum exempla plerumque apud comicos Diphili et Menandri comœdiis reperiuntur. Verum hæc hactenus noscenda sunt, ne quid per imperitiam præteriisse videamur: alioquin et vitanda et respuenda sunt. Nam perfecto poëtæ levia et sonora sectanda sunt, quæ autem fragosa et aspera, dicis causa, non ut imitentur, sed ut vitentur, noscenda sunt. Quorum, sicut et aliorum complurium, auctor et parens fertur Archilochus, singularis artificii in excogitandis et formandis novis metris, qui primus epodos excitavit alios breviores, alios longiores, detrahens unum pedem seu colum metro, ut illi subjiceret id quod ex ipso detractum esse videbatur, ut in heroo, a quo primum cœpit, tamquam,*

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis.

*Dehinc epodus sui generis,*

Arboribusque comæ.

*Et illud cum heroi versus secundo colo, ithyphallico epodo par ἀντιπάθεια respondet, ut,*

Priamique evertere gentem | fata jam parabant.

P. 82. Specimina admodum pauca metrorum, quæ hoc capite recenset Hephæstio, ad nostram usque ætatem perduravere. Et quod ad Sapphicum epichoriambicum attinet, odam integram hujus moduli servavit Dionysius Halicarnasseus περὶ Συνθεσ. p. 206. magnam partem alterius Longinus cap. X.

Paucos versus dedere alii; e. g. Eustathius ad Il. θ'. p. 729 =621, 42.

ἀστέρες μὲν ἀμφὶ καλὰν σελάναν
ἂψ ἀποκρύπτοισι φαεννὸν εἶδος,
ὁππόκαν πλήθοισα μάλιστα λάμπῃ
γᾶν——

sic enim citat Scaliger ad Manilium p. 66. Hermogenes περὶ ἰδεῶν II. p. 323. ed. Crispin.: καὶ τὰς μὲν οὐκ αἰσχρὰς (ἡδονὰς) ἔστιν ἁπλῶς ἐκφράζειν· οἷον, κάλλος χωρίου, καὶ φυτείας διαφόρους, καὶ ῥευμάτων ποικιλίας, καὶ ὅσα τοιαῦτα. Ταῦτα γὰρ καὶ τῇ ὄψει προσβάλλει ἡδονὴν ὁρώμενα, καὶ τῇ ἀκοῇ, ὅτε ἐξαγγέλλει τις. Ὥσπερ ἡ Σαπφώ· Ἀμφὶ δὲ ὕδωρ ψυχρὸν κελαδεῖ δι' ὄσδων μηλίνων. Καὶ αἰθυσσομένων δὲ φύλλων Κῶμα καταρρεῖ. In versus sic distribuit idem Scaliger ad Tibullum p. 113.

ὕδωρ
ἀμφὶ δὲ ψυχρὸν κελαδεῖ δι' ὕσδων
μαλίνων· αἰθυσσομένων δὲ φύλλων
κῶμα καταρρεῖ.

Strabo I. p. 69=58.

ἤ σε Κύπρος, ἢ Πάφος, ἢ Πάνορμος.

Athenæus XI. p. 463 E.

ἐλθὲ Κύπρι
χρυσέαισιν ἐν κυλίκεσσιν ἁβροῖς
συμμεμιγμένον θαλίαισι νέκταρ
οἰνοχοοῦσα

Idem XIII. p. 599 D.

κεῖνον, ὦ χρυσόθρονε Μοῦσ', ἔνισπες
ὕμνον, ἐκ τᾶς καλλιγύναικος ἐσθλᾶς
Τήϊος χώρας ὃν ἄειδε τερπνῶς
πρέσβυς ἀγαυός.

meminerit autem lector postremos hosce versus, Athenæo judice, a Sapphone non esse conscriptos.

Etymologus M. p. 335, 37. τὰ γὰρ δύο σσ εἰς ζ τρέπουσιν Αἰολεῖς. Τὸ γὰρ ἐπιπλήσσω ἐπιπλάζω. Σαπφώ·

τὸν δ' ἐπιπλάζοντ' ἄνεμοι φέροιεν,
καὶ μελεδῶναι.

Verba ultima servavit Herodian. π. μον. λέξ. p. 23, 13. Recte insuper notat Hephæstio, hoc genus brevibus strophis trium

versiculorum solere contineri, quibus in fine quartus erat adjectus, *Adonius* Servio p, 1820=368. Plotio p. 2640=266. choriambico monometro hypercatalecto, sive dactylo et spondeo, constans. Ultimum hunc perpetuo carmine usurpasse Sapphonem testantur grammatici Latini. Vide Terentianum p. 2431. v. 2157. Marius Victorinus p. 2564=159. *Rursum ejus quod metrum vocatur δίμοιρον ἐπικὸν, eo quod duos pedes tantum recipiat, dactylum spondeum, Sappho dicitur carmen composuisse continuum pentasyllabum. Hujus exemplum,*

*Primus ab oris*
*Troius heros*
*Perdita flammis*
*Pergama linquens*
*Exul in altum*
*Vela resolvit.*

Magnam inter hunc et tertium cujuslibet strophæ epichoriambicum necessitudinem intercedere exinde satis liquet, quod vocabula haud raro inveniantur sic divisa, ut prior eorum pars epichoriambicum terminet, posterior Adonei initium faciat:

πύκνα δινεῦντες πτέρ' ἀπ' ὤραν' αἰθέ-
ρος διὰ μέσσω.

Vocabulorum divisio in ceteris versibus nullum locum habet.

Reperitur epichoriambicus aliquoties, etsi parcius, in tragicorum melicis: v. g.

Euripid. Med. 649. ἁμέραν τάνδ' ἐξανύσασα μόχθων.
Iph. Aul. 219. χρυσοδαιδάλτους στομίοισι πώλους.

Nec prætereundum est, in Sapphicis Horatii quartam syllabam ubique produci, et cæsuram penthemimerim curatius servari; quorum utrumque, Græcorum poëtarum vestigiis pressius insistens, negligit Catullus.

P. 84, 10. ἀπὸ ἀντισπαστικῆς] Sic Euripid. Hippol. 558.
'Αλκμήνας τόκῳ Κύπρις ἐξέδωκεν.

Nec inepte fortasse huc retuleris versus istiusmodi, quos supra inserui inter choriambicos p. 114. primo pede diiambum habentes. Vide Euripidis Herc. Fur. 352.

ἐγὼ δὲ τὸν γᾶς ἐνέρων τ' ἐς ὄρφναν
μόλοντα, παῖδ' εἴτε Διός νιν εἴπω.

Helen. 1472. ταχεῖα κώπα ῥοθίοισι μάτηρ.

Cum dispondeo Helen. 1484.

Περσείων οἴκων Ἑλέναν ἐπ' ἀκτάς.

P. 84, 16. Ἐπιώνικον] Nisi mutilus hic loci esset Hephæstio, pergeret proculdubio dicere versus hosce ab Alcæo semper comprehendi peculiari systemate, ad sequentem normam composito: scil. uniuscujusque strophæ

vv. 1 et 2. sunt Epionici.

3. Iambicus dimeter hypercatalectus.

4. Logaœdicus. Vid. Hephæst. p. 47.

Sequentia exempla rem clariorem facient.

Alcæus apud Heraclidem Ponticum c. 5. [Bergk. 18.]

Ἀσυνέτημι τῶν ἀνέμων στάσιν·
τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται
τὸ δ' ἔνθεν· [y]ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον
ναῒ φορήμεθα σὺν μελαίνᾳ
χειμῶνι μοχθεῦντες μεγάλῳ μάλα·
περ μὲν γὰρ ἄντλος ἰστοπέδαν ἔχει,
λαῖφος δὲ πᾶν ζάδηλον ἤδη,
καὶ λακίδες μεγάλαι κατ' αὐτό
χόλαισι δ' ἄγκυραι——

Ibid.

τόδ' εὖτε κῦμα τῷ προτερῶνέμῳ
στίχει, παρέξει δ' ἄμμι πόνον πολὺν
ἄντλην.

Idem apud Athenæum X. p. 430 A.

ὕει μὲν ὁ Ζεὺς, ἐκ δ' ὀρανῶ μέγας
χειμὼν, πεπάγασιν δ' ὑδάτων ῥοαί.
* * *
κάββαλλε τὸν χειμῶν', ἐπὶ μὲν τιθεὶς
πῦρ, ἐν δὲ κίρναις οἶνον ἀφειδέως
μελιχρὸν, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ
μαλθακὸν ἀμφιτίθει γνάφαλλον.

Ibid.

οὐ χρὴ κακοῖσιν θυμὸν ἐπιτρέπειν,
προκόψομες γὰρ οὐδὲν ἀσάμενοι,

[y] f. ἄμμε. v. Schol. Il. θ'. 352.

ὦ Βυκχί· φάρμακον δ' ἄριστον
οἶνον ἐνεικαμένοις μεθυσθῆν.

et,

νῦν χρὴ μεθύσθην καί τινα πρὸς βίαν
πίνειν, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος.

Apud Aristotelem Rhet. I. 9.

θέλω τι ϝείπῆν, ἀλλά με κωλύει
αἴδως——
αἰ δ' ἦχες ἐσλῶν ἵμερον ἢ καλῶν,
καὶ μή τι ϝείπῆν γλῶσσ' ἐκύκα κακὸν,
αἴδως κέ σ' οὐκ ἂν ἦχεν ὄμματ',
ἀλλ' ἔλεγες περὶ τῶ δικαίω.

Conferatur Scaliger ad Virgilii Cirin p. 63. et ad Eusebium p. 85. necnon Gataker. ad Marc. Antonin. p. 69. et Toup. ad Longinum p. 301.

Versum ejusdem apud Harpocrationem et Suidam v. τετύφωμαι, Photii auxilio adjutus, sic corrigit Toupius Em. T. III. p. 177.

πάμπαν δὲ τυφὼς ἐκ δ' ἕλετο φρένας.

Aliud fragmentum in Plutarcho Erot. T. II. p. 765 E. Etymologi MS. ope apud Valckenærium Diatrib. Euripid. p. 161. detexit Porsonus.

(Ἔρωτα) δεινότατον θεῶν
ἐγείνατ' εὐπέδιλος Ἶρις
χρυσοκόμᾳ Ζεφύρῳ μιγεῖσα.

Valckenærii verba sunt: "In Etymologico MS. Parisiis ista "legit D. Ruhnkenius in v. Ἵμερος·—τὰ ἄνθη λέγουσιν Ἵμερα, "ἐπεὶ ἐν τῷ ἔαρι φύονται, ὅτε καὶ τὰ ἐρωτικὰ θερμότερά ἐστι. "Τούτου χάριν καὶ ὁ Ἀλκαῖος Ζεφύρου καὶ Ἴριδος τὸν Ἔρωτα "φησίν. Scripsisse grammaticus Ἔριδος videbitur L. Gyraldi "comparanti Hist. Deor. Synt. XIII. p. 405 F. et Michaëlis "Fourmontii Dissert. de Venere insertam Actis Academ. "Reg. Inscript. T. VII. p. 25, 26." Conjecturam suam viro doctissimo male cessisse demonstrat locus ipse Alcæi supra positus. Ac miror sane Valckenærium, quo nemo diligentius Eustathium perlegerat, in sequentia ejus verba non incidisse ad Il. ε΄. p. 555=421, 39. φασὶ δὲ τὴν Ἶριν ἐρωτικὴν καὶ αὐτὴν εἶναι. Καὶ μήν τινες ὡς καὶ προεγράφη (Il. γ΄. p. 391=296, 26.) αὐτῆς καὶ Ζεφύρου παῖδά φασι γενέσθαι τὸν Ἔρωτα.

Iambicus dimeter hypercatalectus exstat in Etymologo M. p. 639, 31. *αὐτοῦ δὲ τοῦ οὐδεὶς τὸ οὐδέτερον, δὲν, χωρὶς τῆς ου παραθέσεως, ἔχομεν παρὰ Ἀλκαίῳ ἐν τῷ ἐνάτῳ,*

*καί κ' οὐδὲν ἐκ δενὸς γένοιτο.*

sic enim MSS. D. M. Obiter moneo apud Etymol. M. p. 639, 34. ubi ed. dat *Ζηνόβιος*, mihi nunc ex vestigiis cod. Marc. videri reponendum *ζήτει Οὐθέν*. Vid. p. 640, 25.

Notandum est autem Horatium, qui Alcæum sequi se profitetur, in Epionico cæsuram penthemimerim fere semper inviolatam servare; quintam quoque syllabam semper longam adhibere; in dimetro etiam iambico, tertio pede semper spondeo usum esse: non ita Alcæus.

Versuum speciebus in hoc capite ab Hephæstione prolatis unam libet adjicere cum poëtis scenicis, tum Pindaro satis familiarem Talis versus constat ex dipodia iambica et trochaica; et a Scholiaste Pindari vocatur *Periodicus*. *Περιοδικὸν δὲ λέγεται*, inquit, *διότι περιοδεύει τὸ μέτρον, ὡς γίνεσθαι τὸ ἀπ' ἀρχῆς ὅμοιον τῷ ἀπὸ τέλους*. Pindar. Olymp. II. init.

*ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι.*

⏑ – ⏑ – | – ⏑ – ⏓

Soph. Œd. Tyr. 649. *πιθοῦ θελήσας φρονήσας τ'*
Trach. 132. *μένει γὰρ οὔτ' αἰόλα νὺξ*
498. *νίκας ἀεί· καὶ τὰ μὲν τῶν*
Aj. 221. *οἵαν ἐδήλωσας ἀνδρὸς*
Eurip. Orest. 971. *μόλοιμι τὰν οὐρανοῦ καὶ*
Suppl. 376. *χάριν τ' ἔχει τὰν ἐσαιεί.*
Iph. Aul. 291. *τῶν ἄσσον ὥρμει πλάταισιν*
Troad. 1098. *βοᾷ βοᾷ μᾶτερ οἴμοι*

Catalecticus reperitur

Œd. Tyr. 652. *τὸν οὔτε πρὶν νήπιον*
664. 892. *φρόνησιν εἰ τάνδ' ἔχω.*
Electr. 1085. *ὡς καὶ σὺ πάγκλαυτον αἰ-*
1407. *ἤκουσ' ἀνήκουστα δύσ-*
Eurip. Med. 1249. *γυναῖκα πρὶν φοινίαν*
1252. *γονᾶς ἔβλαστεν θεῶν δ'*
Hippol. 1136. *ἐπεὶ τὸν Ἑλλανίας*
Alcest. 924. *ἐμοί τις ἦν ἐν γένει*
Suppl. 781. *πόλει μὲν εὐδοξία*
800. *στεναγμὸν, ὦ ματέρες,*

Herc. Fur. 410. *τίν', οὐκ ἀφ' Ἑλλανίας*
412. *κόρας Ἀρείας πέπλων*

Quod superest, ut Hermanni verbis p. 400. utar, "Versuum "*κατὰ ἀντιπάθειαν μικτῶν* ingens adhuc multitudo commemo-"rari poterat, sed horum rationem facile quivis intelliget, qui "eas, quæ omnium numerorum communes sunt leges, didi-"cerit."

## CAP. XV.

### *De Asynartetis.*

Versuum asynartetorum indolem et artificium optime declaravit Bentleius ad Horatii Epod. XI. "Sub primis poëticæ "artis initiis simplici pede versus decurrebant, heroicus dac-"tylo, trochaicus et iambicus uterque suo; nisi ubi, pes "omnibus illis cognatus, spondeus interponebatur, quo versus, "ut noster ait, *tardior paullo graviorque ad aures veniret.* "Postea, ut varietatis gratiam aucuparentur, cola quædam "sive partes heroici versus cum colis trochaici generis vel "iambici, et vicissim, in unum versum miscebant; unde "magnus novorum versuum numerus illico nascebatur, quos "Græci magistri *ἀσυναρτήτους*, hoc est, *inconnexos* vocabant; "quia alterum colon altero diversi generis connecti et coag-"mentari non potest, utcumque uno versiculo utrumque sit "conclusum. Horum *ἀσυναρτήτων* numerum ad LXIV. usque "exsurgere narrant Scholiastes Hephæstionis p. 52. (83.) et "Marius Victorinus p. 2552. Parens autem et inventor horum "erat Archilochus. *Πρῶτος ἀσυναρτήτοις Ἀρχίλοχος κέχρηται,* "ait Hephæst. p. 48. (83.) *Primus inconnexis versibus Archi-"lochus usus est:* ubi et diversa eorum genera profert; quorum "ea tantum hic memorabo, quæ Flaccus imitatus est. Unum "ergo ait p. 50. (88.) constare *ἐκ δακτυλικῆς τετραποδίας καὶ "τοῦ ἰθυφαλλικοῦ*, hoc est, prius colon esse tetrametrum he-"roicum, posterius tres trochæos; quale illud Archilochi;

*οὐκ ἔθ' ὁμῶς θάλλεις ἁπαλὸν χρόα | κάρφεται γὰρ ἤδη.*

"Quod semel duntaxat Flaccus expressit, Carm. I. 4.

*Solvitur acris hiems grata vice | veris et Favoni.*

"Ubi iterum Cruquius ex Blandiniis suis profert *συναρτητῶς* "pro *ἀσυνάρτητος*; atque idem inepte ex duobus colis duos "versus constituit in hunc modum,

*Solvitur acris hiems grata vice*
*Veris et Favoni:*

" eodem plane errore, quo in hisce Epodis peccavit Lambi-" nus. Ea enim ἀσυναρτήτων ratio ipsa et definitio est, ut δύο " κῶλα ἀνθ' ἑνὸς μόνου παραλαμβάνωνται στίχου, *duo cola pro* " *unico versu accipiantur*, p. 48. (83.) Alterum Archilochi " ἀσυνάρτητον p. 51. (89.) constabat ἐκ δακτυλικοῦ πενθημιμε-" ροῦς, καὶ ἰαμβικοῦ διμέτρου ἀκαταλήκτου, sive prius colon erat " pars elegiaci, posterius pars iambici; quale illud,

ἀλλά μ' ὁ λυσιμελὴς | ὦ 'ταῖρε δάμναται πόθος.

" et ad hoc exemplum semel tantum decurrit Horatius iu hoc " ipso Epodo XI.

*Scribere versiculos | amore perculsum gravi.*

" Tertium autem asynarteti genus, quale nullum ex Archilo-" cho profert Hephæst. est illud Epodi XIII. ubi ordine in-" verso, pars iambici præcedit, et pars elegiaci subsequitur; " tanquam si scriberes,

ὦ 'ταῖρε δάμναται πόθος | ἀλλά μ' ὁ λυσιμελής.
*Nivesque deducunt Jovem | nunc mare nunc siliüæ.*
*Occasionem de die | dumque virent genua.*

" Utrum autem hoc invenerit Horatius, an ex Archilocho " acceperit, nescias hodie; quandoquidem hujus opera ad " nostram ætatem non perennaverunt. Si Attilio Fortuna-" tiano credis, Horatii inventum est, sic enim ait p. 2684. " *Omnia metra variantur,—aut permutatione, tanquam*

*Occasionem de die | dumque virent genua.*

" *Nam cum Archilochus heroi partem priorem cum iambici* " *priore parte composuerit, ita ut antecederet heroum, in hunc* " *modum;*

*Scribere versiculos | amore percussum gravi.*

" *Horatius immutavit, ut antecederet iambici pars, sequeretur* " *heroi, sic,*

*Occasionem de die | dumque virent genua.*

" Eadem fere habes apud eundem p. 2699. Tamen, opinor, " Horatio ipsi de se potior fides habenda est; qui clare negat " se ullius carminis modos immutasse; Epist. II. 19.

*Parios ego primus iambos*
*Ostendi Latio*, numeros *animosque secutus*
Archilochi, *non res et agentia verba Lycamben.*

*Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,*
*Quod* timui mutare modos *et carminis artem.*

" Et certe hunc ipsum versum *Archilochium* vocat Diomedes " p. 515. et Scholiastes Blandinius de Metris apud Cruquium " in fine libri. Sed utcumque hoc fuerit; utrumque Epodon, " et hunc XI. et alterum XIII. alternos versus ἀσυναρτήτους " habere ex duobus colis constantes; atque ea cola intra " unum versiculum concludenda esse, non, ut Lambinus voluit, " in binos dissecanda, jam certo, puto, compertum tibi est, ex " iis quæ modo attulimus. Atque illis concinunt omnes ubi- " que grammatici, quotiescumque de his metris agunt, ut " Diomedes p. 511. et 528. Marius Victorinus p. 2549. 2619. " 2622. et Attilius Fortunatianus p. 2706. Sic et auctor Car- " minis de Pasiphaë (apud Blandinium de metris scriptorem, " et Pithœum) quo omnia Horatiana metra eleganter com- " plexus est, singulis versibus singula asynarteta exhibuit,

*Cecopides juvenis | quem perculit fractum manu*
*Filo resolvens Cnossiæ | tristia tecta domus.*

" Denique disertissimus ille de metris scriptor, Terentianus " Maurus, in ipso fine operis, ex duobus colis *unum versum* " *fieri* bis clare testatur: cujus locum, ob singularem viri " auctoritatem et elegantiam, integrum hic subjiciam: ubi de " Flacco loquitur,

*Nec non trimetro talem Epodum comparat.*
*Pentametri partem dactylicam subicit,*
*Atque dimetron ad hoc;* | unumque versum *reddidit:*
Petti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos | amore perculsum gravi.
*Semelque et istud functus est.*
*Idemque Epodon non trimetro reddidit;*
*Sed versum heroum voluit præmittere totum,*
*Dein dimetrum conlocat | commaque dactylicum;*
*Et hic, ut ante,* versus unus *ut foret:*
Horrida tempestas cælum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Jovem | nunc mare, nunc siliüæ.

" Quid ergo? jamne vides, in quanta harum rerum ignora- " tione versati sint, qui per integrum jam sæculum, duce " Lambino, editiones suas hoc emblemate dehonestarunt.

" Nam quod arguit optimus Torrentius; si unico versu duo " cola illa concludantur, inverecunde nimis Flaccum nunc bre- " vem syllabam produxisse, nunc vocalem ante vocalem non " abjecisse, ut in illis,

*Arguit et latere | petitus imo spiritus.*
*Fervidiore mero | arcana promorat loco.*
*Levare diris pectora | sollicitudinibus.*

" in eo ostendit se versus ἀσυναρτήτου indolem non omnino " percepisse. Diserte enim docet Hephæstion, optimus me- " trorum auctor, syllabam ultimam prioris coli perinde esse " communem, ac si integrum hexametrum vel iambicum clau- " deret: unde et Archilochum ait in illo, de quo jam egimus, " asynarteto,

οὐκ ἔθ' ὅμως θάλλεις ἁπαλὸν χρόα, κάρφεται γὰρ ἤδη.

" etiam creticum pedem διὰ τὴν ἐπὶ τέλους ἀδιάφορον pro dac- " tylo posuisse, ut in hoc,

καὶ βήσσας ὀρέων δυσπαιπάλους | οἷος ἦν ἐφ' ἥβης.

" Vides tamen, nihilo minus, tam hæc cola apud Archilochum, " quam illa apud Flaccum, in unum versum coalescere."

P. 88. In asynarteto, cujus hic mentionem facit Hephæstio, primus pes est vel [1]iambus, vel [2]spondeus, vel [3]anapæstus; sequuntur duo anapæsti, iambus vel spondeus, duo iambi et syllaba.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| ⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ ⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | – |
| – – | | | – – | | | ⏑ |
| ⏑ ⏑ – | | | | | | |

locorum sequentium nonnulla mihi indicavit Porsonus:

Aristoph. Vesp. sub finem:

[1]στρόβει, παράβαινε κύκλῳ, καὶ γάστρισον σεαυτόν,
[2]ῥίπτε σκέλος οὐράνιον, βέμβικες ἐγγενέσθων.
καὐτὸς γὰρ ὁ ποντομέδων ἄναξ πατὴρ προσέρπει,
ἡσθεὶς ἐπὶ τοῖσιν ἑαυτοῦ παισὶ τοῖς τριόρχαις.
ἀλλ' ἐξάγετ', εἴ τι φιλεῖτ' ὀρχούμενοι, θύραζε
ἡμᾶς ταχύ· τοῦτο γὰρ οὐδείς πω πάρος δέδρακεν,
ὀρχούμενον ὅστις ἀπήλλαξεν χορὸν τρυγῳδῶν.

Idem Eccles. 576.

μισοῦσι γὰρ ἢν τὰ παλαιὰ πολλάκις θεῶνται.

Phrynichus Athenæi XIII. p. 564 F. 604 A.

λάμπει δ' ἐπὶ πορφυρέαις παρῇσι φῶς ἔρωτος.

Euripides Athenæi IV. p. 158 F.

ἀρκεῖ μετρία βιοτά μοι σώφρονος τραπέζης,
τὸ δ' ἄκαιρον ἅπαν τόδ' ὑπερβάλλον τε μὴ προσείμαν.

Diphilus ibid. XI. p. 499 C.

λάγυνον ἔχω κενὸν, ὦ γραῦ, θύλακον δὲ μεστόν.

Cratinus Athenæi VIII. p. 344 F.

Λάμπωνα τὸν οὐ βροτῶν
ψῆφος δύναται φλεγυρὰ δείπνου φίλων ἀπείργειν.
Νῦν δ' αὖθις ἐρυγγάνει·
βρύκει γὰρ ἅπαν τὸ παρὸν, τρίγλῃ δὲ κἂν μάχοιτο.

Eubulus ibid. III. p. 105 F.

καρῖδα καθῆκα κάτω, κἀνέσπασ' αὖθις — —

Eupolis Athenæi XIV. p. 638 D. a viris doctis sic emendatur:

τὰ Στησιχόρου τε καὶ Ἀλκμᾶνος Σιμωνίδου τε
ἀρχαῖον ἀειδέν. ὁ δὲ Γνήσιππος ἔστ' ἀκούειν,
ὃς νυκτερίν' εὗρε μυχοῖς ἀείσματ' ἐκκαλεῖσθαι
γυναῖκας ἔχοντας ἰαμβύκην τε καὶ τρίγωνον.

Nescio an Euripid. Med. vv. 986. 987. in unum compingi debeant,

σὺ δ', ὦ τάλαν, ὦ κακόνυμφε, κηδεμὼν τυράννων.

Cratinus Athenæi XII. p. 553 E. post primum pedem tres inserit anapæstos:

ἁπαλὸν | δὲ σισύμβριον ἢ ῥόδον ἢ κρίνον παρ' οὖς ἐθάκει.
παρὰ χερ|σὶ δὲ μῆλον ἕκαστος ἔχων σκίπωνά τ' ἠγόραζον.

in v. sec. ἕκαστος vulgo omissum in MS. Ven. reperiri me monuit Cobetus.

Huic metro affine judicavit Bentleius Diss. Phalarid. p. 227. Latinorum Saturnium, quod sic describit Atilius Fortunatianus p. 2698=351. *Saturnio metro primum in Italia usi, dictum autem a Saturna urbe vetustissima Italiæ. Et hic versus obscurus quibusdam videtur, quia passim et sine cura eo homines utebantur: maxime tamen triumphaturi in Capitolio tabulas hujusmodi versibus incidebant, id est, sic:*

summas opes qui regum regias refregit.

*Habet autem in prima parte iambicon dimetron catalecticon, in secunda trochaicon dimetron brachycatalecticon, quod et ithyphallicum diximus, ut,*

Dabunt malum Metelli Nævio poëtæ.

Plura vide apud eundem p. 2679=323. Terentianum Maurum v. 2497. Diomedem p. 512=495. Marium Victorinum p. 2586 =190. Plotium p. 2650=281. Hermannum Lib. III. c. 9.

P. 89, 5. Προσοδιακὸν] Marius Victorinus p. 2580=180. *Dimetro anapæstico catalectico, sive heroo penthemimeri, si Phalæcii colon, id est, partem e tribus trochæis seu syzygiam ejus adjunxeris, prosodiacum metrum efficies.* Plotius p. 2664. *Prosodiacum hyporchematicum fit syllaba, et penthemimeri dactylico et tribus trochæis.* Versus similes istis,

αὐτὰ δὲ σὺ Καλλιόπα.
– – | ᴗ ᴗ – | ᴗ ᴗ – |
Ἐρασμονίδη Χαρίλαε.
ᴗ – | ᴗ ᴗ – | ᴗ ᴗ – | ᴗ

aliquoties in melicis tragicorum reperiuntur et in Pindaro: Sic Eurip. Med. 411. ἄνω ποταμῶν ἱερῶν
Pindar. Olymp. III. 2. καλλιπλοκάμῳ θ' Ἑλένᾳ.

P. 93, 15. δακτυλικὰς τετραποδίας] Hanc Archilocheorum asynartetorum speciem, *Logaœdicum Archilochium Ithyphallicum* Plotio p. 2663. imitatus est Horatius Carm. I. 4. cui, ducem secutus, subjunxit iambicum trimetrum catalecticum. Archilochus ipse apud Stobæum Gesneri p. 399, 21. Grotii p. 263.

τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθεὶς,
πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευε,
κλέψας ἐκ στήθεων ἁπαλὰς φρένας—

Similiter Simonides in Anthol. Pal. XIII. 26.

μνήσομαι, οὐ γὰρ ἔοικεν ἀνώνυμον ἐνθάδ' Ἀρχεναύτεω
κεῖσθαι θανοῦσαν ἀγλαὰν ἄκοιτιν,
Ξανθίππην Περιάνδρου ἀπέκγονον, ὅς ποθ' ὑψιπύργου
σήμαινε λαοῖς ἕρμ' ἔχων Κορίνθου.

Theocritus iisdem usus est Epigr. XVIII. in Archilochum, trimetro tamen iambico acatalecto interposito.

Ἀρχίλοχον καὶ στᾶθι καὶ εἴσιδε τὸν πάλαι ποιητὰν
τὸν τῶν ἰάμβων· οὗ τὸ μύριον κλέος
διῆλθε κἠπὶ νύκτα καὶ πρὸς ἀῶ.

ἦ ῥά μιν αἱ Μοῖσαι καὶ ὁ Δάλιος ἠγάπευν Ἀπόλλων.
ὡς ἐμμελής τ' ἔγεντο κἀπιδέξιος
ἔπεά τε ποιεῖν πρὸς λύραν τ' ἀείδειν.

Idem hunc asynartetum versui hendecasyllabo Phalæcio postposuit,

ὁ μικκὸς τόδ' ἔτευξε τᾷ Θρεΐσσᾳ
Μήδειος τὸ μνᾶμ' ἐπὶ τᾷ ὁδῷ, κἠπέγραψε Κλείτας.
ἕξει τὰν χάριν ἁ γυνὰ ἀντὶ τήνων
ὧν τὸν κῶρον ἔθρεψε· τί μήν; ἔτι ΧΡΗΣΙΜΑ καλεῖται.

Contra eidem præfixit Callimachus Anthol. Pal. VII. 728.

Ἱερέη Δήμητρος ἐγώ ποτε, καὶ πάλιν Καβείρων,
ὦνερ, καὶ μετέπειτα Δινδυμήνης,
ἡ γρῆϋς γενόμην, ἡ νῦν κόνις, ἡνο.........
πολλῶν προστασίη νεῶν γυναικῶν.
καί μοι τέκν' ἐγένοντο δύ' ἄρσενα, κἠπέμυσ' ἐκείνων
εὐγήρως ἐνὶ χερσίν· ἕρπε χαίρων.

Phalæcus ibidem XIII. 28. hunc asynartetum et hexametrum dactylicum alternat:

Φῶκος ἐπὶ ξείνης μὲν ἀπέφθιτο· κῦμα γὰρ μέλαινα
ναῦς οὐχ ὑπεξήνεικεν, οὐδ' ἐδέξατο·
ἀλλὰ κατ' Αἰγαίαιο πόρον βαθὺν ᾤχετο πόντου,
βίῃ νότου πρήσαντος ἐσχάτην ἅλα.
τύμβου δ' ἐκ πατέρων κενεοῦ λάχεν, ὃν πέρι Πρόμηθις
μήτηρ, λυγρῇ ὄρνιθι πότμον εἰκέλη,
αἶ αἶ κωκύει τὸν ἑὸν γόνον ἤματα πάντα,
λέγουσα τὸν πρόωρον ὡς ἀπέφθιτο.

Alii asynarteto, qui ex iambica penthemimeri et logaœdico dactylico constat, præfixit Bacchylides vel Simonides Anthol. Pal. XIII. 28.

πολλάκι δὴ φυλῆς Ἀκαμαντίδος ἐν χοροῖσιν Ὧραι
ἀνωλόλυξαν κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις
αἱ Διονυσιάδες, μίτραισι δὲ καὶ ῥόδων ἀώτοις
σοφῶν ἀοιδῶν ἐσκίασαν λιπαρὰν ἔθειραν,
οἳ τόνδε τρίποδά σφισι μάρτυρα Βακχίων ἀέθλων
θήκαντο. Κείνους δ' Ἀντιγένης ἐδίδασκεν ἄνδρας.
εὖ δ' ἐτιθηνεῖτο γλυκερὰν ὄπα Δωρίοις Ἀρίστων
Ἀργεῖος ἡδὺ πνεῦμα χέων καθαροῖς ἐν αὐλοῖς,
τῶν ἐχορήγησεν κύκλον μελίγηρυν Ἱππόνικος
Στρούθωνος υἱὸς, ἅρμασιν ἐν Χαρίτων φορηθεὶς,

αἵ οἱ ἐπ' ἀνθρώποις ὄνομα κλυτὸν, ἀγλαάν τε νίκαν
θῆκαν, ἰοστεφάνων Θεᾶν ἕκατι Μοισᾶν.

Ad ultimum versum hæc adscripsit Jacobsius: "Exhibui "hunc versum ut in membr. legitur. Θῆκαν θεᾶν ἰοστεφάνων "ἕκατι μοισᾶν Brunck. [post Bentleium Callim. Ep. 49.] qua "verborum transpositione non multum juvamur. Versus "exitus fuisse videtur, θῆκαν ἰοστεφάνων Ἕκατι. Penthemimeris "iambica autem quæ versum incipere debuit, sic videtur con- "cipienda: Μοισᾶν θεάων aut θεαινᾶν."

P. 94, 2. εἰς δισύλλαβον] Aliud hujus metri specimen ex Cratino protulit Phrynichus p. 110. ed. Lobeck.

Αὐτομάτη δὲ φέρει τιθύμαλλον καὶ σφάκον πρὸς αὐτῷ,
ἀσφάραγον κύτισόν τε, νάπαισιν δ' ἀνθέρικος ἐνηβᾷ,
καὶ φλόμον ἄφθονον ὥστε παρεῖναι πᾶσι τοῖς ἄγροισιν.

P. 94, 4. παρ' Ἀρχιλόχῳ] Plotius p. 2662=298. *Encomiologicum Archilochium fit penthemimerica dactylica præposita, et quatuor pedibus disyllabis iambicis subjunctis*, (Horat. Ep. XI.)

Fabula quanta sui, conviciorum pœnitet.

Nescio an referre debeamus ad hoc genus Euripid. Med. 414. ubi dipodia iambica penthemimeri dactylicæ postponitur:

ἀνδράσι μὲν δόλιαι βουλαί· θεῶν δ'.
— ◡◡ — ◡◡—| — — ◡—|

P. 94, 9. Ἐγκωμιολογικὸν] Hoc metrum *Encomiologicum Stesichorium* vocat Plotius p. 2662=298.

Eurip. Orest. 1292. ἔλθ' ἐπίκουρον ἐμοῖς φίλοισι πάντως.
Troad. 805. πρῶτον ἔδειξε κλάδον γλαυκᾶς Ἀθάνα
Ion. 1067. Εἰνοδία θύγατερ Δάματρος, ἃ τῶν

P. 95, 4. *Iambelegus*, inquit Plotius, p. 2662=298. *nomen accepit, quod iambico et elego constat.* Exempla vide Sophocl.

Aj. 178. ψευσθεῖσ' ἀδώροις εἴτ' ἐλαφηβολίαις
ἢ χαλκοθώραξ εἴ τιν' Ἐνυάλιος
μομφὰν ἔχων ξυνοῦ δορὸς, ἐννυχίοις
Trach. 95. τίκτει κατευνάζει τε φλογιζόμενον
99. ναίει ποτ' ὦ λαμπρᾷ στεροπᾷ φλεγέθων
821. ἴδ' οἷον ὦ παῖδες προσέμιξεν ἄφαρ
Euripid. Hec. 937. τὰν τοῖν Διοσκόροιν Ἑλέναν κάσιν Ἰ-
δαῖόν τε βούταν αἰνόπαριν κατάρᾳ
942. ἐξώκισέν τ' οἴκων γάμος οὐ γάμος ἀλλ'
Orest. 1259. ἐκεῖθεν ἐνθάδ', εἶτα παλινσκοπιάν.

Androm. 767. ἢ μὴ γενοίμαν ἢ πατέρων ἀγαθῶν
εἴην πολυκτήτων τε δόμων μέτοχος.
776. ἀνδρῶν ἀφαιρεῖται χρόνος ἁ δ' ἀρετὰ
1027. βέβακε δ' Ἀτρείδας ἀλόχου παλάμαις
αὐτὰ δ' ἐναλλάξασα φόνον θανάτῳ
Helen. 1116. σὲ τὰν ἐναυλείοις ὑπὸ δενδροκόμοις
Ion. 781. μή πω στενάξῃς—ἀλλὰ πάρεισι γόοι.
πρὶν ἂν μάθωμεν. ἀγγελίαν τινα μοι.
Electr. 867. πήδημα κουφίζουσα σὺν ἀγλαΐᾳ.

Pindar. Pyth. IV. 3. et alibi. Idem apud Athenæum p. 641 C.

Δείπνου δὲ λήγοντος γλυκὺ τρωγάλιον,
καίπερ πεδ' ἄφθονον βοράν.

Dactylica penthemimeris trochaicæ dipodiæ subjungitur apud Pindarum l. c. vv. 1. 2. 4. Euripid. Med. 413.

καὶ δίκα καὶ πάντα πάλιν στρέφεται.
416. τὰν δ' ἐμὰν εὔκλειαν ἔχειν βιοταν.

Sed talia persequi longum est.

P. 96, 1. Plotius p. 2663=299. *Compositum Pindaricum fit penthemimerico iambico ex utraque parte posito, et in medio penthemimerico dactylico,*

ὃς καὶ τυπεὶς ἁγνῷ πελέκει τέκετο ξάνθαν Ἀθάναν.
– – ∪ – – | – ∪∪ – ∪∪ – | – – ∪ – –

P. 96, 6. τὸ ἐλεγεῖον] De hoc metro legendus est Terentianus Maurus v. 1721 et seqq. Elegos aliquando, etsi rarius, usurpabant tragici, veluti Euripides Androm. 103. E comicis Antiphanes Athenæi X. p. 423 D.

τοῦτον ἐγὼ κρίνω μετανιπτρίδα τῆς ὑγιείας
πίνειν ζωροτέρῳ χρώμενον οἰνοχόῳ.

Pentametrum dactylicum hexametro fere semper subjungi nemo ignorat. Contra Dionysius Atheniensis cognomine *Æneus* hexametro præfixit teste Athenæo XIII. p. 602 C. ad instar Delphici istius, quod sequitur, oraculi:

εὐδαίμων Χαρίτων καὶ Μελάνιππος ἔφυ
θείας ἀγητῆρες ἐφαμερίοις φιλότατος.

Pentametros continuos me reperisse memini tantum apud Heliodorum in Æthiopicis lib. III. p. 129. ed. Commelin, et Phi-

lippum Thessalonicensem in Anthol. Pal. XIII. 1. Latinos hujusmodi versus dictos in Commodum Antoninum ex Ælii Lampridii Anton. Diadum. c. 7. necnon alios apud Martianum Capellam lib. IX. p. 307. ed. Grot. commemorat Burmannus Anthol. Lat. II. xcix. p. 240.

P. 97, 13. Ἱερὰ, *νῦν δὲ Διοσκουρίδεω γενεή.*
" Hephæstion hic, ut obiter id notem, errat in exemplo. Nam
" id [z] excusari potest eodem colore, quo p. 11. usus est ipse,
" ubi rationem reddit, cur excusari possit secundam corripi in
" *χαμαιευνάδες*, idem hic obtinet in *Διός· ὡς μία ἡ Διὸς ἀκούε-*
" *ται.* et sic optimi poëtæ vocem compositam in *ἀσυναρτήτοις*
" adhibent, quasi re vera essent duæ voces: aliter id non
" licet: quare erravit hoc nomine Scaliger etiam in Catulli
" Carm. XVII. legens *assulitantis:*

*Crura ponticuli assuli | tantis, irredivivus.*

" Et Vossius ad metrum longe melius,

*Crura ponticuli asculis | stantis, irredivivus.*

" id optime quoque animadvertit inter alios R. Bentleius ad
" Horatium Od. IV. viii. 17.

*Non incendia Car|thaginis inpiæ.*

" docetque aliam plane rem esse in his exemplis Horatianis
" II. 12.

*Dum flagrantia de | torquet ad oscula.*

" et I. 18.

*Arcanique fides prodiga per | lucidior vitro.*

" quibus exemplis adde l. I. 16.

*Hostile aratrum ex|ercitus insolens.*

" et I. 37.

*Antehac nefas de | promere Cæcubum.*

" II. 17.

*Utrumque nostrum in|credibili modo.*

" vide quoque lib. III. xii. 2. 12. Non ob hanc causam tamen

[z] excusari] Similibus exemplis Cyrenæum artificem excusare frustra voluit Dorvillius, quippe non habuit quæ afferret. At laudat Victorinus, Ἡμεῖς δ' εἰς Ἑλλήσποντον ἀπεπλέομεν. *Labitur hinc Hellespontus in oceanum. Venerunt interlunia sancta polo.* Diomedes p. 502. *Hæc nostræ quoque sententia mentis erat.* Quorum hos equidem a Latinis grammaticis, cum in Latio nullos prorsus geminos reperirent, docendi causa fictos, istum ex historico vel oratore depromtum esse suspicor etc. SANTEN. in Terent. Maur. p. 301.

" rejiciendum docet illum versum Al. Cuningamius p. 104. ex-
" emplo ex lib. IV. 14.

*Spectandus in cer|tamine Martio.*

" cui adde I. 37.

*Mentemque lympha | tam Mareotico.*

" debuerat igitur aptius exemplum adduxisse Hephæstion, si
" dabatur." D'ORVILLIUS.

Marius Victorinus p. 2561=154. *Hoc quoque notandum in enuntiatione pentametri elegiaci, nam plerumque aurem fallit, ut in illo Græco versu,*

ἡμεῖς δ' εἰς Ἑλλήσποντον ἀπεπλέομεν.

*Nam si conjunctim* Ἑλλήσποντον *enuntiaremus, effugerit aurium sensum, ut nequaquam versus esse credatur. At si per hemistichium pronuntiemus, ipsa subdistinctione genus metri declarabimus, ita,*

ἡμεῖς δ' εἰς Ἕλλης.

*dehinc,*

πόντον ἀπεπλέομεν.

*Unde pentametrus duobus pedibus et semipede colon terminare debet, ut qui audierit, antequam percutiat, versum intellegat; velut,*

Labitur hinc Helles, pontus in Oceanum.

*Item,*

Venerunt inter, lunia sancta polo.

*Nam si per se dicas* inter, *et per se* lunia, *media subdistinctione interposita, recipiet formam elegiaci.*

Pentametro elegiaco subnectunt grammatici *metrum Chœrilium*, seu *Diphilium*. (*Delphicum* et *Angelicum* Plotius p. 2633 =255.) Marius Victorinus p. 2558=151. [a]*Chœrilium seu Diphilium metrum ex eodem pentametri ortum esse genere res ipsa indicat; est enim e dactylica specie derivatum, suprema tantum versus syllaba, qui sex pedibus profluat, brevius. Incipit autem a duobus dactylis, tertia regione spondeo semper manente, et rursus ex duobus dactylis et syllaba una. Huic duo cola, quæ penthemimere diximus, adcrescente media syllaba, qua spondeus gignitur, formam dedisse noscuntur, qua detracta, ad elegiacum pentametrum versus revertetur; veluti,*

Nunc age Pierios versus dea Calliope.
- ᴗ ᴗ - ᴗ ᴗ | - - | - ᴗ ᴗ - ᴗ ᴗ | -

[a] Chœrilium] v. Schol. Ven. Aristoph. Nub. 456.

*Chœrilium autem ἀμφιλιπὲς dicitur, quod initio et in fine imminutum est, ut,*

Tibi namque decens, lucet rosa vertice.

*Angelicum* nuncupat Diomedes p. 512. *Angelicum metrum, celeritate nuntiis aptum, Stesichorus invenit.* Stesichori versus hujus moduli exstat Aristoph. Pac. 797.

*τοίαδε χρὴ Χαρίτων δαμώματα καλλικόμων.*

cui similes videntur Antiphanis Athenæi XI. p. 471 C.

*τῆς τρυφερᾶς ἀπὸ Λέσβου σεμνοπότου σταγόνος*
*πλῆρες, ἀφρίζον, ἕκαστος δεξιτερᾷ δ' ἔλαβεν.*

Idem ibid. XIV. p. 642 A.

*εἶτ' ἐπεισῆγεν χορείαν, ἢ τράπεζαν δευτέραν,*
*καὶ παρέθηκε γέμουσαν πέμμασι παντοδαποῖς.*

Telestes Athenæi XIV. p. 617 B. apud Bergkium Poët. Lyr. p. 1007.

*πνεύματος εὔπτερον αὔραν ἀμφιπλέκων καλάμοις.*

Confer Hermannum Comment. de Metris Pindari apud Heynium T. III. p. 222.

P. 98, 2. *ἐξ ἰαμβικοῦ—ἐφθημιμεροῦς*] Aliud exemplum suppeditat Eupolis Fr. inc. IV. apud Meinekium:

*ἦ πολλά γ' ἐν μακρῷ χρόνῳ γίγνεται μεταλλαγῇ*
*τῶν πραγμάτων· μένει δὲ χρῆμ' οὐδὲν ἐν ταὐτῷ ῥυθμῷ.*

Adde Aristoph. Av. 1755 et seqq.

P. 98, 8. *παρὰ μὲν αὐτῷ Εὐριπίδῃ*] Hephæstionis locum, opinor, ob oculos habuit Atilius Fortunatianus, cum hæc scriberet, p. 2680 = 323. *apud Euripidem et Callimachum inveni tale genus,*

Turdis edacibus dolos comparas amice.

Exemplum dabit Aristophanes Vesp. 248.

*τὸν πηλὸν ὦ πάτερ πάτερ τουτονὶ φυλάξαι.*
*κάρφος χαμᾶθεν νῦν λαβὼν τὸν λύχνον πρόβυσον.*
*οὐκ, ἀλλὰ τῳδί μοι δοκῶ τὸν λύχνον προβύσειν.*
*τί δὴ μαθὼν τῷ δακτύλῳ τὴν θρυαλλίδ' ὠθεῖς,*
*καὶ ταῦτα τοὐλαίου σπανίζοντος, ὦ 'νόητε;*
*οὐ γὰρ δάκνει σ' ὅταν δέῃ τίμιον πρίασθαι.*
*εἰ νὴ Δί' αὖθις κονδύλοις νουθετήσεθ' ἡμᾶς*
*ἀποσβέσαντες τοὺς λύχνους ἄπιμεν οἴκαδ' αὐτοί·*
*κἄπειτ' ἴσως ἐν τῷ σκότῳ τουτονὶ στερηθεὶς*
*τὸν πηλὸν, ὥσπερ ἀτταγᾶς, τυρβάσεις βαδίζων.*

Sequuntur 15 versus ejusdem moduli.

P. 100, 14. Κρατίνειον] Cratinus apud Zonaram p. 919.

ἀλλὰ τάδ' ἔστ' ἀνεκτέον· καὶ γὰρ ἡνίκ' ἠσθένει.

P. 102, 3. Πολυσχημάτιστον—Κωμικοί.] Hoc metrum sequentes induit formas in duobus Pherecratis locis apud Athenæum XV. p. 685 A. B.

– ⏑ ⏑ – | ⏑ – ⏑ – | ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ | ⏑ – –
∸ ⏑ – ⏑ | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – |
⏑ – – ⏑ | | – – – ⏑ |
– – – ⏑ | | – ⏑ – ⏑ |
⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ | | ⏑ – – ⏑ |

ὁ Φερεκράτης δὲ, ἢ ὁ πεποιηκὼς τὸ δρᾶμα τοὺς Πέρσας, μνημονεύων καὶ αὐτὸς ἀνθῶν τινων στεφανωτικῶν, φησίν·

ὦ μαλάχας μὲν ἐξερῶν, ἀναπνέων δ' ὑάκινθον,
καὶ μελιλώτινον λαλῶν, καὶ ῥόδα προσσεσηρώς·
ὦ φιλῶν μὲν ἀμάρακον, προσκινῶν δὲ σέλινα,
γελῶν δ' ἱπποσέλινα, καὶ κοσμοσάνδαλα βαίνων,
ἔγχει, κἀπιβόα τρίτον παιῶν', ὡς νόμος ἐστίν.

ὁ δὲ πεποιηκὼς τοὺς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένους Μεταλλεῖς φησίν·

ὑπ' ἀναδενδράδων ἁπαλὰς ἀσπαλάθους πατοῦντες
ἐν λειμῶνι λωτοφόρῳ, κύπειρόν τε δροσώδη,
κἀνθρύσκου μαλακῶν τ' ἴων λείμακα καὶ τριφύλλου.

Hephæstionis asynartetis unum addit Hermannus ex trochaico dimetro et pæonico dimetro catalectico compositum, Aristoph. Lysist. 1014.

οὐδέν ἐστι θήριον γυναικὸς ἀμαχώτερον.
– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ | – ⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑

Ejusdem mensuræ sunt versus sequentes usque ad v. 1035. Vide Maltbii Thesaur. in v. Ἐκσκαλεύω. Prosod. p. XLIX.

## CAP. XVI.

### *De Polyschematistis.*

P. 110, 1. Glyconeus polyschematistus ex antispasto varie formato componitur et choriambo, et videtur comma prius esse Eupolidei polyschematisti, de quo v. Hephæstionem p. 112. Choriambus fere semper purus servatur. Insigne exemplum e Pherecratis Κραπατάλοις, quod in παραβάσει

locum habuisse censebat Porsonus, servarunt Photius et Suidas in v. Φίλιος Ζεύς.

...... τοῖς δὲ κριταῖς
τοῖς νυνὶ κρίνουσι λέγω
μὴ 'πιορκεῖν, μὴ δ' ἀδίκως
κρίνειν, ἤ, νὴ τὸν Φίλιον,
μῦθον εἰς ὑμᾶς ἕτερον
Φιλοκράτης λέξει, πολὺ τού-
του κακηγοριστότερον.

Aliud exemplum ex Pherecrate Athenæi p. 316 F. dedit Dobræus ad Aristoph. Nub. 518.

ἀνθρύσκοισι καὶ βρακάνοις
καὶ στραβήλοις ζῆν, ὁπόταν δ'
ἤδη πεινῶσι σφόδρα
ὡσπερεὶ τοὺς πουλύποδας
......νύκτωρ περιτρώ-
γειν αὐτῶν τοὺς δακτύλους.

Philyllius Athenæi XI. p. 485 B.

...πάντα γὰρ ἦν
μέστ' ἀνδρῶν καὶ μειρακίων
πινόντων, ὅμου δὲ λάλων
γρᾳδίων μεγάλαισιν οἴ-
νου χαίροντα λεπασταῖς.

In hac specie enucleanda multus est Hermannus De Metris II. 24. Elem. Doct. Met. III. 2. studioso lectori diligenter tractandus. Nobis sufficiet schema proposuisse scenicorum poëtarum exemplis munitum, ex quo versuum in choris passim occurrentium indoles patefiat.

⏑ – – ⏑ | – ⏑ ⏑ –

Eurip. Hec. 636. 'Αλέξανδρος εἰλατίναν
Iph. T. 1135. ὁ Φοῖβός θ' ὁ μάντις ἔχων
Helen. 1326. πόθῳ τᾶς ἀποιχομένας
Soph. Ant. 104. ἐφάνθης ποτ' ὦ χρυσέας

⏑ ⏑ ⏑ – ⏑ | – ⏑ ⏑ –

Eurip. Or. 797. ὁ μέγας ὄλβος ἅ τ' ἀρετὰ
μέγα φρονοῦσ' ἀν 'Ελλάδα καὶ
παρὰ Σιμουντίοις ὀχετοῖς
1370. πολιὸν αἰθέρ' ἀμπτάμενος

Iph. Aul. 549. δίδυμ' Ἔρως ὁ χρυσοκόμας
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωνι πότμῳ
τὸ δ' ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς
ἀπενέπω νιν ἁμετέρων
759. ἀνά τε ναῦσι καὶ σὺν ὅπλοις
Helen. 1324. ποτάμιόν τε χεῦμ' ὑδάτων
βαρύβρομόν τε κῦμ' ἅλιον

⏑ – ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ –

Eurip. Or. 1356. θεῶν νέμεσις εἰς Ἑλέναν
Helen. 1156. βροτῶν μακρότατον πέρας εὐ-

⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ –

Soph. Ant. 108. φυγάδα πρόδρομον ὀξυτέρῳ
Eurip. Or. 832. σφάγιον ἔθετο ματέρα πα-
Iph. Aul. 1043. μετά τε φιλοχόρου κιθάρας
1098. ὁπότε τὸ μὲν ἄσεπτον ἔχει
Herc. Fur. 684. παρά τε Βρόμιον οἰνοδόταν
παρά τε χέλυος ἑπτατόνου

⏑ – ⏑ – | – ⏑ ⏑ –

Soph. Ant. 781. ἔρως ἀνίκατε μάχαν
Trach. 117. τρέφει τὸ δ' αὔξει βιότου
Aj. 375. κλυτοῖς πεσὼν αἰπολίοις
1199. ἐκεῖνος οὔτε στεφάνων
Phil. 1136. ὁρῶν μὲν αἰσχρὰς ἀπάτας
Eur. Hec. 649. τέκνων θανόντων τίθεται
Or. 1382. κυκνοπτέρου καλλοσύνας
Phœn. 243. χορὸς γενοίμαν ἄφοβος
Hipp. 1156. ἐγὼ δὲ σᾷ δυστυχίᾳ
Supp. 980. γόοισι δ' ὀρθρευομένα
Helen. 1357. ἐπεὶ δ' ἔπαυσ' εἰλαπίνας
θεοῖς βροτείῳ τε γένει
1474. χοραγὲ τῶν καλλιχόρων
Herc. F. 767. μεταλλαγαὶ γὰρ δακρύων
μεταλλαγαὶ συντυχίας

– – ⏑ – | – ⏑ ⏑ –

Soph. Ant. 785. φοιτᾷς δ' ὑπερπόντιος ἔντ'
Trach. 116. οὕτω δὲ τὸν Καδμογενῆ
Aj. 390. σάρχας ὀλέσσας βασιλῆς
Phil. 1137. στυγνόν τε φῶτ' ἐχθόδοπον

Eurip. Hel. 1477. γλαυκὰ δὲ πόντου θυγάτηρ
Herc. F. 675. οὐ παύσομαι τὰς Χάριτας

◡ ◡ ◡ ◡ – | – ◡ ◡ –

Soph. Trach. 118. πολύπονον ὥσπερ πέλαγος
Eurip. Herc. F. 641. βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων

– – – ◡ | – ◡ ◡ –

Soph. Phil. 1141. εἰπόντος δὲ μὴ φθονερὰν
1144. ταχθεὶς τοῦδ' ἐφημοσύνᾳ
Eurip. Phœn. 236. οἶνα θ' ἃ καθαμέριον
Hipp. 142. εἴτ' ἐκ Πανὸς εἴθ' Ἑκάτας
Iph. A. 550. τόξ' ἐντείνεται χαρίτων
T. 431. καὶ πλησιστίοισι πνοαῖς
1132. συρίζων δ' ὁ κηροδέτας
Bacch. 866. ῥίπτουσ' ὡς νεβρὸς χλοεραῖς
872. συντείνῃ δρόμημα κυνῶν
Helen. 1510. Ὠρίωνά τ' ἐννύχιον
1512. Εὐρώταν ἐφεζόμεναι
Ion. 212. λεύσσεις οὖν ἐπ' Ἐγκελάδῳ
508. Ἀγραύλου κόραι τρίγονοι
Elect. 733. Ζεὺς καὶ φέγγος ἀελίου

◡ – – – | – ◡ ◡ –

Eurip. Suppl. 978. ἀοιδαὶ τὰς χρυσοκόμας
Ἀπόλλων οὐκ ἐνδέχεται
Iph. Aul. 547. γαλανείᾳ χρησάμενοι
Taur. 1103. ποθοῦσ' Ἑλλάνων ἀγόρους
1137. ἀείδων ἄξει λιπαρὰν
Ion. 464. σὲ τὰν ὠδίνων λοχιᾶν
467. Προμηθεῖ Τιτᾶνι λοχευ-
471. Ὀλύμπου χρυσέων θαλάμων
477. σὺ καὶ παῖς ἁ Λατογενὴς
Electr. 178. τάλαιν' οὐδὲ στᾶσα χοροῖς
180. ἑλικτὸν κρούσω πόδ' ἐμόν
441. πορεύων τὸν τᾶς Θέτιδος

◡ ◡ ◡ – – | – ◡ ◡ –

Eurip. Or. 827. δρομάσι δινεύων βλεφάροις
Phœn. 217. ὑπὲρ ἀκαρπίστων πεδίων
Iph. A. 551. τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωνι πότμῳ
758. ἄγυρις Ἑλλάνων στρατιᾶς
1062. κύκλια πεντήκοντα κόραι

Iph. A. 1087. πλόκαμον Ἀργεῖοι βαλιὰν
Bacch. 408. Πιερία μούσειος ἕδρα
865. πόδ' ἀναβακχεύουσα δέρην
Ion. 117. ἵνα δρόσοι τέγγουσ' ἱεραὶ

– – – – | – ◡ ◡ –

Soph. El. 121. ὦ παῖ παῖ δυστανοτάτας
Ἠλέκτρα ματρὸς τίν' ἀεί
Ant. 137. ῥιπαῖς ἐχθίστων ἀνέμων
Trach. 843. ὧν ἅδ' ἁ τλάμων ἄοκνον
Phil. 1081. ὦ κοίλας πέτρας γύαλον
1142. ἐξῶσαι γλώσσας ὀδύναν
1164. εὐνοίᾳ πάσᾳ πελάταν
Eurip. Hec. 472. κοιμίζει φλογμῷ Κρονίδας
Suppl. 961. προσφθέγξαιτ' ἂν τὰς ἀτέκνους
963. πλαγκτὰ δ' ὡσεί τις νεφέλα
Iph. A. 224. ἀντήρεις καμπαῖσι δρόμων
T. 1110. λίμναν θ' εἱλίσσουσαν ὕδωρ
Bacch. 407. χῶπου καλλιστευομένα
880. τῶν ἐχθρῶν κρείσσω κατέχειν
Helen. 1332. τὰν ἁρπασθεῖσαν κυκλίων
1337. αὐγάζων δ' ἐξ οὐρανίων
Ion. 213. γοργωπὸν πάλλουσαν ἴτυν
504. ὦ Πανὸς θακήματα καὶ
Herc. F. 349. τὰν καλλίφθογγον κιθάραν
Elect. 165. Αἰγίσθου λώβαν θεμένα
706. εὐαρμόστοις ἐν καλάμοις

◡ ◡ – – ◡ | – ◡ ◡ –

Eurip. Hel. 1334. μετὰ κουρᾶν δ' ἀελλόποδες.

– ◡ ◡ ◡ ◡ ◡ | – ◡ ◡ –

Eurip. Iph. A. 168. Χαλκίδα πόλιν ἐμὰν προλιποῦσ'

– ◡ ◡ ◡ – | – ◡ ◡ –

Eurip. Or. 826. Εὐμενίσι θήραμα φόνῳ

– ◡ ◡ – – | – ◡ ◡ –

Eurip. Phœn. 178. ὦ λιπαροζώνου θύγατερ
Iph. A. 548. μαινομένων οἴστρων ὅθι δὴ
577. βάρβαρα συρίζων Φρυγίων

◡ ◡ ◡ – ◡ ◡ | – ◡ ◡ –

Eurip. Med. 989. ὀλέθριον βιοτὰν προσάγεις
Suppl. 973. ὑπολελειμμένα μοι δάκρυα

Iph. A. 180. Πάρις ὁ βουκόλος ἂν ἔλαβεν
574. ἔμολες ὦ Πάρις ᾗτε σύ γε
Ion. 475. παρὰ χορευομένῳ τρίποδι

– ◡ – ◡ | – ◡ ◡ –

Soph. Ant. 107. φῶτα βάντα πανσαγίᾳ
Aj. 1187. τὰν ἄπαυστον αἰὲν ἐμοὶ
Eurip. El. 163. δέξατ' οὐδ' ἐπὶ στεφάνοις
707. Πᾶνα μοῦσαν ἡδύθροον

– ◡ – – | – ◡ ◡ –

Soph. Ant. 585. οὐδὲν ἐλλείπει γενεᾶς
Phil. 1167. οἰκτρὰ γὰρ βόσκειν ἀδαὴς δ'
Eurip. Med. 632. μήποτ' ὦ δέσποιν' ἐπ' ἐμοὶ
821. καὶ θεῶν παῖδες μακάρων
Iph. A. 554. Κύπρι καλλίστα θαλάμων
T. 1138. εὖ σ' Ἀθηναίων ἐπὶ γᾶν
Herc. F. 742. Πυθίου δενδρῶτι πέτρα
794. ἤξετ' εὐγαθεῖ κελάδῳ.

His exemplis plura lector diligens pro se quisque adjiciet. Alia forma, (◡ ◡ – ◡ – | – ◡ ◡ –) frequentatur in scoliis quibusdam apud Athenæum XV. p. 694. de quibus conferatur Hermannus El. D. M. lib. III. c. 16. s. 22. Hæc scolia e strophis constant versuum quatuor, quorum duo priores Phalæcii sunt hendecasyllabi, tertius est Glyconeus polyschematistus, quartus compositus est ex dactylo et cretico, dactylo et cretico, sive ob ultimæ syllabæ indifferentiam, duobus dactylis: vel, si mavis, ex choriambo et iambo, choriambo et iambo.

1. Παλλὰς Τριτογένει', ἄνασσ' Ἀθηνᾶ,
ὄρθου τήνδε πόλιν τε καὶ πολίτας,
ἄτερ ἀλγέων καὶ στασέων
καὶ θανάτων ἀώρων σύ τε καὶ πατήρ.

2. Πλούτου μητέρ' Ὀλυμπίαν ἀείδω
Δήμητρα στεφανηφόροις ἐν ὥραις,
σέ τε παῖ Διὸς Περσεφόνη,
χαίρετον, εὖ δὲ τάνδ' ἀμφέπετον πόλιν.

3. Ἐν Δήλῳ ποτ' ἔτικτε τέκνα Λατὼ
Φοῖβον χρυσοκόμαν, ἄνακτ' Ἀπόλλων',
ἐλαφηβόλον τ' ἀγροτέραν
Ἄρτεμιν, ἃ γυναικῶν μέγ' ἔχει κράτος.

4. Ὦ Πὰν, Ἀρκαδίας μέδων κλεέννας,
ὀρχηστὰ, Βρομίαις ὀπαδὲ Νύμφαις,
γελάσειας, ὦ Πὰν, ἐπ' ἐμαῖς
εὐφροσύναις ἀοιδαῖς κεχαρημένος.

5. Εἴθ' ἐξῆν ὁποῖός τις ἦν ἕκαστος
τὸ στῆθος διελόντ', ἔπειτα τὸν νοῦν
ἐσιδόντα, κλείσαντα πάλιν,
ἄνδρα φίλον νομίζειν ἀδόλῳ φρενί.

6. Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ,
δεύτερον δὲ καλὸν φυὰν γενέσθαι,
τὸ τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως,
καὶ τὸ τέταρτον ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων.

7. Ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω
ὥσπερ Ἁρμόδιος κ' Ἀριστογείτων,
ὅτε τὸν τύραννον κτανέτην,
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην.

8. Φίλταθ' Ἁρμόδι', οὔ τι που τέθνηκας,
νήσοις δ' ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι
ἵνα περ ποδώκης Ἀχιλεὺς
Τυδείδην τέ φασιν Διομήδεα.

9. Ἐν μύρτου κλαδὶ τὸ ξίφος φορήσω
ὥσπερ Ἁρμόδιος κ' Ἀριστογείτων,
ὅτ' Ἀθηναίης ἐν θυσίαις
ἄνδρα τύραννον Ἵππαρχον ἐκαινέτην.

10. Ἀεὶ σφῶν κλέος ἔσσεται κατ' αἶαν,
φίλταθ' Ἁρμόδιος κ' Ἀριστογείτων,
ὅτι τὸν τύραννον κτανέτην,
ἰσονόμους τ' Ἀθήνας ἐποιησάτην.

11. αἶ αἶ Λειψύδριον προδωσέταιρον
οἵους ἄνδρας ἀπώλεσας, μάχεσθαι
ἀγαθούς τε καὶ εὐπατρίδας,
οἳ τότ' ἔδειξαν οἵων πατέρων ἔσαν.

Ad horum scoliorum normam scripsit Aristophanes Ecl. 938.

εἴθ' ἐξῆν παρὰ τῇ νέᾳ καθεύδειν,
καὶ μηδὲν πρότερον διασποδῆσαι
ἀνάσιμον ἢ πρεσβύτερον·
οὐ γὰρ ἀνάσχετον τοῦτό γ' ἐλευθέρῳ.

Choriambus aliis quoque pedibus sæpenumero subjungitur; verbi gratia,

| | | |
|---|---|---|
| Iambo. | Soph. Aj. 605. | *χρόνῳ τρυχόμενος,* |
| | | *κακὰν ἐλπίδ' ἔχων* |
| | Eurip. Suppl. 962. | *δυσαίων δ' ὁ βίος.* |
| | Herc. F. 379. | *τεθρίππων δ' ἐπίβα* |
| | Electr. 440. | *-σιν εἱλισσόμενος* |
| Trochæo. | Eurip. Hippol. 535. | *οὔτε γὰρ πυρὸς οὔτ'* |
| | 550. | *τὰν μὲν Οἰχαλίᾳ* |
| Tribrachy. | Iph. Aul. 1060. | *παρὰ δὲ λευκοφαῆ* |
| Spondeo. | Soph. El. 472. | *εἰ μὴ 'γὼ παράφρων* |
| | Antig. 136. | *βακχεύων ἐπέπνει* |
| | 811. | *Ἅιδας ζῶσαν ἄγει* |
| | Eurip. Hec. 477. | *Εὐρώπας θεράπναν* |
| | Med. 976. | *καὶ μοῖραν θανάτου* |
| | Hel. 1500. | *οἰωνοὶ στολάδες* |
| | El. 162. | *οὐ μίτραις σε γυνὴ* |
| Cretico. | Eurip. Alc. 605. | *τὰν Μολοσσῶν τίθεται* |
| | Hel. 1360. | *ματρὸς ὀργὰς ἐνέπει* |
| | | *βᾶτε σεμναὶ Χάριτες* |
| Molosso. | Soph. Trach. 639. | *ἔνθ' Ἑλλάνων ἀγοραί* |
| | Eurip. Hec. 476. | *ἢ Τιτάνων γενεὰν* |
| | 639. | *λίσταν ὁ χρυσοφαὴς* |
| | Phœn. 212. | *Φοίβῳ δούλα μελάθρων* |
| | Iph. A. 763. | *ῥίπτειν ξανθοὺς πλοκάμους* |
| | 1058. | *ἐν κρατήρων γυάλοις* |
| | T. 432. | *συριζόντων κατὰ πρύμ-* |
| | 1107. | *δάφναν τ' εὐέρνεα καὶ* |
| | 1109. | *Λατοῦς ὠδῖνα φίλαν* |
| | Bacch. 869. | *θήραμ' ἔξω φυλακᾶς* |
| | Cycl. 45. | *καὶ ποιηρὰ βοτάνα* |
| | 70. | *ἂν θηρεύων πετόμαν* |
| | | *Βάκχαις σὺν λευκόποσιν* |
| | Ion. 114. | *ἃ τὰν Φοίβου θυμέλαν* |
| | 116. | *κήπων ἐξ ἀθανάτων* |
| | 1100. | *παίδων ἀμνημοσύναν* |
| | Herc. F. 648. | *τᾶς ἥβας ἀντιλαβεῖν* |

650. καλλίστα δ' ἐν πενίᾳ
677. καλλίσταν συζυγίαν
Helen. 1359. Ζεὺς μειλίσσων στυγίους
1363. Δηοῖ θυμωσαμένᾳ
1366. χαλκοῦ δ' αὐδὰν χθονίαν
1502. νίσσονται πρεσβυτάτᾳ

Bacchio. Soph. Ant. 809. λεύσσουσαν ἀελίου
Eurip. Hipp. 145. Δίκτυνναν ἀμπλακίαις
149. χέρσον θ' ὑπὲρ πελάγους
Iph. A. 1056. λέκτρων τρύφημα φίλον
T. 430. μέλπουσιν ἐγκύκλιοι
1106. φοίνικά θ' ἁβροκόμαν
Bacch. 879. ἢ χεῖρ' ὑπὲρ κορυφᾶς
Cycl. 64. Βάκχαι τε θυρσοφόροι
Helen. 1322. ματὴρ θεῶν ἐσύθη
1330. θηρῶν ὅτε ζυγίους
1381. νάρθηκας εἰς ἱεροὺς
1483. πέμποντες εὐλιμένους
1503. σύριγγι πειθόμεναι
1511. καρύξατ' ἀγγελίαν
Ion. 488. λάμπωσιν ἐν θαλάμοις
1103. δίνας χορευόμεναι
Herc. F. 790. Νύμφαι τὸν Ἡρακλέους

Amphibrachy. Eur. Iph. A. 208. τὸν ἁ Θέτις τέκε καὶ
556. χάρις πόθοι δ' ὅσιοι
772. Σιμουντίοις ὀχετοῖς
Ion. 112. ἄγ' ὦ νεηθαλὲς ὦ
1076. δόμων ἐφαπτομένῳ
Phœn. 172. βολαῖσιν ἀελίου

Antibacchio. Eurip. Or. 825. βεβάκχευται μανίαις
Iph. A. 584. δόμων ὃς τᾶς Ἑλένας
Bacch. 565. μάκαιρ' ὦ Πιερία
Ion. 465. ἀνειλείθυιαν ἐμὰν
505. παραυλίζουσα πέτρα
Helen. 1323. ἀν' ὑλάεντα νάπη

Pæon. 1. Eurip. Or. 1429. ἁ δὲ λίνον ἠλακάτα
4. Iph. A. 1061. ψάμαθον εἱλισσόμεναι

P. 112, 10. Eupolideus polyschematistus admittit 1. [1]trochæum, [2]spondeum, [3]tribrachyn, [4]iambum. 2. [5]trochæum, [6]spondeum. 3. [7]choriambum. 4. ut in primo, [8]trochæum, [9]spondeum, [10]tribrachyn, [11]iambum. 5. ut in secundo, [12]trochæum, [13]spondeum. 6. [14]dactylum vel [15]creticum.

| 1 | 2 | 3 | | 4 | 5 | 6 · |
|---|---|---|---|---|---|---|
| – ◡ | – ◡ | – ◡ ◡ – | ‖ | – ◡ | – ◡ | – ◡ ◡ |
| – – | – – | | ‖ | – – | – – | – ◡ – |
| ◡ ◡ ◡ | | | ‖ | ◡ ◡ ◡ | | |
| ◡ – | | | ‖ | ◡ – | | |

Aristoph. Nub. 531. 525. 539. 529. 549.

[1]ἐξέ|[5]θηκα | [7]παῖς δ' ἑτέρα ‖ [8]τις λα|[12]βοῦσ' ἀν|[14]είλετο,
[2]ἥττη|[6]θεὶς οὐκ | ἄξιος ὤν. ‖ [9]ταῦτ' οὖν | [13]ὑμῖν | [15]μέμφομαι.
[3]ἐρυθρὸν | ἐξ ἄ|κρου, παχὺ, τοῖς ‖ παιδί|οις ἵν' | ᾖ γέλως.
[4]ὁ σώ|φρων τε | χ'ω καταπύ‖γων ἄ|ριστ' ἤ|κουσάτην.
ὃς μέ|γιστον | ὄντα Κλέων ‖ [11]ἔπαισ' | εἰς τὴν | γαστέρα.

Sequentia hujus metri exempla mihi indicavit Porsonus. Astydamas Athenæi X. p. 411.

ἀλλ' ὥσπερ δειπνοῦ γλαφυροῦ ποικίλην εὐωχίαν
τὸν ποιητὴν δεῖ παρέχειν τοῖς θεαταῖς τὸν σοφὸν,
ἵν' ἀπίῃ τις τοῦτο φαγὼν, καὶ πιὼν, ὅπερ λαβὼν
χαίρει τις, καὶ σκευασία μὴ μί' ᾖ τῆς μουσικῆς.

Alexis ibid. p. 417 F.

—— νῦν δ' ἵνα μὴ παντελῶς Βοιώτιοι
φαίνησθ' εἶναι τοῖς διασύρειν ὑμᾶς εἰθισμένοις,
ὡς ἀνίκητοι[c] νῦν εἶναι βοᾶν καὶ πονεῖν μόνον,
καὶ δειπνεῖν ἐπιστάμενοι [10]διὰ τέλος τὴν νύχθ' ὅλην,
γυμνοῦθ' αὐτοὺς θᾶττον ἅπαντες——

Eupolis Δήμοις apud Harpocrat. v. ὀξυθύμια.

ὃν χρῆν ἔν τε ταῖς τριόδοις κἀν τοῖς ὀξυθυμίοις
προστρόπαιον τῆς πόλεως καίεσθαι τετριγότα.

Idem in Schol. Aristoph. Nub. 540. 542.

τοὺς ἱππέας
συνεποίησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην.

[c] In v. 3. Porsonus ad Aristoph. Nub. 518. reponit, ὡς ἀκίνητοι 'στε βοᾶν νυνὶ καὶ π. μ. Meineke ὡς ἀνίκητοί τε βοᾶν ἐστὲ κ. π. μ.

Aristoph. Ἀναγύρῳ apud Suid. v. Ἀπλήγιος.

ἐκ δὲ τῆς ἐμῆς χλανίδος τρεῖς ἀπληγίδας ποιῶν.

et in Παραλοῦμαι,

ἀλλὰ πάντας χρὴ παραλοῦσθαι καὶ τοὺς σπόγγους ἐᾶν.

Cratinus apud Schol. Eur. Hec. 821. a viris doctis sic emendatus:

Πανὶ κάδον δεῦρο βάστασόν τινα,
β'. πότερα χαλκοῦν ἢ ξύλινον; α'. καὶ χρυσοῦν ἐὰν προσῇ.
β'. οὐδαμῶς· ξύλινος δ' ἐκεῖνος [σοι. χαλκοῦς μοί ποτ' ἦν]
ἀλλὰ χαλκοῦς ὢν ἀπέδρα.

Aliud Cratini dedit Hermannus p. 380. ex Athenæo XV. p. 685 B.

παντοίοις γε μὴν κεφαλὴν ἀνθέμοις ἐρέπτομαι,
λειρίοις, [d]ῥόδοισι, κρίνοις, κοσμοσανδάλοις, ἴοις.
καὶ σισυμβρίοις, ἀνεμώνων [e]κάλυξί τ' ἠριναῖς,
ἑρπύλλῳ, κρόκοις, ὑακίνθοις, ἑλιχρύσου κλάδοις,
οἰνάνθῃσιν, ἡμεροκαλλεῖ τε τῷ φιλουμένῳ,
ἀνθρύσκου φόβῃ——
τῷ τ' ἀειφρούρῳ μελιλώτῳ κάρα πυκάζομαι,
[f]καὶ κύτισος αὐτόματος παρὰ Μέδοντος ἔρχεται.

Eodem metro quoque utitur Plato Comicus apud Suidam in v. Παράβασις, et Schol. Aristoph. Pac. 733.

Εἰ μὲν μὴ λίαν . . . . ἄνδρες, ἠναγκαζόμην
στρέψαι δεῦρ', οὐκ ἂν παρέβην εἰς λέξιν τοιάνδ' ἐπῶν.

Et forte in Schol. ad Pac. 948.

φέρε
τοῦτ' ἐμοὶ δεῖξον τὸ κανοῦν δεῦρο μὴ μάχαιρ' ἔνι.

Pherecrates Suidæ v. Ἀναψηφίσασθαι:

Κἀναψηφίσασθ' ἀποδοῦναι πάλιν τὰ χρυσία.

Idem v. Ἀγορᾶς ὥραν:

Πίνειν ἀεὶ καὶ μεθύειν, πρὶν ἀγορὰν πεπληθέναι.

Idem apud Athenæum III. p. 78 D.

ἦν δ' ἡμῶν σῦκόν τις ἴδῃ διὰ χρόνου νέον ποτε
τὠφθαλμὼ τούτῳ περιμάττομεν τὼ τῶν παιδίων.

Pherecrates Athenæi XIII. p. 612 A. in secunda sede anapæstum posuit, nisi locus corruptus est:

κᾆτα | μυροπω|λεῖν τί μαθόντ' ἄνδρ' ἐχρῆν καθήμενον

[d] ῥόδοις κρίνεσιν Porson. v. Athen. 681 B.
[e] κάλυξιν ἠριναῖς et mox ὑακίνθοισιν Porsonus.
[f] κἀμοὶ Porson.

ὑψηλῶς ὑπὸ σκιαδείῳ, κατεσκευασμένον
συνέδριον, τοῖς μειρακίοις ἵν' ἐλάλει δι' ἡμέρας;
—— αὐτίκ' οὐδεὶς οὔτε μαγείραιναν εἶδε πώποτε
οὔτε μὴν οὐδ' ἰχθυοπώλαιναν . . .

**Ceterum Porsonus, teste Dobræo in Aristophan. p. 21, existimabat hos versus e duobus commatiis constare, quorum alterum alteri esset catalecticum.**

## CAP. I.

### *De Poëmate.*

P. 114. Marius Victorinus p. 2500=74. *Poëmatum seu carminum species sunt tres: alia enim a Græcis* κατὰ στίχον, *alia* συστηματικὰ, *alia* μικτὰ *dicuntur, quæ etiam* ἀμετάβολα *et* μεταβολικά. *Igitur* κατὰ στίχον *sunt, quæ eodem metro constant, ut metrum epicum Homeri et Maronis nostri: vel quod ex trimetris et tetrametris continuis subsistit, aut colis aut commatibus ejusdem metri. Systematica autem quæ ex plurimis metris, neque ex uno versu aut eodem colo vel commate continentur, ut sunt* ἐπωδοὶ, *et quæ apud lyricos invenimus, quæ syzygiis gradiuntur. Mixta autem quæ partim sunt* κατὰ στίχον, *partim ex trimetro et tetrametro mixta, quamquam non in uno versu semper versus expleatur, ut in elegia vel epodis. Nam neque per se versus hexameter sine sequente pentametro elegiacum metrum implebit; neque in epodis singuli versus sine clausulis suis et adsequelis audiri poterunt* ἐπῳδοί. *Quæ similiter* κατὰ δίστιχον *fiunt, eadem ferme* ἀμετάβολα *et* μεταβολικὰ *erunt. Nam* ἀμετάβολα *dicta sunt, quod sui generis qualitatem mensuramque semper obtineant, ut sunt Homeri carmina, et ea quæ* κατὰ στίχον *appellari diximus:* Μεταβολικὰ *autem, quæ ab aliis metris ad alia genera transitum faciunt, qualia esse tragica et comica paulo ante memoravi. Nam et Menander in comœdiis frequenter a continuatis iambicis versibus ad trochaicos transit, et rursum ad iambicos redit. Hæc etiam in carminibus quæ mutuo adnexa ita ex se pendent, ut alterum sine altero audiri non possit,* προωδικὰ *et* (ἐπ)ωδικὰ *vocaverunt, id est* [g] *antecantativa et postcantativa, ut sit in hexametro*

[g] Legendum *antecantativa et cantativa* vel *postcantativa.* Et forte scriptum fuit προῳδικὰ, ᾠδικὰ et ἐπῳδικὰ, i. e. *antecantativa, cantativa, et postcantativa:* ut paullo post, προύμνια, ἐφύμνια, vel μεθύμνια. *Edit. Sanct.* Burettus Mem. Litt. T. X. p. 247. sic emendat: προῳδικὰ *et*

*προωδικὸν ipsum epos, et (ἐπ)ωδικὸν versus pentameter, qui ei subjungitur in elegiis. Item (ante) cantativum erit trimeter iambicus, ut*

Ibis Liburnis inter alta navium

*erit dimeter postcantativum*

Amice propugnacula.

*Et quæque alia qualia et metro scripta sequentes clausulas quorumlibet metrorum ad se trahunt, ita appellabuntur, quia proodicis versibus ἐπᾴδονται, id est, accinuntur.*

Gul. Canterus in Prolegomenis ad Euripidem: "Hanc tradidit poëmatum divisionem Hephæstio. Poëmata, inquit, "alia sunt κατὰ στίχον, alia Systematica, alia Mista, alia Communia. Κατὰ στίχον dicuntur, quæ uno eodemque constant "carminis genere, ut Ilias, ut Odyssea: nec tantum carminis, "sed etiam coli, vel commatis. Ut enim versus dicitur, qui "tres vel quatuor syzygias habet, ita colum duas tantum "habet, easque non plenas comma. Systematica dicuntur, "quæ vario carminum genere in unum congesta constant. "Est enim systema duorum vel plurium carminis generum "congeries, sive sint ea dissimilia, ut fere semper, sive etiam "similia, ut sunt Ausonii disticha, quæ hactenus Catoni vulgus adscripsit. Mista dicuntur, quæ partim κατὰ στίχον "sunt, partim systematica. Hujus generis tragœdiæ sunt, in "quibus iambi poësim κατὰ στίχον efficiunt, reliqua systematicam. Communia denique dicuntur, quæ et κατὰ στίχον "et systematica sunt. Hujus generis, quæ modo nominavi, "sunt Catonis disticha: nam et eodem carminis genere sunt "omnia, et bina cernuntur singula. Systematica porro sex "generum sunt: vel enim κατὰ σχέσιν sunt, vel ἀπολελυμένα, "vel μετρικὰ ἄτακτα, vel e similibus, vel mista systematica, vel "communia systematica. Κατὰ σχέσιν dicuntur, quæ inter se "respondent: atque hæc rursum sex generum sunt: vel "enim monostrophica sunt, vel epodica, vel κατὰ περικοπὴν "ἀνομοιομερῆ, vel antithetica, vel mista κατὰ σχέσιν, vel communia κατὰ σχέσιν. Monostrophica sunt, quæ una stropha "constant, qualia sunt Anacreontis et Alcæi carmina. Epo-

*ἐπῳδικὰ vocaverunt, id est* antecantativa *et* postcantativa, *ut sit in hexametro προῳδικὸν ipsum, et ἐπῳδικὸν versus pentameter, qui ei subjungitur in elegiis. Item* antecantativum *erit &c.*

" dica sunt, quæ similibus systematibus dissimile adjunctum " habent. Id si in fine ponatur, vocantur epodica, generis " nomine: si in principio, proodica: si in medio, mesodica. " Et epodica quidem sunt fere Pindarica omnia, ternario nu- " mero constantia. Veruntamen nihil prohibet etiam quinario " et septenario uti (nam quinarii exemplum est in Hecuba " chorus Σὺ μὲν ὦ πατρὶς Ἰλιάς, septenarii in Æschyli Aga- " memnone chorus, Διὸς πλαγὰν ἔχουσ' εἰπεῖν) proodica vero " nondum ulla reperi, nec vera mesodica. Κατὰ περικοπὴν " ἀνομοιομερῆ sunt, quæ post variorum systematum congeriem, " sive pericopam, aliam priori per totum respondentem sub- " junctam habent, sic ut in alterutra quidem congerie sint " inter se systemata dissimilia, verum utraque similibus con- " stent partibus. Talia sunt in Oreste Μυκηνίδες ὦ φίλαι. " Ponitur enim prior congeries primæ strophæ, primi syste- " matis, secundæ strophæ, secundi systematis, tertiæ strophæ, " tertii systematis, quod in Euripide tamen desideratur: se- " quitur posterior congeries antistrophæ primæ, antisystematis " primi, antistrophæ secundæ, antisystematis secundi, anti- " strophæ tertiæ, antisystematis tertii. Veruntamen hic ordo " nonnunquam confunditur. Ceterum hujus generis in Euri- " pide multa sunt, in Sophocle permulta, nulla in Æschylo. " Antithetica sunt, quæ in vario carminis genere, primum ul- " timo, secundum penultimo, ac reliquum similiter inter se " respondens habent: cujus generis est Ovum Simmiæ. Mista " κατὰ σχέσιν sunt, quæ partim epodica sunt, verba gratia, " partim monostrophica. Communia κατὰ σχέσιν sunt, quæ " hoc quidem modo disposita, verbi gratia, sunt epodica, illa " vero monostrophica.

"Nunc ad alteram speciem ut veniamus, ἀπολελυμένα di- " cuntur, quæ certum carminis genus nullum habent. Ea " rursum vel ἄστροφα sunt, vel ἀνομοιόστροφα, vel ἄτμητα. " Ἄστροφα sunt, quæ tam paucos versus habent, ut stropham " complere non posse videantur. Ἀνομοιόστροφα sunt, quæ " aliquibus interjectis interrumpuntur. Ea si duo sunt, vo- " cantur ἑτερόστροφα, si plura, ἀλλοιόστροφα. Hujus generis " illa sunt in Hecuba, Ἄπιστ' ἄπιστα, καινὰ καινὰ δέρκομαι: in " his enim strophæ quinque inter se dissimiles, interjectis " systematibus, cernuntur, quod quidem carminis genus solus

"de tragicis usurpat Euripides. Ἄτμητα sunt, quæ ut secari "posse videntur, ita nullum secandi dant ex se signum.

"Tertiam speciem constituunt μετρικὰ ἄτακτα, quæ nullam "habent inter se similitudinem, qualis fertur Homeri Mar-"gites fuisse, poëma perlepidum. Tales in Euripide sunt chori "duo, alter sub finem Iphigeniæ Tauricæ Εὔπαις ὁ Λατοῦς "γόνος, alter primus Herculis Furentis. Male enim his chorus "in Œdipo Colon. Sophoclis Ὅστις τοῦ πλέονος μέρους, et cho-"rus in Phœnissis Euripidis Τύριον οἶδμα λιποῦσ' ἔβαν, a gram-"maticis annumerantur, cum uterque sit nobis epodicus.

"Quarto loco sunt e similibus dicta, quæ pedum qui-"dem sunt eorundem, certum autem numerum non habent, "quales anapæsti sunt. Ea quoque vel ἀπεριόριστα sunt, vel "κατὰ περιορισμοὺς ἀνίσους. Et illa quidem sunt, quæ ad "finem usque sunt inter se similia: hæc autem, quibus ali-"quid nonnunquam brevius interjicitur. Horum exemplum "illustre præbet Hecubæ initium, quo loco ad chorum illa "verba facit. Sequuntur mista systematica, quæ partim "κατὰ σχέσιν sunt, verbi gratia, partim e similibus. Ultima "recensentur communia systematica, quæ hoc quidem modo "disposita, verbi gratia, sunt e similibus, illo autem κατὰ "σχέσιν. Atque hæc fere sunt, quæ de poëmatum et car-"minum generibus Hephæstio tradidit, obscure quidem ab "illo præscripta, verum a nobis exemplis illustrata."

## CAP. IV.

P. 118. κῶλον—κόμμα] Marius Victorinus p. 2497=71. *Colon est membrum quod finitis constat pedibus; Comma autem in quo vel pars pedis est. Erunt itaque Cola particulæ solutorum metrorum, ut,*

Arma virumque cano.

*Omnis autem versus,* κατὰ τὸ πλεῖστον, *in duo cola dividitur. Abusive autem etiam et comma dicitur colon. His quidam adjungunt Stichum, id est versum, sub hujusmodi differentia, ut sit versus qui excedit dimetrum, unde et hemistichium dicitur, colon autem et comma intra dimetrum. Erit itaque colon cum integræ fuerint syzygiæ: comma vero, cum imperfectæ.* Atilius Fortunat. p. 2689=338. *Colon est pars sive partes versus integris pedibus impletæ, ut,*

Defecisse videt sua;

*habet enim tres pedes integros. Comma pars versus sive partes imperfectæ, ut,*

Arma virumque cano.

*Habet enim duos integros pedes et dimidium. Et colon dictum quasi a corpore abscissum integrum membrum: comma vero quasi trunca pars membri a corpore amputata.*

## CAP. VII.

P. 122, 4. *οἱ νόμοι οἱ κιθαρῳδικοὶ Τιμοθέου*] Operæ pretium est exscribere Aristotelis Problem. XIX. 15. quem locum indicavit Schottus ad Proclum p. 349, 12. *Διὰ τί οἱ μὲν νόμοι οὐκ ἐν ἀντιστρόφοις ἐποιοῦντο, αἱ δὲ ἄλλαι ᾠδαὶ αἱ χορικαί; Ἢ ὅτι οἱ μὲν νόμοι ἀγωνιστῶν ἦσαν, ὧν ἤδη μιμεῖσθαι δυναμένων καὶ διατείνεσθαι ἡ ᾠδὴ ἐγίνετο μακρὰ καὶ πολυειδής; Καθάπερ οὖν καὶ τὰ ῥήματα, καὶ τὰ μέλη τῇ μιμήσει ἠκολούθει ἀεὶ ἕτερα γινόμενα. Μᾶλλον γὰρ τῷ μέλει ἀνάγκη μιμεῖσθαι ἢ τοῖς ῥήμασιν. Διὸ καὶ οἱ διθύραμβοι, ἐπειδὴ μιμητικοὶ ἐγένοντο, οὐκέτι ἔχουσιν ἀντιστρόφους, πρότερον δὲ εἶχον. Αἴτιον δὲ ὅτι τὸ παλαιὸν οἱ ἐλεύθεροι ἐχόρευον αὐτοί· πολλοὺς οὖν ἀγωνιστικῶς ᾄδειν χαλεπὸν ἦν, ὥστε ἐναρμόνια μέλη ἐνῇδον. Μεταβάλλειν γὰρ πολλὰς μεταβολὰς τῷ ἑνὶ ῥᾷον ἢ τοῖς πολλοῖς, καὶ τῷ ἀγωνιστῇ ἢ τοῖς τὸ ἦθος φυλάττουσιν. Διὸ ἁπλούστερα ἐποίουν αὐτοῖς τὰ μέλη. Ἡ δὲ ἀντίστροφος ἁπλοῦν· ἀριθμὸς γάρ ἐστι καὶ ἑνὶ μετρεῖται. Τὸ δὲ αὐτὸ αἴτιον καὶ διότι τὰ μὲν ἀπὸ τῆς σκηνῆς οὐκ ἀντίστροφα, τὰ δὲ τοῦ χοροῦ ἀντίστροφα· ὁ μὲν γὰρ ὑποκριτὴς ἀγωνιστὴς καὶ μιμητής, ὁ δὲ χορὸς ἧττον μιμεῖται.*

P. 122, 7. *Σιμωνίδου*] Libet h. l. adjicere aliud Simonidis epigramma quod legitur in Anthol. Pal. XIII. 14. cum hoc lemmate, *ἐπὶ ἑξαμέτρῳ πεντάμετρον καὶ δύο τρίμετροι εἶτα ἑξάμετρον.*

*Ἀργεῖος Δάνδης σταδιοδρόμος ἐνθάδε κεῖται*
*νίκαις ἱππόβοτον πατρίδ' ἐπευκλείσας,*
*Ὀλυμπίᾳ δις ἐν δὲ Πυθῶνι τρία*
*δύω δ' ἐν Ἰσθμοῖ πεντεκαίδεκα Νεμέᾳ*
*τὰς δ' ἄλλας νίκας οὐκ εὐμαρές ἐστ' ἀριθμῆσαι.*

P. 123, 1. *Μαργίτης*] Marius Victorinus p. 2524 = 106. *Hexametro dactylico trimeter iambicus comparatur, quem Latine* senarium *nominamus, veluti hexametron, sex enim pedes iambos habet,*

*ut ille dactylos, cum uterque purus ex se figuratur. Trimetrus autem appellatur a Græcis, quia tribus percussionibus per dipodias cæditur. Ideoque dicitur et Homerus in Margite suo miscuisse hos versus tanquam pares.* Idem p. 2572=169. *Hoc genere versuum, ut supra diximus, primus usus est Homerus in Margite suo, nec tamen totum carmen ita digestum perfecit, nam duobus pluribusve hexametris antepositis istum subjiciens copulavit, quod postea Archilochus limatius interpolando composuit.* Atilius Fortunatianus p. 2692=342. *Sequitur ut de iambico dicere debeamus, cujus auctorem alii Archilochum, alii Hipponactem volunt. Sed primus Homerus hoc usus est in Margite,*

Ἦλθέ τις εἰς Κολοφῶνα γέρων καὶ θεῖος ἀοιδὸς
Μουσάων θεράπων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
φίλης ἔχων ἐν χερσὶν εὔφθογγον λύραν.

Veterum loca, quibus citatur Margites, collegit Tyrwhittus in nota ad Aristot. Poët. sect. vii. et in indice, pleraque tamen post Valesium ad notas Maussaci in Harpocrat. v. Μαργίτης. Adde Fabricii Bibl. Gr. T. I. p. 383. ed. Harles. Müller *Hist. of Literature of Ancient Greece* c. XI. s. 4. p. 131.

## CAP. VIII.

P. 125. Ἐπῳδικὰ] Pro diversa epodi collocatione choricis carminibus diversa nomina imposuere grammatici. Ex sequenti schemate nostri mens uno intuitu statim perspicietur.

| | |
|---|---|
| *Epodica.* | *Palinodica.* |
| Stropha. | Stropha. |
| Antistropha. | Epodus. |
| Epodus. | Epodus. |
| — | Antistropha. |
| *Proodica.* | — |
| Epodus. | *Periodica.* |
| Stropha. | Epodus, 1. |
| Antistropha. | Stropha. |
| — | Antistropha. |
| *Mesodica.* | Epodus, 2. |
| Stropha. | |
| Epodus. | |
| Antistropha. | |

Tzetzes p. 67.

Προῳδικὰ δὲ μάνθανε ὅταν προτάττων πάλιν
ἀνόμοιον τὸν ἐπῳδὸν τὰ ὅμοια ἐπάξῃς.
ὅταν δὲ περιέχωσι τὰ ὅμοια τὸ μέσον
καὶ μέσα τὰ ἀνόμοια τετάχαται, τοτ' ἴσθι
μεσῳδικὴν ὑπάρχουσαν τὴν ᾀσματογραφίαν.
ὅρα τὰ παλινῳδικά, οὑμενοῦν ἐν τριάσιν,
ἐν οἷς τὰ περιέχοντα ἔσθ' ὅμοια ἀλλήλοις,
ἀνόμοια τυγχάνοντα τοῖς περιεχομένοις,
λέγω στροφὴν ἀντίστροφον, αὐτὰ γὰρ περιέχει·
ἐν τούτοις δύο ἐπῳδοὺς ὁμοίους λάμβανέ μοι,
ἃ καὶ τοῖς περιέχουσιν ἀνόμοια τυγχάνει
ὄντα περιεχόμενα στροφῇ καὶ ἀντιστρόφῳ,
ὥστε στροφὴν καὶ ἐπῳδὸν καὶ ἐπῳδὸν τυγχάνειν,
ἔκ τοτε καὶ ἀντίστροφον ἅπαν τὸ ᾆσμα τοῦτο.
ὅρα τὰ περιοδικὰ καὶ ταῦτα ἐν τετράδι,
ἐν οἷς τὰ περιέχοντα οἱ ἐπῳδοὶ οἱ δύο
ἀνόμοια καὶ ἑαυτοῖς καὶ περιεχομένοις,
ὅμοια τὰ περιεχόμενα στροφῇ σὺν ἀντιστρόφῳ,
ἃ καὶ τοῖς περιέχουσιν ἀνόμοια τελέθει.

Deinceps agetur de stropha, antistropha, et epodo verbis Marii Victorini p. 2501 = 76. *Pleraque lyricorum carminum, quæ versu colisve et commatibus componuntur, ex strophe et antistrophe et epodo, ut Græci appellant, ordinata subsistunt, quorum ratio talis est. Antiqui deorum laudes carminibus comprehensas circum aras eorum euntes canebant, cujus primum ambitum, quem ingrediebantur a parte dextra,* στροφὴν *vocabant, reversionem autem sinistrorsum factam, completo priore orbe,* ἀντιστροφὴν *appellabant: dein in conspectu deorum soliti consistere, cantici reliqua consequebantur, appellantes id* ἐπῳδόν. *Nam epodus est tertia pars aut periodus lyricæ odes. Igitur quæ post* στροφὴν *et* ἀντιστροφὴν, ἐπῳδὸν *dicebant:* ἐπᾴδειν *quidem est* supercanere. *Hinc sumptum vocabulum in has epodos, quæ binos versus impares habent: nam ut illæ canticum finiebant, sic hæ sensum versu insequenti. Hoc quia e tribus subsistit, appellatur* τριάς. *Ita ut omnis et* στροφὴ *et* ἀντιστροφὴ *et* ἐπῳδὸς *totidem habeant syllabas in proxima periodo, quæ subjicitur priori, ut sit aut* ἰσόμετρος *aut* ἰσόχρονος *quolibet metro seu rhythmo subsistens. Nam sicut dextra manus impares habet di-*

*gitos, sed horum pares sunt sinistræ manus, si conferas digitis,* [h]*sic et strophes cola, cum sint dissimilia in proxima epodo subjectæ triados. Observabis autem, ut temporibus, non syllabis, pedes dividas; ut solvantur duæ longæ in quattuor, et disyllabo pede pro tetrasyllabo utaris, parique vice quattuor syllabarum brevium tempora in duo contrahantur, quod per necessitatem fieri licet, ut aut divisæ numero respondeant, aut conjunctæ temporum spatiis occurrant, quod et in ceteris metris generali præcepto servabimus. Inter hæc sunt quædam carmina quæ monostropha appellantur, quod duas periodos et eas pares habeant, neque epodo, ut alia, concludantur. Præterea reperitur nonnunquam hujusmodi compositio versuum in carminibus, non ut prima compositio secundæ compositioni, sicut in* στροφῇ *et* ἀντιστροφῇ, *respondeat, sed ut prima tertiæ, secunda quartæ similis habeatur; quæ compositio* κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ *dicitur: est enim* περικοπὴ *carmen subsistens ex strophe, et antistropho, et epodo,* [i]*vel bis, vel ter, vel sæpius carmen concludatur ** μονοπερίκοπον *nominatur. Si vero dissimilia inter se in epodis cola jungantur,* πολυπερίκοπον *nuncupatur, quando non solemni continuatione, sed per distantiam et varietatem in epodis periodi compleantur, id est, tres partes, eas e quibus* περικοπὴ *subsistit, quæ* ἀνομοιομερῆ *merito diximus, id est dissimilium partium copulatione periodi conclusio, si quidem inducta prima strophe et antistropho, rursus aliam strophen et antistrophon præcedentibus dissimilem afferant, et rursus tertiam, nihil duabus præeuntibus similem, et quartam æque a ceteris discrepantem: cui varietati solent illud adjungere, ut postrema epodos cunctis dissimilis aliquando jungatur, quod non tantum tragici, sed et lyrici auctores in epodis sæpe fecerunt. Hoc loco non supersederim dicere esse brevia cola, quæ post strophen et antistrophon supercini moris est, quæ jam non* ἐπῳδοὶ, *sed* ἐφύμνια *dicentur, ut est* ἰὴ παιάν. *Hæc enim vel hymnis vel dithyrambis supercini moris est, quæ de epodicis carminibus, si quando præponuntur,* προΰμνια, *si autem post antistrophon collocentur,* μεθύμνια *nuncupabuntur. Hoc genus in sacris cantilenæ ferunt quidam instituisse Theseum, qui occiso*

[h] Locus mendosus: sensus autem est, ad strophen et antistrophen et epodon, quarum unaquæque dissimilia metra complectatur, respondere tamen proximæ periodi strophen, antistrophen, et epodon, et paritatem efficere vel metri, vel temporum, quod in Pindaricis odis manifestum est. CAMERARIUS.

[i] Forte legendum *si vel bis* &c. *Edit. Sanct.*

*Minotauro cum apud Delum solveret vota, imitatus intortum et flexuosum iter labyrinthi, cum pueris virginibusque, cum quis evaserat, cantus edebat, primo in circaitu, dehinc in recursu, id est στροφῇ et antistropho. Alii tradunt hoc sacrorum concentu* [k]*mundi cantum cursumque ab hominibus imitari. Namque in hoc quinque stellæ quas erraticas vocant, sed et sol et luna, ut doctiores tradunt philosophorum, jucundissimos edunt sonos per orbes suos nitentes. Igitur concentum mundi cursumque imitans chorus canebat: dextrorsumque primo tripudiando ibat (quia cælum dextrorsum ab ortu ad occasum volvitur) dehinc sinistrorsum redibat, quandoquidem sol lunaque et cetera erratica sidera, quæ Græci πλανήτας vocant, sinistrorsum ab occasu ad ortum feruntur. Tertio consistebant canentes, quia terra (circa quam cælum rotatur) immobilis medio stat mundo.*

## CAP. XII.

P. 133, 2. Ἐπῳδοί] Epodorum, ut par est credere, inventor extitit Archilochus. Marius Victorinus p. 2588 = 193. *Archilochum ferunt, quem parentem artis musicæ juxta multiformem metrorum seriem diversamque progeniem omnis ætas canit, acceptum ab his, qui ante se inspexerant, summatimque tractaverant, dactylicum, quod est omnium caput ac principium, per adjectiones detractionesque vertisse. E quo primum iambicum metrum per detractionem unius temporis formavit, adæque hexametrum, qui per dipodias trimeter efficitur, dehinc ab his duobus exorsus multa metrorum genera variaque produxit. Namque ab iambico trochaicum, a dactylico anapæsticum prodidit, mutata per translationem, ut in utroque, longa syllaba. Rursus per incisionem singulorum atque conjunctionem pleraque metrorum genera commentus est. Jamque iambico trimetro detracta parte tertia, id est dipodia, dimetrum iambicum edidit, sic,*

Beatus ille, qui procul negotiis,

*dehinc*

Ut prisca gens mortalium.

Vide Terentianum v. 2439 seqq.

[k] Tzetzes Crameri p. 66.

*τὸ ᾆσμα τὸ ἐπῳδικὸν μίμησιν ἔχει κόσμου·*
*στροφὴ κινήσεως παντὸς εὐτάκτως κινουμένου·*
*τῆς τῶν πλανήτων πάλιν δὲ ἀντίστροφος πορείας·*
*τὴν ἠρεμίαν ἐπῳδὸς τῆς γῆς καθυπογράφει,*
*ὅθεν τῷ τότε ἤδετο τῶν χορευτῶν στηκόντων κ. τ. λ.*

Egregium Archilochi fragmentum hoc metro conscriptum legitur apud Stobæum Ecl. Phys. I. 3, 34. Clement. Alex. Strom. V. p. 725, 10. Euseb. Præp. Evang. XIII. 13. p. 687.

Ὦ Ζεῦ, πάτερ Ζεῦ, σὸν μὲν οὐρανοῦ κράτος,
σὺ δ' ἔργ' ἐπ' ἀνθρώπων ὁρᾷς
λεωργὰ κἀθέμιστα, σοὶ δὲ θηρίων
ὕβρις τε καὶ δικὴ μέλει.

N. B. In marg. ed. Canter. lemma appingitur Αἰσχυλ. sed μὴ addit codex Farnesianus. Archilocho diserte tribuit Clemens. V. 1. Sic Grotius. ὦ Ζεῦ π. ζεὺς μὲν οὐρανοῦ κ. Cant. πάτερ Ζεῦ omittit Clemens. V. 2. Sic Cant. σὺ δ' ἔργα ἐπ' οὐρανοὺς ὁρᾷς Clemens. ἐπ' ἀνθρώπους ῥεῖς Euseb. σὺ δ' ἔργ' ἐπ' οὐρανίων καὶ ἀνθρώπων ὁρᾷς Grot. V. 3. Sic Grotius. λεοργὰ κἀθέμιτας· οἱ δὲ θηρίων Cant. καὶ ἃ θέμις Clemens, sed κἀθέμιστα Euseb.

Photius, Κύψαι· ἀντὶ τοῦ ἀπάγξασθαι. 'Αρχίλοχος·
κύψαντες ὕβριν ἀθρόην ἀπέφλοσαν.

Idem, Λέως ἐστι τελέως· 'Αρχίλοχος·
λέως γὰρ οὐδὲν ἐφρόνεον.

Quæ duo loca ex eodem carmine provenire, in ultimo corrigendum esse ἐφρόνευν, me docuit Porsonus.

Pergit Marius Victorinus: *Similiter a dactylico eadem parte dempta, id est duobus retractis pedibus, tetrametrum de hexametro versum protulit; ut,*

Cantabunt mihi Damœtas et Lyctius Ægon.

*Dehinc,*

Damœtas et Lyctius Ægon.

Vide Hephæst. VII. 4. p. 42. Marium Victorinum p. 2562 = 156. Tertiam speciem illustravimus breviter ad XV. 9. p. 189. Dimeter iambicus heroico hexametro subnectitur versibus quos rectissime Archilocho assignat J. Douza fil. ad Propert. II. xxxiv. 60. apud Stobæum Gesneri p. 399, 24. p. 263. Grot.

δύστηνος ἔγκειμαι πόθῳ
ἄψυχος, χαλεπῇσι θεῶν ὀδύνῃσιν ἕκητι
πεπαρμένος δι' ὀστέων.

Vide Horatii Epod. XIV. XV. Dactylica penthemimeris trimetro iambico postponitur in Archilochi loco apud Ammonium v. αἶνος.

ἐρέω τιν' ὑμῖν αἶνον, ὦ Κηρυκίδη.
ἀχνυμένη σκυτάλη.
πίθηκος ᾔει θηρίων ἀποκριθεὶς
μοῦνος ἀν' ἐσχατίην,
τῷ δ' ἄρ' ἀλώπηξ κερδαλῆ συνήντετο
πυκνὸν ἔχουσα νόον.

Eadem trimetro iambico præmittitur in fragmento ap. Plutarch. T. I. p. 905 E.

τῇ μὲν ὕδωρ ἐφόρει
δολοφρονέουσα χειρὶ, θητέρῃ δὲ πῦρ.

Post hexametrum heroicum Horatius Epod. XVI. posuit senarium iambicum, ad Archilochi proculdubio exemplar: hujus metri specimen dabit perelegans in Cratinum Epigramma, sed auctoris incerti;

Οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ·
ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις·
ταῦτ' ἔλεγεν, Διόνυσε, καὶ ἔπνεεν, οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ὠδοδὼς πίθου.
τοιγάρτοι στεφάνων δόμος ἔβρυεν, εἶχε δὲ κιττῷ
μέτωπον, οἷα καὶ σὺ, κεκροκωμένον.

Vide Bentleium ad Horat. Epist. I. 19. 10. Brunck. Analect. I. p. 255. II. p. 62. Anthol. Pal. XIII. 29.

Trimetro iambico subjicitur logaœdicus dactylicus in Phædimi Epigrammate Anthol. Pal. XIII. 22.

τόξον μὲν, ᾧ Γίγαντος ὤλεσας σθένος
ἴσχε βίης, ἑκάεργ' ἀνάσσων.

Vide sequentia l. l.

Iambico tetrametro catalectico subjicitur iambicus trimeter catalecticus ibid. 23. in epigrammate Asclepiadis:

Ἰὼ παρέρπων, μικρὸν, εἴ τι καὶ κονεῖς, ἄκουσον
τὰ Βότρυος περισσὰ δῆτα κήδη κ. τ. λ.

Sed, ut verbis Marii Victorini finem faciam, *Adeo fœcundus varietate carminum, et singularis artificii in excogitandis novis metris hic auctor est, ut et cæteris vatibus imitationis suæ in componendis metris observantiam parem studiosa æmulatione præstiterit. Nam plerique sequentis ævi his informati metrorum figurationibus, et quibusdam viis auctore Archilocho, varias nu-*

*merorum species et ipsi commenti posteris tradiderunt, unde innumerabilis incomprehensibilisque venit in manus copia.* Conferatur etiam Plutarchus de Musica T. II. p. 1140 F.

P. 134. Παράβασις] Magna in parabaseos usu varietas reperitur. Aliæ enim comœdiæ nullam habent, ut Ecclesiazusæ et Plutus: aliæ duæ, ut Nubes, Equites, Pax. Nec semper integra parabasis est. Integræ exempla sunt in Nubibus a v. 510. in Equit. a v. 498. in Avibus a v. 676. in Vespis a v. 1009: in Acharn. a v. 627. Tres priores partes, κομμάτιον, παράβασις, μακρὸν, desunt in Ran. 674. Eq. 1264. Pac. 1127. Quæ in Thesmoph. a v. 785. est parabasis tres tantum partes habet, παράβασιν, μακρὸν, ἐπίρρημα. Quæ in Pace a v. 729. quinque, κομμάτιον, παράβασιν, μακρὸν, στροφὴν, ἀντίστροφον. Quæ in Nubibus a v. 1115. unam tantum, παράβασιν. Sæpe vero aliæ partes comœdiarum, eæque interdum longissimæ, similem ut parabases conformationem habent, respondentibus sibi singulis partibus. Ita in Avibus a v. 451. primo stropha est, deinde ἐπίρρημα ex LXIII. anapæsticis tetrametris, tum systema ex dimetris anapæsticis, quasi μακρὸν, etsi longius illud quam quod uno spiritu pronuntiari possit: inde eodem ordine a v. 539. totidem versibus antistropha, ἀντεπίρρημα, et par priori systema dimetrorum anapæsticorum. In Lysistrata autem 614—635. trochaici sunt tetrametri, quibus mediis stropha admixta est, et v. 636—657. totidem trochaici cum antistropha. Hos alia stropha aliique trochaici, ipsi quoque stropham aliam in medio habentes, excipiunt v. 658—681, quibus totidem pares versus 682—705. respondent. HERMAN. Epit. s. 659—661.

---

## *Longini Prolegom.* p. 144. *de Rhythmo.*

Marius Victorinus p. 2484=53. *Rhythmus est pedum temporumque junctura velox divisa in arsi et thesi: vel, tempus quo syllabas metimur Latine numerus dicitur: ut Virgilius*,

Numeros memini si verba tenerem.

*Differt autem rhythmus a metro, quod metrum in verbis, rhythmus in modulatione ac motu corporis sit: et quod metrum pedum sit quædam compositio, rhythmus autem temporum inter se ordo*

*quidam; et quod metrum certo numero syllabarum vel pedum finitum sit, rhythmus autem nunquam numero circumscribatur: nam, ut volet, protrahit tempora, ita ut breve tempus plerumque longum efficiat, longum contrahat. Unde et rhythmus, id est a ῥύσει et fluore quodam, nuncupatur.*

Atilius Fortunat. p. 2689=337. *Inter metrum et rhythmum hoc interest, quod metrum circa divisionem pedum versatur, rhythmus circa sonum, quod etiam metron sine psalmate prolatum proprietatem suam servat, rhythmus autem nunquam sine psalmate valebit. Est etiam rhythmus et in corporali motu: cum enim histrio indecenter signum aliquod expressit arythmos dicimus, decenter eurythmos.*

Maximus Victorinus p. 1955. *Metrum est rei cujusque mensura, Metrum vero poëticum est versificandi disciplina, certa syllabarum ac temporum ratione in pedibus observata. Inde autem sic dictum est, quod veluti mensuram quandam præstituat, a qua si plus minusve erit, pes sive versus minime constabit; cui rhythmus est consimilis, qui sic definitur: Est verborum modulatio et compositio, non metrica ratione, sed numeri sanctione ad judicium aurium examinata; veluti sunt cantica poëtarum vulgarium. Ergo is in metro non est, nec potest ullo pacto inesse, sed hoc distat a metro, quia rhythmus sine metro esse potest, sine rhythmo metrum non potest, quod liquidius ita definitur: Metrum est ratio cum modulatione: Rhythmus sine ratione. Plerumque tamen casu quodam invenias etiam rationem metricam in rhythmo, non artificii ratione observata, sed tono et ipsa modulatione ducente.*

His consimilia tradit Beda p. 2380. Nonnulla congessit Spanhemius ad Aristoph. Nub. 638. 651. Salmasii commentatio ad Flavii Vopisci Aurelian. c. 6. p. 350, quam statim subjicio, digna est quæ attente legatur:

" *Mille, mille, mille*] Verba hujus ballistii vel saltatiunculæ " in veros trochaicos redegerunt correctores. Quo labore " facile poterant supersedere: nec enim eorum operam ad " hanc rem requirebamus. In duobus id prioribus tantum " versibus præstitit Bonus Accursius Pisanus, qui primam " editionem accuravit, in reliquis postea idem præstiterunt " sequentes correctores, ut imperfectum opus a Pisano illo " relictum ipsi absolverent. Sed quanto satius est eam sal-

" tatiunculam, ita ut est in membranis expressa, heic appo-
" nere? sic igitur se habet:

*Mille, mille, mille decollavimus,*
*Unus homo mille decollavimus,*
*Mille vivat, quid mille occidit.*
*Tantum vini habet nemo*
*Quantum fudit sanguinis.*

" Sequentem etiam cantilenam ita conceptam in membranis
" videre est:

*Mille Sarmatas, mille Francos*
*Semel et semel occidimus.*
*Mille Persas quærimus.*

" De verbis ipsis nihil detraximus, nec ad ea quidquam addi-
" dimus. Versus ita collocavimus, ut nobis collocari debere
" visi sunt, qui exploratum habemus ballistea et saltatiunculas
" et cantilenas ejusmodi vulgares minoribus istis versiculis ut
" plurimum componi solitas a trivialibus illius temporis poëtis,
" quibus etiam moris erat integros trochaicos tetrametros
" catalecticos per medium scindere, et dividuos sic facere ut
" alternis versiculis currerent, et prior quidem haberet pedes
" quattuor, posterior tres cum syllaba: quo genere multos
" hymnos composuere poëtæ Christiani. Talis est hymnus
" omnis horæ a Prudentio compositus:

*Da puer plectrum choreis*
*Ut canam fidelibus.*
*Dulce carmen et melodum,*
*Gesta Christi insignia.*

" Item iste in honorem sanctorum martyrum Hemetierii et
" Cheledonii apud eundem Prudentium:

*Scripta sunt cælo duorum*
*Martyrum vocabula,*
*Aureis quæ Christus illic*
*Annotavit litteris.*

" Quattuor hi postremi versiculi bini sunt trochaici tetra-
" metri catalectici, quos vetus aliquis poëta non divisim, sed
" uno tenore sic integros scripsisset:

*Scripta sunt cælo duorum Martyrum vocabula,*
*Aureis quæ Christus illic annotavit litteris.*

" Sic igitur tunc temporis solebant id genus metri in duas

"partes dividere. Beda de metris: *Metrum trochaicum* "*tetrametrum, quod a poëtis Græcis et Latinis frequentissime* "*ponitur, recipit locis omnibus trochæum, spondæum omnibus* "*præter tertium. Currit autem alternis versiculis, ita ut prior* "*habeat pedes quattuor, posterior pedes tres et syllabam. Hujus* "*exemplum totus est hymnus ille pulcherrimus:*

*Hymnum dicat turba fratrum,*
*Hymnum cantus personet.*
*Christo regi concinentes,*
*Laudes demus debitas.*

"Ad hanc faciem factæ et istæ in Aurelianum cantilenæ: ut "hæc:

*Mille vivat, qui mille occidit.*
*Tantum vini habet nemo*
*Quantum fudit sanguinis.*

"Item illa altera de eodem composita:

*Mille Sarmatas, mille Francos,*
*Mille Persas quærimus.*

"Nec impedimento est quod una syllaba redundet in priore "versiculo. Nam in modulanda cantilena et pedibus percu-"tienda sic pronuntiatur illud alterum *mille*, quasi monosyl-"labum esset, hoc modo:

*Mil' vivat, qui mille occidit.*

"Et,

*Mil' Sarmatas, mille Francos.*

"Sciendum autem est vulgares illos ac de trivio poëtas, si "poëtæ vocandi sunt, in componendis hujuscemodi canticis et "saltatiunculis et hymnis legis metricæ nullum penitus ha-"buisse respectum, sed solius modulationis, et numerosæ "compositionis verborum, quæ ita ad aures accidit, ut formam "videatur habere veri legitimique metri. Beda: *Videtur* "*rhythmus metris esse consimilis, qui est verborum modulata* "*compositio, non metrica ratione sed numero syllabarum ad* "*judicium aurium examinata, ut sunt carmina vulgarium* "*poëtarum.* Omnis structura et copulatio vocum, aut rhyth-"mus est, aut metrum. Rhythmus spatio temporum constat, "metrum etiam ordine. In rhythmo quantitas tantum, in "metro qualitas etiam cum quantitate observatur. Parvi "pendit rhythmicus, dum sibi constet temporum ratio, quo

" pedes ordine collocet: metricus non satis est securus, nisi " et rationem ordinis servet. Rhythmico indifferens est dac- " tylus et anapæstus, iambus et trochæus: sunt enim *ταυ-* " *τόσημοι* hi pedes. Metricus vero non auderet anapæstum " locare ubi dactylus exigitur, nec in sede trochæi iambum " ponere, quamvis uterque pes sit *ἰσόχρονος*, eamdemque " quantitatem habeat. Rhythmus solum tempus metitur, " atque alium pro alio pedem facile admittit, modo ejusdem " sit temporis: quod metrorum ratio non recipit, quæ nec " spondæum quidem aut dactylum alterum pro altero usurpat, " licet temporum spatio æquales sint. Longe major igitur " licentia fuit in lyricis cantionibusque musicorumque can- " ticis quam in metris. Ideo lyricos veteres *numeris lege* " *solutis ferri* dixit Horatius. Solutiore tamen pede ambula- " runt plebeii illi poëtæ de quibus heic loquimur: immo " nulla prorsus lege teneri se passi sunt. Nec enim ulla " syllabis tempora assignarunt, nec brevium longarumque " differentiam agnoverunt, sed omnes indiscretim longas et " breves fecerunt. Genus igitur quoddam medium est inter " metricos et rhythmicos, ita ab utrisque distans ut magis " videatur accedere ad rhythmicos solo licentiæ nomine, quam " imperitia non ratione affectarunt, si ulla in imperitia affec- " tatio est. Numerum sane syllabarum et pedum satis anxie " custodiebant. Nec enim plus pedum aut syllabarum reperies " in vulgarium istorum versificatorum trochaico, quam in ve- " tusto et ad legem facto. Quod veteres rhythmici magnopere " negligebant, quibus in usu et more fuit duas plerumque " syllabas breves loco unius longæ ponere: quia idem esset " temporis spatium in duabus brevibus et in una longa. Ob- " tinuit tamen ut rhythmus talium poëtarum compositio " diceretur, et ipsi rhythmici vocarentur. Nam rhythmi pro- " prium est breve tempus plerumque longum efficere, et " longum contrahere: Metrum vero non potest breve tempus " protrahere, nec longum corripere. Græci: Τὸ *μέτρον πεπη-* " *γότας ἔχει τοὺς χρόνους, μακρὸν καὶ βραχὺν καὶ κοινόν· ὁ δὲ* " *ῥυθμὸς ὡς βούλεται ἕλκει τοὺς χρόνους.* Πολλάκις *δὲ καὶ τὸν* " *βραχὺν χρόνον ποιεῖ μακρόν.* Ergo rhythmici merito dicti " habitique qui syllabas, quibus temporum spatia comprehen- " duntur, ex libidine sua modo corriperent, modo producerent,

" omnesque indifferentes haberent, et nullo discrimine bre-
" vium longarumque eas in carminibus suis ponerent. Metrum
" non potest esse sine rhythmo, rhythmus facile subsistit sine
" metro. Metrum omne etiam rhythmum habet: Rhythmus
" autem etiam illis potest inesse quæ metrica ratione facta
" non sunt. Talia erant vulgarium poëtarum carmina de
" quibus nobis sermo: nam rhythmum modis finitum qualis
" in metris conspicitur præ se ferebant, cum metricam ratio-
" nem nullam ostenderent. Exemplo quod dicimus faciamus
" illustrius. Hic versus in puerili cantilena de Aureliano,

*Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis,*

" rhythmum trochaici metri habet, contra legem tamen ac
" rationem metri factus est: sed cum totidem syllabis constet
" quot legitimum metrum, rhythmus eadem illis temporum
" spatia accommodat, quæ requiruntur in legitimo metro.
" Beda metrum et rhythmum sic distinguit, ut *metrum sit ratio*
" *cum modulatione, rhythmus modulatio sine ratione.* Carmen
" igitur secundum metri legem compositum et rhythmum
" habet et rationem: quod extra legem vero factum est,
" rhythmum quidem habet, sed caret ratione. Hinc de re ad-
" modum incondita et absurda solemus dicere, eam nec rhyth-
" mum nec rationem in se habere: quod in rusticas et incom-
" positas cantiones proprie convenit, quæ nec rhythmis nec
" metris subsistunt. Carmina tamen ista quæ per trochaici
" metri rhythmum et exiguntur, et parem syllabarum nume-
" rum sortiuntur, non prorsus rationis metricæ expertia Bedæ
" videntur, qui de his ita scribit: *Plerumque tamen casu quodam*
" *invenies etiam rationem in rhythmo non artificii moderatione*
" *servatam, sed sono et ipsa modulatione ducente, quem vulgares*
" *poëtæ necesse est rustice, docti faciant docte: quomodo ad in-*
" *star iambici metri factus est hymnus ille præclarus:*

*Rex æterne domine,*
*Rerum creator omnium.*
*Qui eras ante sæcula*
*Semper cum patre filius.*

" *Et alii Ambrosiani non pauci. Item ad formam metri tro-*
" *chaici canunt hymnum de die in diem per alphabetum:*

*Apparebit repentina*
*Dies magna Domini,*

*In obscura velut nocte*
*Improvisos occupans.*

" Quattuor isti postremi versiculi binos trochaicos constituunt " alternis versibus currentes, rhythmicos quidem illos, sed " quod mensuram trochaici metri non excedant, nec pluribus " syllabis constent, rationem propterea etiam in his inveniri " putat Beda: nam sic ἰσόμετροι quodammodo probantur esse " legitimis trochaicis. Ἰσόχρονοι porro ut sint, præstat rhyth- " mus qui de longis breves, de brevibus longas syllabas efficit, " et iisdem temporum spatiis eas instruit quæ in perfecto et " absoluto metro requirunt leges. Atque hæc sunt carmina " in quibus inveniri etiam rationem tradit Beda, quæque a " doctis docte fieri dicit, ut a rusticis et vulgaribus, rustice et " indocte. Ut in hac ipsa cantilena quam in manibus habe- " mus, versus hic ad trochaici metri formam plane probeque " factus est,

*Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis.*

" Nam mensuram trochaici, totidem syllabis, totidemque " pedibus, justam et commodam servat. Rhythmice igitur et " metrice quodammodo concinnatus est. In altera vero salta- " tiuncula de eodem Aureliano composita versus isti rhythmici " tantum sunt, non etiam metrici :

*Mille Sarmatas, mille Francos*
*Semel et semel occidimus.*
*Mille Persas quærimus.*

" Nam in his verborum modulata quædam et numerosa copu- " latio ad aures accidit, non metrica ratione, sed solo sylla- " barum ad imaginem rhythmi trochaici fluentium decursu " subsistentia, et ad judicium plebeiarum aurium examinata. " Ad hanc enim faciem vulgus saltatiunculas et cantica sua " componebat, gestusque et motus corporis, qui tali modula- " tioni cantus convenirent, illis adjungebat, æque scilicet in- " compositos et inconditos ut erant rhythmi numerique quos " desaltabant. In quibus componendis, cum nullam teneret " legem metricam, nec adeo propter imperitiam tenere quiret, " interdum tamen, sono ipso et modulatione quasi manu du- " cente, casu potius quam ratione ad metrorum quamdam " similitudinem delabebatur. Atque ut trochaicum metrum " saltationibus et cantionibus erat valde accommodum, unde

" et pes τροχαῖος et χορεῖος dicebatur; sic vulgi quoque captui " ob id maxime congruum et familiare, qui naturali animi " motu ad saltandum tripudiandumque et varios gestus cor- " pore edendos ferri solet. Hinc joci militum qui a tripudian- " tibus exultantibusque in triumphantes duces jactabantur, " isto metro ut plurimum concipi moris fuit. Exemplum habes " apud Suetonium lib. I. in illis:

*Urbani servate uxores, mæchum calvum adducimus.*

" Vulgaria quoque dicteria quæ populus ipse in aliquem jocu- " lariter jactitata canebat, modulis trochaicis decurrebant. " Vetus interpres Juvenalis de Sarmento: *Eo fiduciæ venit ut* " *pro equite Romano gereret, decuriam quoque quæstoriam com-* " *pararet. Quare per ludos quibus primum in quattuordecim* " *ordinibus sedit, hæc a populo in eum dicta sunt:*

*Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud populus voluerat.*
*Digna digni. Sic Sarmentus habeat crassas compedes.*
*Rustici ne nil agatis, aliquis Sarmentum alliget.*

" Cantilenæ saltatiunculæ omnes vulgares hoc metro consta- " bant, vel rhythmis ad hujus metri imaginem commodulatis. " Talia sunt ballistia quæ a pueris illius temporis in Aurelia- " num facta et saltata heic apud Vopiscum legimus. Hinc " factum denique ut Græca poësis vulgaris numeris trochaicis " tota constaret, et Latina etiam magna ex parte. Nam " politici versus recentium Græcorum mensuram metri tro- " chaici tetrametri numero syllabarum adæquant, a rhythmis " trochaicis incedunt. Trochaicus igitur ille vulgaris ex " hymno quem supra citabamus,

*Apparebit repentina magna dies Domini:*

" et hic politicus versus,

Τοῦ βουκεφάλου σύμπασαν ἔχεις τὴν ἱστορίαν·

" similes sunt. Hodierna quoque Gallica poësis tota rhyth- " mica est, certo syllabarum ad rhythmum copulatarum libero " scribentis arbitrio currens: nec enim proprie pedum dimen- " sione graditur. Sed rhythmum male vocamus in nostra " poësi syllabarum ad finem cujusque versus in eumdem " sonum recidentium κατάληξιν. Sic finem rhythmi rhythmum " καταχρηστικῶς appellamus, de quo nos alibi. Rhythmum in " cantione veteres vocarunt, quam nos hodie vulgo, *æram*

"*cantionis* dicimus, Rhythmus enim Latine numerus dicitur.
"Virgilius:

*——numeros memini, si verba tenerem.*

"Canticum dividitur secundum Plotinum εἰς τοὺς ῥυθμοὺς καὶ
"τὰ ᾀδόμενα, in numeros et verba. Idem Virgilius *in numerum*
"*ludere* dixit, quod Servius interpretatur, *ad rhythmum saltare*
"*et cantilenæ modum. Æra* autem idem quod numerus. Nam
"recentiores æras pro numeris vel numerorum notis dixerunt,
"quæ veteribus *æra* dicebantur. Lucillius:

*Hæc est ratio, perversa æra, subducta summa improbe?*

"Ita enim legendum cum interrogationis nota. An hoc vocas
"rationem, perversos calculos et summam improbe subduc-
"tam? hinc *hæc æra æræ*, pro numero, vel numeri nota, vel
"calculo apud recentiores. Nonius: *æra numeri nota.* Sic
"æras breviores Sextus Rufus dixit: *ac morem sequutus calcu-*
"*lonum qui ingentes summas æris brevioribus exprimunt, res*
"*gestas signabo, non eloquar.* Inde nos *æram cantionis*, pro
"numero, vel rhythmo cantionis vocamus, *et æras* pro cantio-
"nibus eodem plane modo quo et Latini numeros pro canticis
"ipsis vel carminibus usurparunt."

---

## *De Arsi et Thesi.*

Marius Victorinus p. 2482=50. *Arsis et thesis, quas Græci dicunt, id est sublatio et positio, significant pedis motum: est enim arsis sublatio pedis sine sono, thesis positio pedis cum sono. Item, arsis est elatio temporis, soni, vocis: thesis, depositio et quædam contractio syllabarum. Nam in pyrrhichio tollitur altera brevis, altera ponitur: in spondeo quoque vicissim longa tollitur ac ponitur syllaba. Trochæo autem et iambo contraria inter se ratio est: alterius enim prius longa tollitur, dehinc brevis ponitur: alterius secundum suam legem sicut supra dicti ordinis immutatur. In dactylo vero tollitur una longa, ponuntur duæ breves: in anapæsto contra, sicut in trochæo et iambo ostendimus. Etenim in simplicibus pedibus arsis ac thesis aut simplici aut duplici aut sesquipli ratione taxatur: et in simplo quidem erunt pyrrhichius, spondeus, dactylus, anapæstus: horum enim par est sublationi positio, cum tantundem*

*moræ in duarum brevium positione, quantum in unius longæ sublatione habeatur: in duplo autem, iambus, trochæus, tribrachys, molossus: horum enim duplex sublatio, simplex positio est; vel contra. Nam modo sublatio dimidio plus habet, modo positio. At in sescuplo pedes quattuor, bacchius, palimbacchius, amphibrachus, creticus. Et in cretico nunc sublatio longam et brevem occupat, positio longam: vel contra, positio longam et brevem, sublatio unam longam, prout syllaba se obtulerit, id fiet. In bacchiis etiam hæc divisio est. Nam bacchius a brevi incipiens in sublatione semper brevem et longam retinet, in positione longam: palimbacchius autem, in sublatione longam et brevem, ne in quadruplum ratio temporum protendatur, si duæ longæ adversus unam brevem copulentur, qua ratione sescupli et pæones continebuntur. Molossi ratio æque duplex: nam idem valent duo contra quattuor, sicut quattuor adversum duo, ut modo sublatio unam longam habeat, positio duas: nunc positio unam, sublatio duas longas. Amphibrachys, in quo duæ breves, media longa est, in arsi tria, in thesi unum tempus accipiet: rursusque arsis unum, thesis tria sibimet vindicabit, non dupli seu sescupli, ut in reliquis, ratione diducta, quippe cum tribus temporibus unum, et contra unum tribus insequentibus repugnare videantur, unde minus aptus pes in metris, musicis autem consentaneus æstimatur. Nam licet minor temporum spatio sit, respondet tamen imagini hippiorum, quos epitritos vocamus, qui sunt heptachroni, id est e prima brevi et tribus longis: neque enim syllabarum numero sed ratione temporum arsis thesisque pensatur.*

Priscianus de Accent. p. 1289. *In unaquaque parte orationis arsis et thesis sunt, non in ordines yllabarum, sed in pronuntiatione, velut in hac parte,* natura: *ut quando dico* natu, *elevatur vox,' et est arsis in* tu: *quando vero* ra, *deprimitur vox, et est thesis. Et* tu *quantum suspenditur per arsim, tantum deprimitur per thesim. Sed ipsa vox quæ per dictiones formatur, donec accentus perficiatur, in arsim deputatur, quæ autem post accentum sequitur, in thesim.* Martianus Capella De Nupt. Philol. XI. p. 328. ed. Grotii. *Cujus* (pedis sc.) *partes duæ sunt, arsis est thesis. Arsis est elevatio, thesis depositio vocis ac remissio.*

Bacchius Senior p. 24. ἄρσιν ποίαν λέγομεν εἶναι ὅταν μετέωρος ᾖ ὁ πούς ἡνίκα ἂν μέλλωμεν ἐμβαίνειν, θέσιν δὲ ποίαν ὅταν κείμενος.

## *Schol.* cap. V. p. 175. *De Epiploce.*

Marius Victorinus p. 2506 = 83. *Nunc de metrorum connexionibus, quas* epiplocas *Græci appellant, dicemus. Adjectione enim et detractione per syllabas et tempora iis accidentia metra variantur. Dicta autem epiploce, id est amplexio, a metricis, eo quod copulari metra metris diversa his adjectionibus, vel detractionibus, aut etiam translationibus videantur. Harum species sunt tres, quarum prima trisemos, secunda tetrasemos, tertia hexasemos dicitur, ex eo quod e tribus, et quattuor, et sex temporibus subsistant, quæ, detractis ab initio versus primis syllabis, diversa metrorum genera informant. Quarum prima erit ἐπιπλοκὴ δυαδικὴ τρίσημος, id est, cum iambicis trochaica connexa variantur in species duas, utrasque trisemas, ut diximus, temporum trium: in conjugatione vero sunt ἑξάσημοι, id est, temporum sex. Nam iambico versui, ut est,*

Paratus omne Cæsaris periculum,

*si adjeceris longam, efficies trochaicum, ut,*

O paratus omne Cæsaris periculum.

*Rursus, trochaico si detrahas primam syllabam, iambicum efficies, velut est,*

Celer phaselus ille quem videtis.

*aut cum dactylicis anapæstica sociantur, similiter ἐπιπλοκὴν δυαδικὴν τετράσημον faciunt, ut,*

Arma virumque cano.

*Huic si accesserint duæ breves, fiet anaspæsticus, ut,*

Ades arma virumque cano.

*Rursus adjecta longa fiet dactylicus, ut,*

Proh! ades arma virumque cano.

*Quod adæque ut supra per duas species variatum est dactylici et anapæstici, et ideo δυαδικὴ, id est, duarum amplexio, tetrasemos autem propter quattuor tempora, quibus uterque pes extenditur, appellatur, qui in conjugationem copulati octasemi fiunt. Observabis autem in hac specie semper duas breves aut adjicere aut detrahere longam unam, quia est uterque pes trisyllabos. Tertia ἐπιπλοκὴ est in ionicis duobus, et choriambo, et antispasto, quæ τετραδικὴ hexasemos dicitur, id est, amplexio quadra, quattuor*

*enim pedes sibi mutuo connectuntur. Temporibus autem sex constat. Nam cum sit hic versus ionici minoris,*

Dea fecit dea belli dominatrix Phrygas,

*adjecta longa fit choriambicon, ut,*

Cur dea fecit dea belli dominatrix Phrygas.

*Rursus, adjecta alia longa efficiet ionicum majorem, sic,*

Hoc cur dea fecit dea belli dominatrix Phrygas.

*Item adjectio brevis quartam speciem in pede antispasto procreabit, ita,*

Et hoc cur dea fecit dea belli dominatrix Phrygas.

*Adæque et hic versus apud Horatium,*

Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci.

*constat ex ionico minore; huic si copulaveris longam, erit choriambicum,*

Quam miserarum est neque amori dare ludum neque dulci.

*Item longa alia apposita facit ionicum majorem, ut,*

O quam miserarum est neque amori dare ludum neque dulci.

*Brevis autem prælata antispastum informabit, sic,*

Et o quam miserarum est neque amori dare ludum neque dulci.

*Ad summam, omnis ἐπιπλοκὴ propriis pedibus nulla intermixtione aliorum subsistens suis usque ad ultimum pedibus terminabitur: sin autem alios admiserit, variabitur. Nam familiare est utrisque ionicis trochaicas sibi bases admiscere. Ergo sincerum μονοειδὲς, mixtum autem ὁμοειδὲς vocabitur.*

P. 184. *οἶκος—κουκούλιον*] Forma et artificium carminum hujusmodi melius intelligentur proposito specimine ex Sophronii Anacreonticis apud Maium in Spicilegio T. IV. p. 66 seqq.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΧΡΙΣΤΟΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΗΜΩΝ ΒΑΠΤΙΣΙΝ.

Ἀπὸ τῆς φίλης ἐρήμου
ἀπ' Ἰορδάνου τε θείου
ἅμα Προδρόμῳ Θεοῖο
ἅγιον μέλος βοήσω.
Βίον ἄγλαον διώκων
ὁ μέγας Θεοῦ προφήτης,
βρέφος ἔνθεον φαάνθη
τρέχον ἐς κλυτὰς ἐρήμους.

Γονέων γὰρ ἦν δικαίων
ἱεροῖς νόμοις βιούντων,
διὸ πνεύματος Θεοῖο
ἀπὸ νηδύος γεμίσθη·
Διὰ τοῦτο φεῦγεν οἶνον
σικέρων τε πόσιν (f. πῶμα) πάντων
ἅμα φιλτάταις ἐδωδαῖς
ἑτέροις βροτοῖς ἐούσαις.
Ζαχαρίου μεγάλου πάγκλυτε κοῦρε
χείλεσιν ὑμνοπόλοις ἄρχεο μύθων.
γόνε πανσόφου προφήτου
ἱερεῦ Θεοῦ προφῆτα,
ἐπέων σοφῶν ὕπαρχου.
Ἔχε δὲ τροφὴν ἀρίστην
ἀπόνως ἀεὶ παροῦσαν·
ἀκρίδες πέλεν τὸ βρῶμα
μελεαγρίου τε ῥίζαι. (sic ! !)
Ζάθεον φέρεν χιτῶνα
ζακότων τρίχας καμήλων,
ἐπὶ ὀσφύος δὲ μίτρην
ἀπὸ δερμάτων κοπεῖσαν.
Θεόθεν προῆλθε κήρυξ
προθέων γένους Θεοῖο,
ὁ πατὴρ γὰρ τοῦτον ὦρσεν
πάϊν ὄφρα πᾶσι δείξῃ.
Φωτογόνου τελετῆς ἄρτι φανείσης
φωτοφόροις κιθάραις μέλψομεν ὕμνους,
τελετῆς κλυτῆς φανείσης
κιθάρας κλυτὰς λαβόντες
ἱεροὺς λέγοιμεν ὕμνους.
Ἱερὸν βροτοῖσι λύτρον
ἐπὶ γῆς ἄγων ἐπέστη,
λύχνος ἐμφανῶς φαάνθη
Θεὸν εὐσεβῶς πιφαύσκων.
Κατὰ γὰρ χθόνα κρατίστην
κρατερῶς δίδασκε πάντα,
τότε καὶ γόνους Ἰούδα
ῥοθίοις καθαίρειν (sic) ἦρτο.
Λαλέων λεῷ παρόντι

*λέγεν εὐθέτους πορείας*
*μαλὰ δὴ τάχιστα τεῦξαι*
*νοερῶς Θεῷ μολόντι.*
*Μέγα κῦδος ἔνθεν ἦρεν*
*παρὰ τοῖς βλέπουσι πᾶσι,*
*διὸ Χριστὸν αὐτὸν εἶναι*
*ἐδόκει λεὼς Ἑβραίων.*
*Νάμασι θειοδόχοις λούσατο σῶμα*
*πιστοτάτων μερόπων πᾶσα γενέθλη.*
*Ῥοθίοις Θεῶν λαβοῦσι*
*μερόπων φιλευσεβούντων*
*τὸ γένος κάθαιρε σῶμα.*
*Νοέων δὲ ταῦτα κήρυξ*
*φάτο τῷ λεῷ, τίς ὔμμιν*
*τέκνα δυστόκων ἐχιδνῶν*
*προφυγεῖν ἔδειξε μῆνιν;*
*Ξένον αὐτὸς οὐδὲν ἔρδω*
*ὅπερ οὐ γράφεν προφήτης·*
*ἐμὲ γὰρ προσεῖπεν αὐδὴν*
*ἐν ἐρημίῃ βοῶσαν.*
*Ὅθεν ὑμέας προβαίνων*
*ῥοθίοις ἔγωγε νίζω,*
*ταχέως δέ τοι προλάμψοι*
*ὁ κρατῶν ἐμοῖο ῥώμῃ.*
*Παρὰ τοὺς πόδας δὲ τούτου*
*θεϊκοὺς ἔγωγε νεύσας*
*ἀπορῶ κλυτῶν πεδίλων*
*παλάμῃ λύειν ἱμάντα.*
*Ἀνδρομέης γενεῆς λύματα ῥύπων*
*ὕδασι Χριστὸς ἄναξ λούσατο σῶμα.*
*Γενεῆς ῥύπον καθαίρων*
*χθονίων φανεὶς ὁ Χριστὸς*
*ῥοθίοις ἔβαψε σῶμα.*
*Ῥοθίοις ξένοισιν οὗτος*
*μόνος ὑμέας κάθαιρε,*
*νοερόν τι πῦρ προχεύων*
*ἀπὸ πνεύματος ῥεέθρων.*
*Στεγανὸν πτύον κομίζων*
*ἰδίην ἅλω καθαίρει,*

συνάγων δὲ σῖτον οἴκοι
ἀχύρων γένος φλογίζει.
Τότε Χριστὸς αὐτὸς ἦλθε
πρὸς ἑὸν μέγαν προφήτην,
ἵνα μιν τάχιστα βάψῃ
ἐν Ἰορδάνου ῥεέθροις.
Ὑπέφευγε δ' ὁ προφήτης
τόδε δρᾶν· ἔγωγε, φάσκων,
ῥοθίων τεῶν χατίζω,
σὺ δ' ἄναξ τί πρός με βαίνεις;
Μερόπων ἀμπλακίας οἶδμα καθαίρει
ῥοθίων ἁγνοτάτων κάρτος ἀείδω.
μερόπων τὸ νᾶμα κλύζει
κακίας, ῥόου πανάγνου
σθένος εὐκλεὲς βοήσω.
Φαέθων δὲ Χριστὸς εἶπεν,
ἄφες ἄρτι τοῦτο ῥέξαι,
ὅτι μοι προσῆκεν οὕτω
τελέσαι τρόπον δικαίου.
Χέρα δεξιὴν προτείνει
ἐν Ἰορδάνῃ προφήτης,
τρομέων δ' ἄνακτα βάψεν
τὸν ὅλων κάθαρσιν ὄντα.
Ψόφος ἦν πατρὸς βοῶντος,
Ἐμός ἐστι κοῦρος οὗτος·
τὸ δὲ πνεῦμα προσκατέπτη
ἐπὶ Χριστὸν ὡς πελείη.
Εἷς θεὸς ἐν τριάδι προὔπτον ἐδείχθη,
τοῦτον ἐν εὐσεβίῃ τίετε πάντες.
Θεὸς εἷς τριὰς φαάνθη,
ὁ πατήρ, πάϊς, τὸ πνεῦμα
μόνον αὐτὸν εὐσεβοῦμεν.

Notandum est hoc in carmine *οἴκους* esse viginti et duo, sive strophas e versibus quatuor Anacreonticis constantes, et a litteris alphabeti secundum earum seriem incipientes, *κουκούλια* autem sex, sive strophas e versibus quinque constantes, quorum duo priores ionici sunt cum choriambis in principio præter vv. 97, 98, tres posteriores Anacreontici.

# APPENDIX.

I.—H. L. AHRENS DE CRASI ET APHÆRESI *ed. Stolbergæ Hercynicæ* 1845. 4°.

II.—EX PRÆFATIONE R. PORSONI AD EURIPIDIS HECUBAM.

III.—P. ELMSLEY'S REVIEW OF PORSON'S HECUBA. From the EDINBURGH REVIEW 1811. n. XXXVII. pp. 64–95.

# HENRICUS LUDOLPHUS AHRENS

## DE CRASI ET APHÆRESI.

---

### *De Crasi.*

CRASIS fit, quum vocalis vocem claudens cum sequentis vocis vocali initiali in unam syllabam conjungitur. Quæ definitio quod simul elisionem comprehenderet, si F. A. Wolfius recte judicasset, de hac pauca quædam dicenda sunt. Elisione seu thlipsi vocalem finalem ante sequentis vocabuli vocalem initialem tolli vulgo tradunt. Qua definitione si res satis recte describeretur, jam ea litera, quæ vocalem elisam proxime antecedit, clauderet vocem. Quid vero, quod tum voces elisionem passæ haud raro exirent in eos sonos, quos aut quodvis os aut Græcum quidem in exitu vocabulorum pronuntiare nequeat, ut *ἔσθλ'*, *σέμν'*, *νύκτ'*, *πεῖθ'*? Deinde *ἄλγε' ἔθηκεν*, *ἀντί' ἐμεῖο* et similia novam hiatus offensionem haberent, quam non inesse constat. Obstat etiam notissima illa narratio de Hegelocho histrione (Scholl. Eurip. Orest. 269. all.), qui *ἐπιλείψαντος τοῦ πνεύματος οὐ φθάσας διελεῖν τὴν συναλοιφὴν* Euripideum *γαλήν' ὁρῶ* corrupit in *γαλῆν ὁρῶ*; quem apparet eo ipso peccasse, quod vocem in *ν* terminaverit. Postremo hæc *συναλοιφῆς* appellatio, qua Græci paullo antiquiores elisionem comprehendunt, ut etiam Cicero Orat. §. 150. de vocalium conjunctione, Quinctilianus IX. 4, 36. de coëuntibus vocalibus locutus est, elisionis aliam naturam esse significat. Itaque Wolfius Anall. I. p. 440. existimavit, elisione vocalem ita tolli, ut simul e vocabulis quasi fiat unum h. e. unum qua pronuntiationem syllabatim factam idque non sub uno comprehensum accentu; quod præceptum illustravit exemplis *πάν–θ' ὁρᾶν*, *θί–ν' ἐ–φ' ἁλός*, *σέ–μν' ἵ–ν' ἥκει* appositis. Ægre intellexeris, quomodo v. g. in *πάν–θ' ὁρᾶν* litera *θ* qua accentum ad priorem vocem, qua pronuntiationem syllabatim factam ad alteram

pertinere possit. Quid vero quod elisio fit etiam ante interpunctionem vel gravissimam, in exitu versuum et stropharum, denique inter duarum personarum verba? In versu Homerico Od. μ'. 439.

ὄψ'· ἦμος δ' ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη

nulla arte in media syllaba Wolfiana ψ' ἦ pausam haud exiguam fieri posse facile apparet; quare ista doctrina potius p. 2
hanc interpunctionis rationem postulat: ὀ· ψ' ἦμος. Nec defuerunt, qui apud Pindarum Ol. III. vs. 26. Wolfii præcepto convenienter stropham terminarent in ὥρμαι—et antistropham inciperent ν' Ἰστρίαν, jure illi a Boeckhio de Metr. Pind. p. 318. propter tantam perversitatem castigati. Postremo quis crediderit apud Euripidem Orest. 1344.

ΕΡΜ. σώθηθ' ὅσον γε τοὐπ' ἐμ'. ΗΛ. ὦ κατὰ στέγας

Hermionen proloqui τοὐπ' ἐ— et Electram pergere μ' ὦ κατὰ στέγας et insuper literam μ qua accentum Hermionæ esse, qua syllabam Electræ. Scilicet Wolfius non reputaverat, syllabam plurium literarum scriptam quidem in varias partes distrahi posse, non posse pronuntiatam.

Quum igitur certum sit, elisione facta literam antecedentem neque vocabulum claudere neque arcte cum sequente vocabulo jungi, sequitur elisione, quam dicunt, vocalem non prorsus deleri, sed deminui, ita ut exigua quædam ejus pars relinquatur, quæ neque accentum ferre valeat neque moræ vices sustinere, ut in rhythmo pro nihilo habenda sit. Vocalis ita deminutæ naturam optime intelliges, si Francogallorum e mutum comparaveris, ut in *malade*, quæ vox nisi in rudi peregrinorum pronuntiatione neque plene trisyllaba est neque vere disyllaba. Ea comparatio non solum eorum dubitationem propellere potest, qui apostrophum ne post consonas quidem audiri posse existimarunt, vid. Bekkeri Recens. Homer. p. 131, sed etiam ipsius Bekkeri affirmationem, post vocales quidem apostrophum nunquam ulli humanæ auri auditum esse. Auditur enim mutum illud e etiam post vocales ut in *l'amie*, *j'avoue*, nisi pronuntiatio parum sit elegans; apostrophus autem aptissimum est signum vocalis ita deminutæ, ut pæne solus spiritus relictus sit. Jam intelligitur Græcos ἔσθλ' ἀγορεύων pronuntiare potuisse, quod literæ σθλ vocem non clauserint: in ἄλγε' ἔθηκεν inter utrumque ε hiatus offensionem

fuisse nullam, quippe quæ non concurrerint; Hegelochum *γαλῆν* pronuntiasse pro *γαλήν'*, quod spiritu deficiente vocalem deminutam proferre non valuerit; interpunctionem, pausam metricam, personæ mutationem post apostrophum bene ferri posse, quod elisione nec syllabæ nec voces coalescant. Solæ appellationes *συναλοιφὴ* et conjunctio vocalium ad elisionem adhibitæ obscuriores manent, quas aptissime ab antiquis assumptas esse ut compertum habemus, ita nunc spatio prohibente exponere prætermittimus. Concedimus autem haud gravatim, deminutionem illam vocalium in concitatiore pronuntiatione leviorum potissimum vocularum non longe abfuisse a vera expulsione, ut Epicharmus ap. Athen. VIII. p. 338 d. in *γέρανος* et *γ' ἔρανος* ludens utriusque sonum simillimum fuisse docet. Neque tamen dubitamus, quin Græci *ἀπ' ὀρῶν* et *ἀπορῶν* atque adeo *ἐπέδησε* ab *ἐπιδέω* et *ἐπέδησε* a *πεδάω* pronuntiando discreverint. Ceterum Lobeckii dissertationem de apostropho non contigit nobis ut videremus.

Ut redeamus ad crasin, non necesse erat ut hoc definitioni adjiceretur, vocales per crasin æque ac per contractionem semper in productam syllabam coalescere. Sponte enim patet, etiam singularum morarum syllabas duas conjunctas unam syllabam duarum morarum efficere[a]. Neque attinebat distinguere inter eas vocalium conjunctiones, quæ ipsa scriptura oculis proponuntur, et eas, quæ legentium oribus permittuntur, quod genus alii synizesis, alii synecphonesis nomine appellant. Nam utrumque crasis genus pariter legibus, quas propositari sumus, obnoxium est. Hoc enim quærere constituimus, quæ voces per crasin coire possint. Satis quidem p. 3
constat Græcos crasi abstinuisse, ubicunque hiatus brevem vocalem elidendo vitari posset[b], quum diphthongi, quæ elisio-

[a] Recentiorum quorundam Græculorum mirum commentum, quod olim ipsi Hermanno placuit Doctr. Metr. p. 55, iota dativi non elidi, sed synizesi sive crasi cum sequente vocali coalescere idque adeo in syllabam brevem ut in Homerico *ὄρνιθι Ὀδυσεύς*, hodie explosum est. vid. Lehrsii Quæstt. Epicc. p. 47 seqq. Fraudi fuerant antiqua *συναλοιφῆς* appellatio et iota in elisione scriptum. Novum argumentum contra eam synizesis fictionem, si quo opus est, idque gravissimum sequens disputatio suppeditabit.

[b] *Ἔδοξἀμαυτῷ* Arist. Vesp. 1265, quo crasis exemplo Wolfius I. i. p. 445 et Buttmannus Gramm. I. p. 116 sine vitii suspicione usi sunt, jampridem secundum librorum auctoritatem in *ἔδοξ' ἐμαυτῷ* mutatum erat. Aliud ejus generis exemplum Walzius edidit in Demetrio de Eloc. II. 70. Rhett. IX. p. 35: *πολλὰ δὲ*

nem tolerant, aliquoties etiam crasi afficiantur ut in Aristophaneis *δηξομᾰρα, οἰμωξετᾰρα* vid. infr. Neque vero quævis voces in vocalem elisionis minus patientem exeuntes cum quibusvis vocibus sequentibus coalescere possunt. Intellectum est, id quod in promptu erat, alias voces facilius et sæpius, alias difficilius et rarius crasis participes fieri; quibus vero ea res legibus teneatur, prorsus latuit, quanquam ipsa crasis notione duce facili opera inveniuntur. Quum enim crasi duorum vocabulorum vocales in unam syllabam coëant, primum apparet non posse eas voces per crasin coire, quæ interpunctione aut pausa metrica (nedum personarum mutatione) disseptæ sint, quoniam in media aliqua syllaba nulla pausa vel orationis vel rhythmi esse potest Nihilominus homines doctissimi ad hodiernum usque diem interpunctione crasin impediri parum intellexerunt, in Homerico *ἀσβέστῳ· οὐδ' υἱόν* Il. ρ'. 89. et similibus incisionis signo picto contenti et, quid viva oris pronuntiatio possit quidve non possit, parum solliciti. Deinde una syllaba non potest nisi uni accentui parere, unde necessario colligitur, ipsas voces per crasin copulatas communi accentu regi. Nam v. g. in *τὐχἀγαθῇ* (ita scribunt) syllaba *χα* neque ad solum prioris vocis accentum pertinere potest, ut pronuntiandum sit *τύχα γαθῇ,* neque ad solum alterius *τύ χαγαθῇ*, quare *τυχἀγαθῇ* uno accentu pronuntiari existimato, sicuti recte vulgo scribunt *ὁθούνεκα* (e *ὅτου ἕνεκα*), non *ὅθούνεκα* et *ὁσημέραι* (e *ὅσαι ἡμέραι*), non *ὅσημέραι.* Neque aliter esse in synizesi ut *ἐπεὶ οὐδὲ* apparet quærenti, quid os pronuntiare, quid aures audire potuerint. Itaque hanc summam legem constitui oportet:

Crasi non possunt conjungi nisi quæ voces facile sub unum accentum comprehenduntur.

qua regula etiam illas synizeses pausam transsilientes prohiberi facile apparet. Legitima vero crasis exempla circumspectantibus primum se offerunt voculæ aut nullo accentu proprio aut leviore instructæ, quas intelligis vel cum sequen-

*καὶ ἄλλα ἐν συναλοιφῇ μὲν λεγόμενα δύσφωνα ἦν, διαιρεθέντα δὲ καὶ συγκρουσθέντα εὐφωνότερα ὡς τὸ, πάντα μὲν τὰ νέα καὶ καλά ἐστιν. εἰ δὲ συναλείψας εἴποις καλά 'στιν, δυσφωνότερον ἔσται τὸ λεγόμενον καὶ εὐτελέστερον.* Libri et priores editiones etiam altero loco *καλά ἐστιν* præbent; *καλά 'στιν* conjecerat Victorius synalœphæ appellatione deceptus. Lege *κάλ' ἐστίν.*

tibus vel cum antecedentibus vocabulis facile sub unius accentus imperium coire. Deinde constat in omnibus linguis passim fieri ut etiam gravioris accentus vocabula quotidiano usu juncta unam vocem uni accentui parentem efficiant; itaque etiam in talibus crasis legitima haberi potest.

A. Cum sequente voce crasin patiuntur hæ voculæ: articulus, relativum, ὧ, ὦ, καί, μή, ἤ, ἦ, δή, πρό, ἐγώ, μοι, σοι. Exemplorum quantum satis est, præbent grammaticæ Matth. p. 121 seqq., Thiersch. p. 219., Buttm. I. p. 114 seqq., quibus addo hæc rariora crasis in vocula ὦ factæ: Eurip. El. 113. 128 ὦ‿ἔμβα, Arist. Eccl. 970 ὦ‿ἱκετεύω. Plerasque earum vocularum aut procliticas aut procliticarum similes esse, ut proprio accentu, si quem habent, amisso, facile cum sequente aliqua voce coalescere possint, in luce positum est. Particula δὴ vulgo potius encliticæ cujusdam naturæ est; sed in antiquiore lingua ei voci, cui nervos addit, etiam præponi potest, ut δὴ τότε sæpe est pro τότε δή. Quare δὴ apud Homerum frequenter crasin patitur, deinde apud Pindarum Ol. 13, 99 δὴ‿ἀμφοτέρωθεν, apud Sappho fr. 2, 5 δὴ ἐμάν ex emendatione nostra Diall. Græcc. II. p. 542, et si δηῦτε recte e δὴ αὖτε natum putatur, apud alios lyricos; postremo in lyricis poëtarum scenicorum partibus, Æsch. Ch. 779 πρὸ δὲ δῆχθρῶν, Aristoph. Thesm. 1150 δὴ‿ἀνδράσιν, nunquam autem in dialogo (præ- p. 4
terquam cum vocalis crasis efficientibus vid. infr.), quoniam Attica lingua voculis usum quasi procliticum ignorat.

Contra pronomina μοι et σοι in vulgari demum Atticorum sermone tam atona facta sunt, ut etiam ad sequentem vocem trahi possent. Frequenter apud Aristophanem crasi coalescunt cum sequente verbo ut Eqq. 1090. 1092 μοὐδόκει, 1177 σοὔδωκε, paullo rarius cum aliis vocibus sensu arcte conjunctis, ut Nub. 1207 ᾀστέον μοὐγκώμιον, Eqq. 1237 ὡς μοὐν χρησμὸς ἅπτεται φρενῶν. A reliquis hoc genus crasis alienum est (olim apud Sappho fr. 2, 5. e pejoribus libris male legebatur μοι‿ἐμάν) neque recte (exceptis μοὔστι et σοὔστι, ubi crasis causa in ἐστὶ sita est) criticorum conjecturis in tragicos illatum. Semel nunc editum invenio, Æsch. Ch. 927,

πατρὸς γὰρ αἶσα τόνδε σοὐρίζει μόρον

secundum Elmsleii conjecturam, quum in libris sit σ' ὁρίζει. Et ille quidem, plerorumque assensum ferens, σοὐρίζει e σοι ὁρίζει natum voluit, Blomfieldius e σοι οὐρίζει; Bambergerus

nescio quo errore idem e *σὲ οὐρίζει* contractum dicit. Mihi, etiamsi crasis nihil offensionis haberet, neque *οὐρίζει* sententiæ aptum et *ὁρίζει* paullo languidius videretur. Corrigo

ΚΛ. *ἔοικα θρηνεῖν ζῶσα πρὸς τύμβον μάτην*
ΟΡ. *πατρὸς γὰρ αἶσα τόνδε σοι ῥιζοῖ μόρον.*

"frustra lacrimaris; nam patris sors tibi hoc fatum fundat "i. e. immutabile constituit." Sæpius ejusmodi crases a doctis viris commendatæ sunt, quorum unum commemoramus Meinekium, qui Comicc. Græcc. IV. p. 26. in Eurip. Med. 57,

*ὥσθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ*
*λέξαι μολούσῃ δεῦρο δεσποίνης τύχας*

neque minus in Philemonis parodia ap. Athen. VII. 288 d,

*ὥσθ' ἵμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κοὐρανῷ*
*λέξαι μολόντι τοὔψον ὡς ἐσκεύασα.*

legendum censet *μοὐπῆλθε* i. e. *μοι ὑπῆλθε*. In simillimo loco Iph. A. 492 *ἄλλως τε μ' ἔλεος τῆς ταλαιπώρου κόρης εἰσῆλθε συγγένειαν ἐννοουμένῳ* idem probat Marklandi conjecturam *ἐννοούμενον*. At satis, opinor, invicem se tuentur tres illi loci neque aliam dubitationem relinquunt, præterquam utrum mira quadam anacoluthia ab accusativo ad dativum transitum an pronomini *μοι* rarior elisio adhibita sit. Equidem hanc rationem præferre non dubito; neque enim desunt, quanquam plerisque cum Hermanno negantibus, alia ejus elisionis exempla apud tragicos ut Soph. Aj. 191 *μή, μή μ' ἄναξ—κακὰν φάτιν ἄρῃ*, de quo loco recte judicavit Wunderus. Item *σοι* elisum est Eurip. Bacch. 821 *τοῦ χρόνου δέ σ' οὐ φθονῶ*, ubi Hermannus crasin fieri voluit, Fixius e conjectura Elmsleii edidit *γ' οὐ*. Æsch. Choeph. 217 *σύνοιδ' Ὀρέστην πολλά σ' ἐκπαγλουμένῃ*, quod Schutzium et Bothium recte scripsisse (Med. *ἐκπαγλουμένης*, vulgo cum Rob. Turn. Vict. *ἐκπαγλουμένην*) evincit versus antecedens, *καὶ τίνα σύνοισθά μοι καλουμένῃ βροτῶν*. Alia vide apud Lobeckium ad Ajacis locum.

Relativum et pronomen *ἐγώ* (præterquam in *ἐγὼ οὐ*, de quo vid. infr.) apud solos Atticos crasin faciunt, neque recte Bergkius Pindaro in scolio ad Theoxenum fr. 89 synizesin *ἐγὼ ἕκατι* dedit, ultimum antistrophæ versum et primum epodi in hunc modum scribendo:

*ἀλλ' ἐγὼ ἕκατι τᾶς [θεοῦ] κηρὸς ὣς δαχθεὶς ἕλᾳ*
*ἱρᾶν μελισσᾶν τάκομαι κ.τ.λ.*

quum in Athenæi libris sit *ἐγὼ δ' ἕκατι τᾶς κηρὸς ὣς δαχθεὶς ἐλεηρὰν μέλισσαν*, simul in strophæ ultimo versu præferens lectionem *ἢ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν*, quum Boeckhius alteram lectionem *ἠὲ σιδάρου* veriorem judicasset, qui illa in hunc modum supplevit et mutavit: *ἀλλ' ἐγὼ [ὥρας] ἕκατι τᾶς [ποθεινᾶς] κηρὸς ὣς | δαχθεὶς ἐλαιηρᾶν μελισσᾶν τάκομαι.* Egregie Bergkius invenit *ἕλᾳ ἱρᾶν*, sed initium versus proba- p. 5
bilius restitui potest. Totum adscribam fragmentum, in quo critici etiam alia persananda reliquerunt:

*Στρ.* *Χρῆν μὲν κατὰ καιρὸν ἐρώτων δρέπεσθαι, θυμὲ, σὺν ἁλικίᾳ·*
*τὰς δὲ Θεοξένου ἀκτῖνας προσώπου μαρμαριζοίσας δρακεὶς*
*ὃς μὴ πόθῳ κυμαίνεται, ἐξ ἀδάμαντος*
*ἠὲ σιδάρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν*
*'Αντ.* *Ψυχρᾷ φλογὶ, πρὸς δ' 'Αφροδίτας ἀτιμασθεὶς ἑλικοβλεφάρου*
*ἢ περὶ χρήμασι μοχθίζει βιαίως, ἢ γυναικείῳ θράσει*
*αἰσχρὰν φορεῖται πᾶσαν ὁδὸν θεραπεύων.*
*ἀλλ' ἐγὼ ἀέκατί γ' αἴσας κηρὸς ὣς δαχθεὶς ἕλᾳ*
*'Επ.* *'Ιρᾶν μελισσᾶν τάκομαι, εὖτ' ἂν ἴδω παίδων νεόγυιον ἐς ἥβαν,*
*ἐν δ' ἄρα καὶ, Τενέδῳ Πειθὼ τὸν ἆγεν*
*καὶ Χάρις υἱὸν 'Αγησιλάου.*

Vs. 7. *αἰσχράν* dedi pro librorum lectione *ψυχράν*, a Boeckhio secundum Schneideri conjecturam in *ψυχάν* mutata, quod otiosum est, a Bergkio in *ψηχράν*, quod idoneo sensu caret; erroris fons est in præcedente *ψυχρᾷ*.—Vs. 8. *ἀέκατί γ' αἴσας* elicui e *δ' ἕκατι τᾶς*. Coalescunt *αε* ut in *ἀέκων* Ol. XI. 30. Intellige *invita senectutis sorte*, *παρὰ καιρόν*, ut respiciatur ad primum versum. Constat Pindarum senem Theoxeni amore flagrasse.—Vs. 10. *τὸν ἆγεν* scripsi pro *τ' ἔναιεν*, quod Schneidewinus servavit, Boeckhius cum Schneidcro in *τε ναίει* mutavit, Bergkius in *τ' ἐνδαίει*, quæ omnia neque per se probabilia sunt neque ullum cum prioribus nexum efficiunt. Quæ nos reposuimus, simul majorem interpunctionem post *ἥβαν* minuentes et perspicuitatis gratia post *καὶ* virgula incidentes, ita accipe: "liquesco, simulac video puerorum florentem juven-"tam (quum aliorum) tum vero (ejus), quem Suada et Gratia "Tenedi educarunt Agesilai filium." *'Εν δὲ* eo sensu frequentatur ab Herodoto ut II. c. 43 *πολλά μοι καὶ ἄλλα τεκμήριά ἐστιν τοῦτο οὕτω ἔχειν, ἐν δὲ καὶ τόδε.* Ipse Pindarus usurpavit Ol. VII. 5. *"Αγειν* de educatione puerorum præter alios dixit

Plato Alcib. I. p. 124 A; de relativo post plures voces collocato cf. Ol. IX. 34. 110. Pyth. I. 74. II. 5 all.

Memorabilem crasin vocula *μή* patitur in formula *εἰ δὲ μὴ* cum vocabulo interpunctione, ut videtur, disjuncto: Eurip. Andr. 242 *εἰ δὲ μή, οὐ καλά*, ibid. 254 *εἰ δὲ μή, οὐ λείψω ποτέ*, Iph. A. 916 *εἰ δὲ μή, οὐ σεσώσμεθα*, Arist. Thesm. 288 *εἰ δὲ μή, ἀλλὰ νῦν λαθεῖν* (Dind. male *μἀλλὰ* vid. infr.), ibid. 536 *εἰ δὲ μή, ἡμεῖς*, in Chelidonismo apud Athen. VIII. 360 C *εἰ δὲ μή, οὐκ ἐάσομεν*. Apparet hanc formulam, quæ ab origine peculiarem enuntiationem omisso verbo efficeret, paullatim unius adverbii (alioquin, sonst) vice habitam esse, quod nulla pausa a sequentibus dirimeretur, ita ut *μὴ* consuetudine crasin efficere posset. Ergo virgula in talibus delenda est. De *μή, ἀλλὰ* per crasin copulatis infra dicetur.

Particulam *τοι* inter voculas crasis efficientes referre non ausi sumus. Nam quod sæpe coalescit cum *ἄρα, ἄν, ἐστί*, in his potius causa quærenda est; deinde *μεντοὐγώ* Aristoph. Ran. 971. a Dindorfio e conjectura scriptum est pro *μέντοι 'γώ*, quod ipsum nihil offensionis habet. Restat unicus locus Eccl. 410 *αὐτός γε μεντοὔφασκεν ἱμάτιον ἔχειν*, ubi aut cum Porsono *μέντοι 'φασκεν* corrigere licet, aut *μέν που 'φασκεν' nimirum ipse dixit*, quæ ironia loco optime convenit.

B. Earum vocularum, quæ cum antecedente voce per crasin coire possunt, numerus etiam minor est; nam præter verbum *εἶναι* tantum *ἄρα, ἄν, οὐ, ἐγώ* eo pertinent.

*a*) Verbum substantivum in omnibus linguis cum vocibus antecedentibus facile coalescit. Græcæ autem crasis exempla certissima parum perspecta sunt. Jam olim in Dissert. de Conj. in *μι* p. 28 indicavimus, verbum impersonale *χρή* ab origine esse nomen indeclinabile[c]; nam apud Homerum, qui nullo declinamento utitur, substantivum *χρεώ* plane eandem potestatem habet, nisi quod huic declinatio per casus et conjunctio cum verbis ut *χρεὼ ἔσται, χρειὼ ἱκάνεται* reservatæ sunt. Confirmavit eam suspicionem dialectus Æolica, quæ formam *χρή* immutatam tenet, quanquam a stirpe XPA descendere debebat *χραῖ*, a XPE autem *χρεῖ*, vid. de Diall. Græcc. I. p. 139. p. 6

[c] Nisi fallor, vox non diversa est a Sanscr. *rai*, Lat. *res*, nec *refert* significatione multum distat a *χρή*.

Jam vero recentior lingua inflexibile illud χρή magis magisque verbalem potestatem nactum ita per modos et tempora declinavit, ut verbum substantivum crasi adjungeret. Eo modo hæ formæ ortæ sunt:

*Conjunct.* χρῇ e χρὴ ᾖ.

*Optat.* χρείη e χρὴ εἴη pro χρῄη diphthongo impropria solemni modo in propriam mutata.

*Infinit.* χρῆναι e χρὴ εἶναι, ubi iota subscripti absentia non minus legitima est quam in τιμᾶν e τιμάειν vel τεχνῆς e τεχνήεις. Nam in his omnibus iota producendæ vocalis causa insertum erat.

*Partic.* (τὸ) χρεών e χρὴ ὄν natum mutatione Ionico-Attica ut βασιλέως e βασιλῆος. Rarior forma est (τὸ) χρῆν, quæ legitur Eurip. Hec. 260 τὸ χρῆν σφ' ἐπήγαγ' ἀνθρωποκτονεῖν, Herc. F. 828 τὸ χρῆν νιν ἐξέσωζεν. Hanc Thomas Mag. s. v. χρή et Eustathius ad Od. p. 1647, 37, qui Hecubæ loco utuntur, et idem Eustathius ad Il. p. 751, 54, ubi χρῆν apud Sophoclem et Euripidem extare testatur, miro errore invitis et forma et sensu pro infinitivo venditant. Sequuti sunt recentiores omnes. Immo χρῆν rariore contractionis genere e χρὴ ὄν factum est, ut πάρηρος et ξυνήν apud Hesychium e παρήορος et ξυνήων, nec dissimile est Atticum πλεῖν pro πλεῖον. Ceterum rectius scripseris χρήν, quum omnia hæc verbi χρή declinamenta accentum verbi substantivi servent, quantum licet per summas accentus leges.

*Præter.* χρῆν (e χρὴ ἦν) sic sine augmento constanter est apud Herodotum, qui præterea augmentum syllabicum nusquam omittit, apud Thucydidem, cf. Poppo ad I. c. 39, apud Æschylum; nam δ' ἐχρῆν Choeph. 894 Wellauerus Lex. Æsch. II. p. 341 recte in δὲ χρῆν mutavit. Altera forma ἐχρῆν, quæ augmentum errore quodam præfixum habet, primum reperitur apud Pindarum Nem. VII. 44, qui χρῆν fr. 89, semel apud Sophoclem in fragmento Aletæ fr. 94 (nam pro σ' ἐχρῆν Phil. 1062 facile scripseris σὲ χρῆν), sæpe sed paullo rarius quam genuina χρῆν apud Euripidem et Aristophanem; de recentioribus nunc quærere non vacat.

*Futur.* χρῆσται (e χρὴ ἔσται) apud Sophoclem legitur Œd. C. 504 et in fragmento Triptolemi fr. 537, quod scholiastes ad eum locum affert; libri præbent χρῇ 'σται et χρῄσται. Scholia

sequuti Wolfius Anall. I. p. 456 et Buttmannus Gramm. I. p. 117 miram finxerunt crasin e χρεία ἔσται; Reisigius Synt. p. 32 et Dindorfius χρεία novo modo (cf. Lobeck Pathol. p. 45.) in χρῆ vel χρὴ mutatum crasin facere voluerunt. Multo rectius (nam χρεία ne sententiæ quidem convenit) Hermannus χρῆσται syncope e χρήσεται fieri dixit, ut ἔσται ex ἔσεται, id quod prope a vero abest. Eandem formam Buttmannus et Hermannus recte pro corrupto χρῆσθαι restituerunt in duobus Aristophanis et Pherecratis fragmentis apud Suidam s. v. χρή (Comicc. II. p. 1101. 299.[d]), ubi Dindorfius Suidæ interpretationi δεῖ confisus minus recte conjecit χρῆ 'στιν, quod idem Theognidi vs. 805 H. Sauppius vindicare ausus est Epist. Crit. p. 7
p. 99. Qua auctoritate nitatur futuri forma χρήσει, quam grammaticæ solam norunt, nescio; fortasse propter ἀποχρήσει male ficta est.

Attende animum, quam omnes formæ et accentus difficultates, in quibus frustra laborarunt, hac verbi natura intellecta, facile explicentur, potissimum in Præs. χρή, Part. χρεών et χρήν, Præt. χρῆν (quem adeo ab origine infinitivum esse Goettlingius ad Theodos. p. 218 docuit) et ἐχρῆν, Fut. χρῆσται.

Aliæ crases, quarum causa in verbo εἶναι posita est, sunt σοὔστι Æsch. Eum. 873, μοὔστὶν Choeph. 122, quum apud tragicos pronomina μοι et σοι non sint crasis efficientes; deinde, καιτοὔστίν Aristoph. Vesp. 599 et ibid. 27 δεινόν γε τοὔστ' a Dindorfio pro δεινόν γέ που 'στ' scriptum. Plerumque autem, quod ε cum præcedentibus vocalibus ᾱ, η, ω, ου coalescens abjici videtur, crases verbi εἶναι velut aphæreses scribuntur, ut ὥρα 'στι, πολλή 'στ' ἀνάγκη, κρείττω 'στι, ποῦ 'στι (Meinekius semel recte crasin expressit apud Cratinum II. p. 237 ποὖσθ' ἡ κύλιξ), ποῦ 'στον Œd. Col. 1107, εὐφημία 'στω Arist. Av. 959 et innumera ejus generis, quæ rectius ὡρᾶστὶ etc. scribi infra magis apparebit. Ceterum apud Homerum verbum εἶναι neque crasin efficit neque aphæresin patitur; antiquissimum exemplum est in versu sive Phocylideo fr. 18 sive Theognideo vs. 147 ἀρετή 'στιν.

[d] Minus certum est idem χρῆσται (χρῆσται) apud Phrynichum Comicum a Meinekio II. p. 593 pro χρῆσθαι restitutum.

*b*) Particula ἄρα apud Atticos sæpe per crasin coalescit cum τοι in τἄρα, μεντἄρα, ἢ τἄρα, οὐ τἄρα, μή τἄρα; raro nec nisi apud Aristophanem cum verbis: Ach. 325 δήξομἄρ', Thesm. 248 οἰμώξετἄρ', Plut. 876 οἰμώξἄρα pro οἰμώξει ἄρα, Pax 532 κλαυσἄρα pro κλαύσει ἄρα. Alia ejusdem voculæ crasis grammaticos mirum in modum latuit.—Particula ἆρα modo ab ἄρα potestate nihil differre videtur, modo interrogativa vi instructa est. Itaque partim vocalem a poëtis metri causa productam arbitrantur, quo nihil incredibilius, partim accentu interrogativo accedente vocalis tempus auctum esse affirmant, id quod vix probabilius est; Hermannus autem in præfatione ad Œd. Col., jure metricam illam productionem abhorrens, voculæ potestatem non interrogativam violenter eripere conatus est. Veriora docet locuples auctor Apollonius Dyscolus[*], quum pro Attico ἆρα in reliquis dialectis ἦρα (ἤ ῥα) esse dicit. Quum enim dialecti Dorica et Æolica η pro Attico ᾱ non possint habere nisi in syllabis contractis, jam apparet ἆρα ex ἢ ἄρα factum esse crasi eo faciliore, quod utraque vocula ad coalescendum inclinat. Itaque ut ἦ et ἦ ῥα duplicem potestatem habent, interrogandi et asseverandi, ita etiam ἆρα, quæ nunquam, quod Hermannus recte sensisse videtur, pro simplici ἄρα posita est, sed extra interrogationem ubique gravem affirmationem continet. Hoc vero non mirum est, quod quum ἦ ῥα in principiis sententiarum collocari soleat (postpositum invenio in Batrachom. 174 μυσὶν ἦ ῥ' ἐπαλεξήσουσα πορεύσῃ;), ἆρα magis magisque loci mutandi facultatem nacta est. Neque tamen ἆρα extra interrogationem non potest primam sedem occupare, id quod Hermanno potissimum ad Soph. Ant. 628 contendenti ab omnibus fere creditum est. Unus, quantum video, Meinekius sobrio judicio aliquoties ἆρα in initiis sententiarum sine interrogatione prolatarum toleravit. In quarto Comicorum volumine ejus generis hæc leguntur:

Philem. p. 42. ἆρ' ἐστὶ τοῖς νοσοῦσι χρησιμὸς λόγος.

Menand. p. 194. ἆρ' ἐστὶν ἀρετῆς καὶ βίου διδάσκαλος
ἐλευθέρου τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις ἀγρός.

[*] De Conj. p. 490. Ἆρα. οὗτος κατὰ πᾶσαν διάλεκτον, ὑπεσταλμένης τῆς κοινῆς καὶ Ἀττικῆς, ἦρα λέγεται cf. Scholl. Dion. Thr. p. 968, 23. Uterque (Apoll. p. 494, 7.) in eo errat, quod ἦ ῥα, ubi aperte non est interrogativum ut in Homerico versu ἦ ῥά νύ τοι μεγάλων δώρων ἐπεμαίετο θυμός Il. κ'. 401, pro ἆρα esse putant.

Plato. Comic. p. 686. ἆρ', ὡς ἔοικε, δὶς γένοιτ' ἂν παῖς γέρων. quibus verbis Hermannus in Schol. Aristoph. Nub. interrogationis signum addiderat.

Menand. p. 198. ἆρ' ἐστὶν ἀγαθῶν πᾶσι πλείστων αἰτία p. 8
ἡ σύνεσις, ἂν ᾖ πρὸς τὰ βελτίω σοφή.

(Schneidewinus in Orion. Anthol. I. 15 interrogandi signum appinxit,)

Id. p. 341. ἆρ' ἐστὶ θυμοῦ φάρμακον χρηστὸς λόγος.

Id. p. 358. ἆρ' ἐστὶ συγγενές τι λύπη καὶ βίος.

Diphil. p. 421. ἆρ' ἐστὶν ἀνοητότατον αἰσχροκερδία.

Bis tamen idem simillimis sententiis, ab ἆρ' ἐστὶ ordientibus, interrogationis signum dedit:

Menand. p. 116. ἆρ' ἐστὶ πάντων ἀγρυπνία λαλίστατον;

Id. p. 149. ἆρ' ἐστὶ συγγενές τι λύπη καὶ βίος;

in priore loco Theoni obsecutus, qui in Progymnasmatis ap. Walz. I. p. 196 ἐπαπόρησιν inesse dicit, quanquam idem p. 200 γνωμικὸν λόγον esse recte docet; de altero (qui inter Monosticha p. 358 iterum legitur sine interrogatione) Diogeni Laërtio VII. 68 confisus, qui secundum Stoicorum doctrinam ἐπαπορητικόν τι agnoscit. Apparet jam antiquos grammaticos duplici vocis ἆρα potestate deceptos esse (vide etiam Apollonium l. l.); nam qui sententias illas sine præcepta opinione perlustraverit, facile intelliget, primum nullo pacto partem interrogative efferri posse, partem sine interrogatione; deinde in omnibus tantum abesse ut aliquid dubitationis insit, ut gravem asseverationem habeant. Vulgo talia ad interrogationem detorquentes ἆρα pro ἆρ' οὐ esse volunt, ut Soph. Œd. C. 753 ἆρ' ἄθλιον τοὔνειδος, ὦ τάλας ἐγώ, ὠνείδισ' εἰς σὲ κἀμὲ καὶ τὸ πᾶν γένος; Xenoph. Cyr. VII. 5, 40 οὕτω δὴ ὁ Κῦρος λέγει· Ἆρα, ἔφη, ὦ ἄνδρες, νῦν μὲν καιρὸς διαλυθῆναι; αὔριον δὲ πρωῒ ἔλθετε. Plat. Charm. p. 159 B. ἆρ' οὖν, ἦν δ' ἐγώ, εὖ λέγεις; et sexcenta alia. Quod interpretationis artificium quam non sit probabile, in luce positum est. Neque quidquam lucramur Hermanni præcepto, ἆρα pro ἆρ' οὐ positum sicut οὔκουν ab interrogatione ad affirmationem converti. Nam neque ἆρ' οὐ, quod rectius cum οὔκουν conferri posset, unquam in affirmatione legitur, neque credibile est ἆρα vere pro ἆρ' οὐ usurpari

posse[f]. Contra omnia planissima sunt, si Apollonio credas, ἆρα ab ἦ ῥα, ἦ ἄρα non esse diversum. Ceterum ἆρα aliquoties extra Atticam dialectum reperitur, apud Pindarum Ol. VIII. 46. P. IV. 78. N. V. 30. Isthm. V. 52. VII. 59, Timocreontem vid. Diall. Græco. II. p. 478., Archilochum fr. 80. 82 Bergk.; his omnibus in locis cum potestate affirmativa postpositum est, quam usus circumscriptionem ad grammaticos potius Alexandrinos quam ad ipsos poëtas referendam esse crediderim.

Sicut ἦ ἄρα in ἆρα, ita aliquoties δὴ ἄρα in δᾶρα coalescere videntur. Sententiæ certe hoc optime conveniret in

Eur. Iph. A. 1228. *τί δᾶρ' ἐγώ σε; πρέσβυν ἆρ' εἰσδέξομαι;*

Aristoph. Pax 1240. *τί δᾶρα τῇ σάλπιγγι τῇδε χρήσομαι;*

ubi nunc δ'ἆῤ et δ'ἆρα leguntur.

*c*) Particula ἂν cum εἰ coalescit in ἤν sive ἄν, cum ἐπεί in ἐπήν sive ἐπάν, cum τοι in τἄν, μεντἄν, ἦ τἄν, οὐ τἄν. Deinde ἐπειδάν ex ἐπειδὴ ἂν natum videtur; mirum tamen quod ultima corripitur ut Aesch. Sept. 716, Eur. Rhes. 469. Cum sim- p. 9
plici δή crasis facta est in ἦ δᾶν ἐγὼ θαρσοῦσα Soph. El. 314, quam Laurentiani A lectionem verissimam esse intellexit Hermannus Opuscc. IV. p. 382. Apud solum Aristophanem ἄν etiam cum verbo coalescit Lysistr. 45 δοῦναι‿ἄν (Dind. δοῦνἄν) ἐμαυτῆς. Aliam ejusdem particulæ crasin perspiciendo ænigma quoddam grammaticum solveris.

G. Dindorfius in Præfatione ad Scenicc. Gr. p. 7 seqq. duodecim exemplis demonstrare conatus est, ἄν potentiale corripi posse, eamque disputationem in Oxoniensi Æschyli editione ad Sept. 562 repetiit ne verbo quidem commemorans, interim Hermannum in Opuscc. IV. p. 377 seqq. acrem ejus opinionis oppugnatorem exstitisse. Nos quidem a neutro rem confectam esse arbitrati exempla illa in examen revocabimus. Primum Hermanno concedi oportet et Rhesi locum vs. 560 et, quos ipse addidit, Cratini apud Athen. p. 8 A (Mein. II. p. 175) atque Menandri ap. Athen. VIII. p. 364 E (Mein. IV. p. 161) ita comparatos esse, ut quidquam inde colligi non

[f] Ita ne in Œd. R. 822 quidem accipi debebat: ἆρ' ἔφυν κακός; ἆρ' οὐχὶ πᾶς ἄναγνος; Nam Œdipus negat se recte malum appellari, quum potius totus impurus sit.

liceat. Neque Alexidis loco ap. Athen. X. p. 422 A (Mein. III. p. 479) Dindorfius uti debebat:

*Μάθοις ἂν οἷον ἀνθρώποις κακὸν*
*ἔστιν ἡ γαστὴρ, διδάσκει δ' οἷ', ἀναγκάζει δ' ὅσα.*
*εἴ τις ἀφέλοι τοῦτ' ἀφ' ἡμῶν τὸ μέρος ἀπὸ τοῦ σώματος,*
*οὔτ' ἂν ἀδικοῖτ' οὐδὲν οὐδεὶς οὔθ' ὑβρίζοιτ' ἂν ἑκών.*
*νῦν δὲ διὰ ταύτης ἅπαντα γίγνεται τὰ δυσχερῆ.*

Hermannus nullam corruptelæ suspicionem fore ratus, modo *ἂν* produci posset, pro *ἑκών* proponit *θέλων*, quod Meinekius probavit. At utrumque cum passivis parum congruit; nam ne nunc quidem quisquam volens lubensque injuria et superbia afficitur. Præterea passiva illa sententiam ingratum in modum invertunt. Quare, quum insuper libri *οὐδ' ἂν* præbeant, potius legendum esse videtur:

*οὐδ' ἂν ἀδικοῖ γ' οὐδὲν οὐδεὶς οὐδ' ὑβρίζοι τἂν ἑκών.*

Tum apud Sophoclem El. 314, ubi Dindorfius edidit *ἦ δ' ἂν ἐγὼ θαρσοῦσα κ. τ. λ.*[g], Hermannus rectissime e Laur. A *ἠ δὰν* i. e. *ἠ δὴ ἂν* recipi jussit.

At octies *ἂν* producitur post *οὐκ* in versus initio positum, quos locos Hermanni ordinem sequuti pertractabimus:

1) Eurip. Hel. 1051. *οὐκ ἂν ἀνάσχοιτ' οὐδὲ σιγήσειεν ἂν*
*μέλλοντ' ἀδελφὴ σύγγονον κατακτανεῖν.*

Ita libri; vulgo *οὐκ ἂν σ' ἀνάσχοιτ'* ex emendatione Porti, quam neminem non probaturum esse Hermannus contendit. At pronominis absentiam Dindorfius excusaverat simillimo loco Bacch. 789 *Βρόμιος οὐκ ἀνέξεται κινοῦντα Βάκχας εὐίων ὀρῶν ἄπο.*

2) Id. Herc. F. 1250 in stichomythia Thesei et Herculis, ubi ille hunc a consilio mortis depellere studet:

Θ. *ὁ πολλὰ δὴ τλὰς Ἡρακλῆς λέγει τάδε;* p. 10
ΗΡ. *οὔκουν τοσαῦτά γ', εἰ μέτρῳ μοχθητέον.*
Θ. *εὐεργέτης βροτοῖσι καὶ μέγας φίλος;*
ΗΡ. *οἱ δ' οὐδὲν ὠφελοῦσί μ', ἀλλ' Ἥρα κρατεῖ.*
Θ. *οὐκ ἂν ἀνάσχοιθ' Ἑλλὰς ἀμαθίᾳ θανεῖν.*

Ita Aldina et codices Parisini apud Fixium; Barnesius *οὐκ*

[g] Dindorfius particulis *ἢ δὲ* vim interrogativam vindicavit et hic et Aristoph. Av. 23, ubi edidit *ἢ δ' ἡ κορώνη τῆς ὁδοῦ τι λέγει πέρι;* Vulgo *οὐδ' ἡ κορώνη*, Rav. Γ. *ἦδ' ἡ κορώνη*. Lege *ἠ δὴ κορώνη*.

ἄν σ' ἀνάσχοιθ' "consentientibus Florentinis," ut dicit Matthiæ, qui collationum silentio nimis confisus esse videtur. Hermannus affirmat pronomen necessarium esse. Immo, si quid video, sententiam, a nemine quidem perspectam, pervertit intolerabilem in modum. Ut enim ἀνέχεσθαι cum acc. c. inf. jungi possit, cujus constructionis exempla desidero, qui jam erit sensus? "Hellas non sustinebit te per stultitiam "mori," ubi et ἀμαθίᾳ otiosum atque molestum esse videtur neque aliud argumentum a Theseo affertur, nisi quod in verbis εὐεργέτης κ. τ. λ. (leg. εὐεργέτης i. e. ὁ εὐεργέτης) prolatum Hercules jam refutaverat. Contra sine pronomine hæc inest aptissima sententia: "Græcus vir non sustinebit temere mori "barbarorum in modum," ad quod argumentum Hercules respondens accurate exponit, quibus causis ad mortem quærendam commoveatur. Nimirum fugit interpretes, 'Ελλάς hic pro Ἕλλην esse ut Phœn. 1509, Soph. Trach. 1060 (quem locum Hermannus recte interpretatus est) cf. Antiatt. Bekk. p. 97, 4 'Ελλὰς ὁ ἀνήρ, Σοφοκλῆς Αἴαντι Λοκρῷ et Lobeck. Parall. p. 263.

3) Ibid. 185. Δίρφυν δ' ἐρωτῶν, ἥ σ' ἔθρεψ' Ἀβαντίδα
οὐκ ἄν ἐπαινέσειεν.

Ita Aldina; Parisini οὐκ ἄν γ', recentiores e conj. Reiskii et Barnesii οὐκ ἄν σ'. Pronomen bene abesse posse Hermannus concedit.

4) Æsch. Ag. 340. οὐκ ἂν ἑλόντες αὖθις ἀνθαλοῖεν ἄν.

Ita Dindorfius ex ingenio edidit, quum vulgo cum Victoriana et cod. Farn. legeretur οὐκ ἂν γ', Dindorfii suspicionem egregie confirmavit lectio ἀνελόντες ab Hermanno e codice Veneto Bessarionis prolata. Hic codex non diversus est a Marcianæ codice CCCCLXVIII (XCI. 4), qui, ut Franzius meus nuper post iter Italicum me certiorem fecit, præter Prom. Sept. Pers. Agamemnonis continet initium vs. 1—348 (quum in Mediceo lacuna incipiat post vs. 310), in Agamemnone (Franzio quidem judice) e Mediceo nondum mutilo descriptus.

5) Soph. Aj. 1338. ἀλλ' αὐτὸν ἔμπας ὄντ' ἐγὼ τοιόνδ' ἐμοὶ
οὐκ ἂν ἀτιμάσαιμ' ἄν·

6) Eur. Med. 866. ἥκω κελευσθείς· καὶ γὰρ οὖσα δυσμενὴς
οὐκ ἂν ἁμάρτοις τοῦδέ γ', ἀλλ' ἀκούσομαι.

7) Id. Troad. 408. εἰ μή σ' Ἀπόλλων ἐξεβάκχευσεν φρένας,
οὐκ ἂν ἀμισθὶ τοὺς ἐμοὺς στρατηλάτας
τοιαῖσδε φήμαις ἐξέπεμπες ἂν χθονός.

8) Soph. Ant. 747. οὐκ ἂν ἕλοις ἥσσω γε τῶν αἰσχρῶν ἐμέ.

In his quatuor locis optimi libri οὐκ ἄν, pejores, quos ante Dindorfium sequuti sunt, οὐκ ἄν γ' et partim οὔκουν. Rectissime Hermannus intellexit, de quinque vel sex posterioribus locis (adeo, nisi fallimur, de omnibus octo), quorum ratio simillima est, commune judicium faciendum esse. Minus recte contendit, satis probabiliter οὐκ ἄν γ' genuinam lectionem haberi posse. Quum enim particula γ' non legatur nisi in pejoribus libris recentiorum grammaticulorum correctricem manum expertis, quos constat sæpissime ea vocula inserta metro, quod labare videretur, fulmentum addidisse, verisimil- p. 11
limum est sine controversia, etiam hic eosdem idem egisse. Deinde Hermanno asseveranti, omnibus iis locis restrictivam particulæ vim bene convenire, non magis credo quam particularum ἄν γε conjunctionem vere Græcam esse, præterquam ubi ἄν cum conjunctione aliqua in unam vocem coaluit, ut ἤν γε i. e. εἰ ἄν γε nec minus πρὶν ἄν γε: Aristoph. Vesp. 919 μὴ προκαταγίγνωσκ', ὦ πάτερ, πρὶν ἄν γ' ἀκούσῃς ἀμφοτέρων, unde recte nuper Dindorfius cum Bentleio in simili loco Ach. 298 restituit μηδαμῶς πρὶν ἄν γ' ἀκούσητ' (Rav. A πρίν γ' ἂν ἀκούσητ', alii libri aliter). Ægre quidem ex ipsis vocularum notionibus demonstraveris, non potuisse fieri ut conjungerentur; non junctas esse (nam plurimum in talibus valet usus), probabili ratiocinatione efficitur. Nam præter sex illos locos ἄν γε non legitur nisi in his: Eur. Herc. F. 1196

οὐκ ἄν γ' εἰδείης ἕτερον
πολυμοχθότερον πολυπλαγκτότερόν τε θνατῶν.

Dindorfius recepit Elmsleii emendationem οὐκ ἂν ἴδοις. Equidem non video, cur in εἰδείης offendatur; quum vero in Par. A γ' omissum sit, hic ipse est nonus locus, ubi ἄν cum οὐκ junctum producitur. Deinde Anaxilæ fragmento ap. Poll. X. 190 (III. p. 342 Mein.) οὐκ ἄν γ' ἐμοὶ τουτὶ γένοιτο κεράμινον, nihil tribui posse intellexit Meinekius, quod codicis Vossiani lectione γένηται recepta ἄν sit conjunctio. At bis ἄν γε sine elisione legitur, ut particula non possit syllabæ producendæ

causa intrusa existimari. Mirum quod non sæpius, si ea particularum præ aliis frequentatarum compositio Græca fuit. Quid quod uterque locus sententiæ nomine corruptelæ suspectus est? Primum Eur. Orest. 784, ubi Orestes cum Pylade deliberans ad fugam capessendam inclinat:

ΟΡ. καί τις ἄν γέ μ' οἰκτίσειε. ΠΥΛ. μέγα γὰρ ηὑγένειά σου.

Ita Brunckius scripsit pro καὶ τίς ἄν γε, Hermannus conjecit καί τις ἄν μ' ἐποικτίσειε. At sententia languidior, si aliquos sui miserturos dicat. Vix dubito quin poëta scripserit καὶ τίς ἄν μ' οὐκ οἰκτίσειε; Postquam οὐκ facili errore excidit, metri fulciendi gratia γε injectum est. Deinde Phœn. 1213 in stichomythia Iocastæ et Nuntii, qui nuntiato felici pugnæ eventu fratrum consilium certaminis singularis ineundi celare studet:

ΑΓΓ. μέθες μ'· ἔρημος παῖς ὑπασπιστοῦ σέθεν.
ΙΟΚ. κακόν τι κεύθεις καὶ στέγεις ὑπὸ σκότῳ.
ΑΓΓ. κοὐκ ἄν γε λέξαιμ' ἐπ' ἀγαθοῖσι σοῖς κακά,
ΙΟΚ. ἢν μή γε φεύγων ἐκφύγῃς πρὸς αἰθέρα.

Ultima nuntii verba parum apta sunt, etiamsi e parte librorum recipias οὐκ ἄν γε; Iocastæ autem dictum tum demum, nisi vehementer fallor, tolerabilem sententiam contineret, si gravis quædam minatio suppleri posset ut Orest. 1593 ἀλλ' οὔτι χαίρων, ἤν γε μὴ φύγῃς πτεροῖς, id quod fieri non posse apparet; scholia intelligi jubent λέξεις. Neque perspicitur, quomodo nuntius deinceps gravissima necessitate ad dicendum compelli sibi videatur. Itaque persuasum habemus tres ultimos versus (quo ducit etiam illud κοὐκ) Iocastæ continuandos esse et medio versu minationem illam contentam fuisse, cui proverbialis locutio ultimi versus apte addi potuerit. Minus apparet, quæ fuerint ipsa genuina verba.

Utut res est, illis locis, de quibus disputamus, lectionem οὐκ ἄν γ' relinqui non posse apparet. Et ipse Hermannus, quum in tot locis meliores libri tueantur οὐκ ἂν in principio totius sententiæ aut apodosis positum et ubi gravis asseveratio aptissima sit, rectius in quinque illis sexve locis οὐτἄν reponi censet, quam medelam Porsonus et Elmsleius in Med. 867, hic præterea in Aj. 1338 et Ant. 747 proposuerant. Multo sane hoc probabilius. At mirum tamen, quod in nullo eorum locorum lectionis οὐτἄν vestigium exstat nec magis in ullo loco pro οὐτἂν varia lectio οὐκ ἂν reperitur. Et quid est, cur Her- p. 12

mannus in optimorum librorum lectionem octo novemve locorum simillimorum consensu firmatam tam infesto animo sæviat? Negat ἄν potentiale, innumeris in locis apud omnes poëtas correptum, aliquoties produci posse cum ulla veri specie. Rectissime. Quid vero, si productum hoc ἄν a correpto non minus diversum sit quam alterum illud, quod ex εἰ ἂν coaluit? Quum enim omnibus illis locis gravis asseveratio optime conveniat, jam neminem, opinor, latet, hoc ἂν crasi factum esse ex ἦ ἄν, ut Atticos dicere oportebat pro epico et lyrico ἦ κεν, cui crasi simillimæ sunt, de quibus supra diximus, ἆρα ex ἦ ἄρα et δᾶν e δὴ ἄν. Eodem autem modo οὐκ ἂν juncta sunt, quo οὐκ ἆρα, quæ item sæpissime in principio sententiarum leguntur, nec dissimilis quoad voculæ ἦ collocationem est glossa Hesychiana οὐ γὰρ ἦ, οὐ γὰρ δή. Jam vero hoc ἂν num forte nusquam usurpatum est nisi cum negatione copulatum? Aliud quid docere videtur unicus, qui restat, locus:

Æsch. Sept. 542. θεῶν θελόντων δ' ἂν ἀληθεύσαιμ' ἐγώ.

Quum pars codicum, inter quos boni libri Reg. A et Colb. 2, δ' omittant, Hermannus θεῶν apte ad præcedentia trahens corrigit ἂν ἀληθεύσαιμ' ἐγώ, parum probabiliter, quum relativum vix intelligi possit. Equidem mihi persuadeo Æschylum scripsisse:

ἔξωθεν εἴσω τῷ φέροντι μέμψεται,
πυκνοῦ κροτησμοῦ τυγχάνουσ' ὑπὸ πτόλιν
θεῶν θελόντων. ἂν ἀληθεύσαιμ' ἐγώ;

ut etiam hic ἂν ex ἦ ἂν natum sit et interrogatio insigni cum vi orationem claudat, sicut Ag. 260 ἦ τορῶς λέγω; vel Soph. Aj. 1158 μῶν ἠνιξάμην; Optime autem se habet, quod solum ἂν apud unicum Æschylum legitur, οὐκ ἂν apud solos tragicos, nunquam apud comicos. Apparet enim hoc ἄν, quod a potentiali ἂν parum differret, mature ita exolevisse ut paullo diutius in formula οὐκ ἂν hæreret.

*d*) Negatio οὐ cum sequentibus vocibus per crasin coalescere non potest, quoniam ante vocales in οὐκ abit. Cum antecedentibus rarius tam arcte juncta est, ut crasis fieri possit, præterquam si quæ ipsæ crasis appetentes sunt ut καί, ἤ, ἦ, μή. Sua autem vi οὐ coit primum cum ἐπεί: Hom. Od. λ'. 249. Æsch. Suppl. 884. Soph. Œd. C. 1436 ἐπεί οὐ, Hom. Il. ν'. 777. Theogn. 931. Soph. Phil. 948 et fr. 470 ἐπεὶ οὐδέ, He-

siod. Sc. 218 ἐπεὶ οὐδαμῇ, Soph. Phil. 446 ἐπεὶ οὐδέν, 1037 ἐπεὶ οὔποτε. Deinde cum ἐγώ: Sapph. fr. 87 (77) ἐγώ οὐδέ et sæpe apud Atticos; nam crasis causam non in ἐγώ quærendam esse infra docebimus. Postremo apud Aristophanem crasin efficit in jurandi formulis: Thesm. 269 μὰ τὸν Ἀπόλλω οὐκ, ἤν γε μὴ ὀμόσῃς ἐμοί, Lys. 1171 οὐ τὼ σιὼ οὐχὶ πάντα γ' ὦ λισσάνιε (ubi Dind. male reliquit virgulam post σιὼ), Ran. 508 μὰ τὸν Ἀπόλλω οὐ μή σ' ἐγὼ περιόψομαι.

e) Pronominis ἐγώ crases cum vocabulis præcedentibus nullæ fere editæ leguntur. Nam pro οἱ‿ἐγώ, quod apud Æschylum Sept. 790. Pers. 437. 509. Ch. 680. 874. 880. 915 omnes libri tenent, apud Sophoclem Aj. 803. El. 674. 1115 plerique, post Porsonum et Brunckium οἱ 'γώ per aphæresin editum est, nisi quod Blomfieldius et Wellauerus librorum lectionem in Æschylo tutati sunt. Qui recte egisse videntur; nam οἱ ἐγώ non minus in unam vocem coalescunt quam οἴμοι. Hujus tamen crasis causa etiam in vocula οἴ quæri potest. At probabile est pronomen ἐγώ, quod facillime cum verbo sequente coalescat ut ἐγᾦδα, ἐγᾦμαι, ἐγώ‿εἴσομαι, etiam cum antecedente verbo suo crasin facere potuisse. Sed in talibus ubique aphæresis scripta reperitur, ut ἀξιῶ 'γώ, μόλω 'γώ, θρέψω 'γώ, ἤδη 'γὼ, ἄχθομαι 'γώ, γράψομαι 'γώ. Quorum pleraque nulla litera mutata in crasis formam redigi possunt, ultima certe levissima mutatione, ut Dindorfius Eur. Iph. A. 1396 sine libris scripsit γενήσομἀγὼ, quum in Ald. sit γενήσομ' ἐγώ, vulg. γενήσομαι 'γώ. Deinde ἐγὼ etiam cum nominibus aliquoties crasin facere pu- p. 13 taveris ut in λοισθία 'γώ Soph. Ant. 895, μελέα 'γώ Eur. Suppl. 273. Neque apud tragicos certa aphæresis exempla reperiri, infra apparebit.

C. Graviora vocabula bina per crasin coalescere non possunt, nisi frequenti usu ita copulata sunt, ut unius vocis speciem referant. Ejus generis hæc sunt:

a) Οὕνεκα et τοὔνεκα inde ab Homero et ὁθούνεκα i. e. ὅτου ἕνεκα apud Atticos.

b) τύχἀγαθῇ Aristoph. Av. 436. 675. Eccl. 131, Nicostrat. ap. Athen. XV. 693 A (III. p. 285 Mein.), quod libris partim ducibus Dindorfius recte restituit, quum aphæresis τύχῃ 'γαθῇ, quæ olim edita erat, ferri nequeat.

*c*) ὁσημέραι i. e. ὅσαι ἡμέραι, ut *quotidie* natum est e *quot dies*, Aristoph. Plut. 1006, Alexis ap. Stob. 30, 8 (III. p. 520 Mein.) nec raro in oratione pedestri, cf. Interprett. ad Greg. C. p. 65, ubi ex Et. Leid. etiam ὁσῶραι commemoratur.

*d*) ὀκτώ‿ὀβολοί Crates ap. Poll. IX. 62 (II. p. 241 Mein.) et Lynceus ap. Athen. IV. p. 138 (IV. p. 433 Mein.), quibus in locis Meinekius parum recte invitis libris aphæresin illegitimam ὀκτὼ 'βολοί edidit. Idem in Amphidis fragmento ap. Athen. VI. p. 224 (III. p. 313 Mein.) scripsit:

κᾆτ' οὐ λαλῶν ὅλα
τὰ ῥήματ', ἀλλὰ συλλαβὴν ἀφελών· τάρων
βολῶν γένοιτ' ἄν. ἡ δὲ κέστρα; κτὼ βολῶν.

qui locus est de piscariorum insolentia. Libri τεττάρων (editiones VL τάρων) ὀβολῶν, deinde A ὀκτὼ βολῶν, P ὀκτὼ ὀβολῶν, VL ὄκτ' ὠβολῶν. Recte τάρων et κτώ scripta sunt, quæ numeralia vulgaris et concitatior elocutio facile mutilabat; minus recte, nisi fallor, βολῶν. Restitue ὀβολῶν et κτὼ‿ὀβολῶν aut plerisque libris ducibus κτὠβολῶν, unde etiam in illis locis ὀκτώβολοί scribere licet. Similiter in vulgari Anglorum pronuntiatione coaluerunt *twopence*, *fivepence* (pronuntia *tuppns*, *fippns*).

*e*) Ἴττω‿Ἡρακλῆς Aristoph. Ach. 860 in Bœotica jurandi formula.

*f*) ἔα‿αὐτό Aristoph. Lys. 945, ἔα‿αὐτόν Ran. 1245 (ubi Dind. e Rav. male recepit ἔασον); hinc bene Dawesius eandem crasin restituit Sophocli Œd. Col. 1192, ubi libri αὐτόν vel αὐτόν. Dindorfius tamen Reisigio auctore ἔασον edere maluit, Hermannus cum Wundero ἔα νιν. Crasis eo facilius fieri poterat, quod accusativus αὐτόν (nec minus haud dubie αὐτό) interdum enclitica natura utebatur. Indidem explica crasin 'γαὔτ' Nub. 901 i. e. ἐγώ αὐτά, de qua infra dicemus. Itaque hæc rectius ad secundum crasis genus referri videntur.

*g*) Ad idem crasis genus pertinent pronomina Ionica ἐμεωυτοῦ, σεωυτοῦ, ἑωυτοῦ, ex ἐμέο αὐτοῦ, σέο αὐτοῦ, ἕο αὐτοῦ, quæ vocalium ratio errore quodam a genitivo ad reliquos casus translata est. Mirum autem, quod crasis elisioni brevis vocalis prælata est. Hac utuntur reliquæ dialecti.

*h*) Postremo huc referendam censuimus vocularum μή ἀλλά conjunctionem:

Æsch. Ch. 904,

ΟΡ. αἰσχύνομαί σοι τοῦτ' ὀνειδίσαι σαφῶς.
ΚΛ. μὴ, ἀλλ' εἴφ' ὁμοίως καὶ πατρὸς τοῦ σοῦ μάτας.

Aristoph. Ach. 458,

ΕΥΡ. ἄπελθε νῦν μοι. ΔΙΚ. μὴ, ἀλλά μοι δὸς ἓν μόνον

(Dind. utrobique invitis libris μἀλλά). Apparet ad μή proprie ex antecedentibus imperativum aliquem repetendum esse, sed quotidiano usu factum esse, ut incisione omissa μὴ ἀλλά in unam vocem (immo) coalescerent, quare virgula delenda est. Cum hoc μὴ ἀλλά, quod jungitur cum imperativis, Dindorfius non recte confudit μἀλλά, e variis librorum corruptelis ab ipso, præeunte Porsono, Aristophani aliquoties optime restitutum:

Av. 109,

ΕΠ. μῶν ἠλιαστά; ΕΥ. μἀλλὰ θατέρου τρόπου, ἀπηλιαστά.

Ran. 103,

ΗΡ. σὲ δὲ ταῦτ' ἀρέσκει; ΔΙ. μἀλλὰ πλεῖν ἢ μαίνομαι.

Ibid. 610, p. 14

ΔΙ. εἶτ' οὐχὶ δεινὰ ταῦτα, τύπτειν τουτονὶ
κλέπτοντα πρὸς τἀλλότρια; Ξ. μἀλλ' ὑπερφυᾶ.

Ibid. 745,

Ξ. χαίρεις, ἱκετεύω; ΔΙ. μἀλλ' ἐποπτεύειν δοκῶ.

Ibid. 750,

Ξ. ὁμόγνιε Ζεῦ· καὶ παρακούων δεσποτῶν,
ἅττ' ἂν λαλῶσι; ΔΙ. μἀλλὰ πλεῖν ἢ μαίνομαι.

Thesm. 645,

ΚΛ. καὶ ποῦ 'στιν; ΓΥΝ. αὖθις ἐς τὸ πρόσθεν οἴχεται.
ΚΛ. οὐκ ἐνγεταυθί. ΓΥΝ. μἀλλὰ δεῦρ' ἥκει πάλιν.

(ubi malim interrogationem οὐκ ἐνγεταυθί;). Hoc μἀλλά scholia Av. 109 et Photius (ubi μάλα scriptum est) per οὔκ, ἀλλά interpretantur; rectissime, ut facile apparet, quoad sensum. At quoad formam ex οὔκ, ἀλλά ortum esse non potest. Itaque Dindorfius e μὴ ἀλλά coaluisse existimat, sensu invito; nam ubique non imperativum, sed verbum finitum ex antecedentibus repeti oportet. Neque extant alia exempla voculæ μὴ cum α in μά conjunctæ. Nam quod idem Dindorfius suadente Elmsleio ad Heracl. 460 ejus generis crases ut μἀνατραπῆναι,

μἀπολείπεσθαι, μἀποδείρης passim apud scenicos edidit, ubique, quantum video, libri adversantur, in quibus aut utraque vox integra extat aut altera aphæresin passa est, ut μὴ ἀνατραπῆναι et μὴ 'νατραπῆναι. In Soph. Phil. 933 ejusdem correctio με μἀφέλῃς paullo magis sustinetur librorum lectione μή μ' ἀφέλῃς, sed Hermanni emendatio με μὴ 'φέλῃς non violentior est. Postremo pro hoc μἀλλά in codicibus nusquam est μὴ ἀλλά sed tantum in scholiis pro varia lectione commemoratur ad Ran. 610 et, ubi a Symmacho repetitur, ad vs. 745. Contra μὴ ἀλλά Choeph. 904 et Acharn. 458, ubi locum tuetur, nec minus εἰ δὲ μὴ ἀλλά Thesm. 288 (ubi Dind. item μἀλλά) omnium librorum consensu firmantur. Alia igitur origo circumspicienda est, nec fere dubito quin μἀλλά e μὰ ἀλλά concreverit, hoc autem e formula μὰ Δί' ἀλλά (quæ ipsa est pro οὐ μὰ Δί', ἀλλὰ) quotidiano usu concisa relictum sit. Nam μὰ Δί' ἀλλά eodem sensu quo οὔκ, ἀλλὰ et μἀλλὰ frequentatur apud Aristophanem, Platonem, alios: cf. Stallbaum ad Plat. Phileb. p. 36 A, ut Aristoph. Nub. 1290,

ΣΤΡ. τί δῆτα τὴν θάλατταν ἔσθ' ὅτι πλείονα
νυνὶ νομίζεις ἢ πρὸ τοῦ; ΑΜ. μὰ Δί' ἀλλ' ἴσην.

Reliqua crasis exempla, quæcunque in tres illas classes redigi nequeunt, aut librariorum errori aut criticorum vel antiquorum vel recentium pravæ sedulitati debentur, præterquam si qua alias explicationes admittunt. Nec levem auctoritatem summæ illi legi, qua crasin circumscribi diximus, inde accedere putamus, quod paucissimi loci extant, ubi crasis non legitima aut omnium librorum aut meliorum testimoniis nitatur. Antiquiores poëtas perlustrabimus:

Apud Homerum hæc pravæ crasis exempla leguntur:

Il. α'. 277. μήτε σύ, Πηλείδη, ἔθελ' ἐριζέμεναι βασιλῆϊ.

Ita Wolfius sine libris. Aristarchus, ut docent scholia, Πηλειδήθελ' scripserat, crasin fieri volens, quod Homerus breviore forma θέλω non usus esset. Antiquissimi libri haud dubie ΠΗΛΕΙΔΗΘΕΛ habuerant; qui superstites sunt, Πηλείδ' ἤθελ', Πηλείδη θέλ', Πηλείδη 'θέλ' præbent. Aut hoc, quod ante Wolfium vulgabatur, aut Πηλείδη θέλ' probari oportere, infra demonstrabimus.

Il. β'. 631. Μηριόνης ἀτάλαντος Ἐνυαλίῳ ἀνδρειφόντῃ.

Versus repetitur η'. 166. θ'. 264. ρ'. 259. Alii ut Matthiæ

Gramm. p. 126 crasin fieri jubent syllabarum *ῳ-ἀν*, alii ut Thierschius Gramm. p. 218 synizesin vix magis tolerabilem vocalium *υα*. Rectius existimaveris *ιῳ* coalescere in unam syllabam sequentis vocalis vi correptam, ut in *χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ* Il. *α'*. 15, *δενδρέῳ ἐφεζόμενοι* Il. *γ'*. 152, Hes. Opp. 583, *ἀργυρέῳ οὐδὲν ὁμοῖον* Opp. 140 (quod nunc legitur e verissima p. 15
Spohnii emendatione pro *ἀργύρῳ*), *ἀργαλέῃ οὐδέ ποτ' ἐσθλῇ* Opp. 640, ubi *η-ου* per synizesin coalescere Matthiæ p. 126 parum recte opinatus est.

Il. *ρ'*. 89. *ἀσβέστῳ· οὐδ' υἱὸν λάθεν Ἀτρέος ὀξὺ βοήσας*
Fœdissimam synizesin recte sustulit Barnesius emendando *ἀσβέστῳ· οὐδ' υἷα λάθ' Ἀτρέος* (*λάθ'* est in cod. Lips.), qui assensum tulit Bothii et Buttmanni Gramm. I. p. 117.

Il. *σ'*. 458. *υἱεῖ ἐμῷ ὠκυμόρῳ δόμεν ἀσπίδα καὶ τρυφάλειαν.*
Ita Wolfius sine libris; scholia A agnoscunt crasin *ἐμὠκυμόρῳ*, codices aut *υἱεῖ ἐμ' ὠκυμόρῳ* aut, sicut editiones ante Wolfium *υἷ' ἐμῷ ὠκυμόρῳ*. Hoc recte prætulerunt Heynius, Hermannus ad H. Ap. 48, Buttmannus l. l., Bothius.

Od. *α'*. 226. *εἰλαπίνη ἠὲ γάμος, ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν.*
Cum Wolfio faciunt ed. Vind. et lemm. scholl. Vulg., sed codd. Harl. et Vindd. 50. 307, l. scholl. E et antiquiores editiones præbent *εἰλαπίν' ἠέ*. Cui elisioni simillima est Od. *μ'*. 235 *ἔνθεν μὲν γὰρ Σκύλλ' ἑτέρωθι δὲ δῖα Χάρυβδις*, quum præterea apud Homerum *Σκύλλη* legatur, non *Σκύλλα*. Quare Spitznerus de Vers. Her. p. 32 proposuit *ἔνθεν μὲν Σκύλλη*, Bekkerus autem edidit *ἔνθεν γὰρ Σκύλλη* secundum variam lectionem (docti, nisi fallor, cujusdam conjecturam) in editione Clarkiana commemoratam; nam in Vind. 5, quum *μὲν* absit, tamen *Σκύλλ'* extare videtur. At non minus *Σκύλλ'* quam *εἰλαπίν'* defendi posse videtur. Dialectus epica Smyrnæ, in Æolica urbe ab Ionibus capta, ex utriusque stirpis dialectis composita est; Æolica autem ejus pars et ab initio iniquo fœdere usa esse videtur et postea, quum apud Iones potissimum Homerica carmina cantarentur et poësis epica coleretur, ita oppressa est, ut rara ejus vestigia metri præsidio servata sint ut *ἄμμες*, *ἴα* pro *μία*, *πίσυρες* all. (nam digamma et alia, quæ vulgo ab Æolibus repetuntur, antiquissimis Ionibus communia fuerunt). Jam vero constat Æoles barynticos Latinorum more primæ declinationis terminationem corripuisse, ut *νύμφα* Sapph. 56,

Ἀφρόδιτα, πρέσβιστα, ἔραννα vid. Diall. Græcc. I. p. 109; constat Homerum inter tot exempla Ionici νύμφη bis Æolico νύμφα usum esse Il. γ'. 130. Od. δ'. 743. Cur igitur miremur singulis vicibus Æolicas formas Σκύλλα et εἰλάπινα (hunc accentum malim) in textu Homerico hæsisse? Præterea hinc alii loco

Od. ω'. 247. οὐκ ὄγχνη, οὐ πρασιή τοι ἄνευ κομιδῆς κατὰ κῆπον.
sine librorum ope pravæ synizesis medelam afferre licet; lege οὐκ ὄγχν'.

Od. η'. 89. ἀργύρεοι δὲ σταθμοὶ ἐν χαλκέῳ ἕστασαν οὐδῷ.
Synizesis σταθμοὶ ἐν, quam agnoscit Wolfius Anall. I. p. 448, cæsura sublata versum misere perderet, nec tolerabilius alii δὲ σταθμοί pro anapæsto accepere. Itaque Bothius edidit ἀργύρεοι σταθμοὶ δ' ἐν, quæ collocatio apud Homerum vix ferri potest, Bekkerus probabilius σταθμοὶ δ' ἀργύρεοι.

Apud Alcæum unum pravæ crasis exemplum editum est fr. 54 Bergk. (45 Schn.)

Ἰόπλοχ' ἄγνα μελλιχόμειδε Σάπφοι,
θέλω τι εἴπην, ἀλλά με κωλύει αἴδως

Quos versus, alterum ab Hephæstione, alterum ab Aristotele servatum Bergkius ingeniosa conjectura primus conjungens simul primus synizesin illam fieri jussit, quum antea alter versus strophæ Alcaïcæ initium habitus esset: θέλω τι εἴπην, ἀλλά με κωλύει | αἴδως. Ægre tamen Bergkii inventum abjicimus; forsitan poëta scripserit: θέλω τι εἴπην, ἀλλά με κωλύει γὰρ | αἴδως.

Plura ejus generis in Sapphonis reliquiis a Bergkio potissimum admissa sunt: p. 16

Fr. 1. vs. 11. πύκνα δινεύεντες ἀπ' ὠράνω αἴθερος διὰ μέσσω.
Ultimorum lectio, quæ synizesin illicitam postulat, recentibus libris debetur et librarii alicujus non indocti conjecturam sapit. Antiquissimus Dionysii liber Parisinus (nec multum differunt reliqui meliores) habet: πυκνά διν῀ηντες πτερὰ ἀπ' ὠρανῶ. θέρος δ' ἀμεσπω. Unde quæ crasi vitata elicuimus in Mus. Rhen. Nov. I. p. 389 et Diall. II. p. 541, jam parum placent, nec levi mutatione tantæ corruptelæ mederi valemus. Dubitanter, ut decet, proponimus:

κάλοι δὲ σ' ἄγον
ὤκεες στροῦθοι περὶ γᾶς μελαίνας

πύκνα δίννοντες πτέρ' ἀπ' ὠράνω, θύ-
ραις δὲ πρὸς ἄμμαις
αἶψ' ἄρ' ἐξίκοντο.

Πω e compendio πρ ortum, deinde transpositum esse existima; αἶψ' ἄρ' e librorum vestigiis olim restituimus pro αἶψα δ'.

Ibid. vs. 17. κὤ,ττι ἔμῳ μάλιστα θέλω γενέσθαι.

Synizesin duplici nomine intolerabilem l. l. sustulimus recepta libri Parisini lectione κὤ,ττ' ἔμῳ. Pronomen ὅ,τι elisionem patitur etiam apud Homerum Od. ο'. 317 ὅ,ττ' ἐθέλοιεν, si lectio genuina est: vid. infra. Frequens autem apud eundem est vocalis elisio in conjunctione ὅτι vid. Faesi in Actt. Soc. Græc. Lips. II. p. 323 seqq.

Fr. 49 (27 Schn.) οὐ γὰρ τλάσομ' ἔγω ξυνοίκην νέῳ εὖσα γεραιτέρα.

Νέῳ εὖσα Bergkius e conj. pro vulg. οὖσα, quum in Stobæi codicibus AB sit νέ' οὖσα. Nos Diall. II. p. 543 correximus ξυνοίκην ἔοισα, ut ante nos fecerat Seidlerus; neque εὖσα Æolicum est cf. ibid. p. 548.

Fr. 69 (78). ἀλλ' οὐ γὰρ θέμις ἐν μοισοπόλῳ οἰκίᾳ.

Ita Bergkius cum Nevio; Schneidewinus Μοισοπόλω οἰκίᾳ. Maximi Tyrii verba οὐ γὰρ θέμις ἐν μοισοπόλων οἰκίᾳ nos jam Diall. I. p. 269 (cf. II. p. 546) nihil addentes nihilque mutantes præter ordinem verborum in hunc versum prava crasi liberum redegeramus: οὐ γάρ οἰκίᾳ ἐν μοισοπόλων θέμις.

Fr. 73 (69). κατθάνοισα δὲ κείσῃ οὐδ' ἔτι τις μναμοσύνα σέθεν
ἔσσετ' οὐδέποτ' εἰς ὕστερον.

Apud Stobæum est κείσεαι οὐδέποτε μν., quod propter sequens οὐδέποτε ferri nequit; apud Plutarchum κείσεαι οὐδέ τις μν., unde Spengelius elicuit οὐδ' ἔτι τις. At apparet mature lectionem dubiam fuisse. Aliud corruptelæ vestigium est in κείσεαι, quæ forma in synizesi vix servata esset. Postremo κατθάνοισα κείσεαι i. e. *mortua jacebis* cf. κεῖται θανὼν Æsch. Pers. 317 et sæpe solum κεῖσθαι, parum aptum est, quum ea sors omnes homines maneat, non γυναῖκα ἀπαίδευτον præ aliis. Itaque corrigo:

κατθάνοισα δ' ἐπεὶ κείσεαι, οὐ μναμοσύνα σέθεν
ἔσσετ' οὐδέποτ' εἰς ὕστερον.

Quum syllaba πει casu excidisset, versus lacuna imperitius expleta est.

Fr. 83 (83). ἁ δ' ἀμφοτέρων κρᾶσις ἔχει εὐδαιμονίας τό γ' ἄκρον Ita Bergkius ex ingenio pro ἡ δ' ἐξ ἀμφοτέρων κρᾶσις εὐδαιμονίας ἔχει τὸ ἄκρον, quæ non Sapphonis verba esse, sed scholiastæ Pindarici, docuimus in Mus. Rhen. p. 399.

Fr. 102 (51). ὁ μὲν γάρ κάκος, ὅσσον ἴδην πέλεται ἄγαθος, p. 17
ὁ δὲ κἄγαθος αὔτικα καὶ κάλος ἔσσεται.

Bergkius e conj. addidit ἄγαθος, quum Hermannus ἔσσεται pro ἔσται scripsisset. Nos l. l. facillima mutatione scripsimus πέλετ' αἶι i. e. ἀεί, simul ἔσται servantes.

Præterea ipsi Schneidewinum sequuti Sapphoni pravam crasin dedimus:

Fr. 110 (59). οὐκέτι σ' ἥξω, οὐκέτι σ' ἥξω .....

secundum Demetrii verba οὐκέτι ἥξω πρὸς σέ, οὐκέτι ἥξω. Bergkius edidit οὐκέτι σ' ἥξω ..... ὦ πάρθενε, σ' οὐκέθ' ἥξω, quanquam Virginitas alloquitur puellam non amplius virginem. Proposuerim:

A. παρθενία, παρθενία, ποῖ με λίποισ' ἀποίχεαι;
B. οὐκέτι σ' εἴξω [πάλιν, ὦ παῖ, πάλιν] οὐκέτ' εἴξω.

εἴξω Æolice pro ἥξω cf. Diall. II. p. 542.

Apud Anacreontem fr. 16 (9) Bergkius edidit:

οἶνον δ' ἐξέπιον κάδον, νῦν δ' ἁβρῶς ἐρόεσσαν
ψάλλω πηκτίδα τῇ φίλῃ κωμάζων παϊδὶ ἁβρῇ.

Hermannum sequutus; libri παιδὶ, παιδί', ποδί'. Schneidewinus Beitr. z. Krit. d. Poëtt. Lyr. p. 123 synizesin jure damnans παῖδ' ἁβρῇ scribi jubet. At bisyllabi casus vocis παῖς nunquam, ne apud Æoles quidem, diæresin patiuntur. Hermanno judice elegantius foret πόδας ἁβρῇ. Eundem sensum restitue levissima mutatione scribens πεδί' ἁβρῇ. Nam πεδίον est inferior pars pedis, vid. Poll. 2, 197, quæ hic eo aptius pro toto pede nominari poterat, quod in illa potissimum elegantia pedis spectatur. Eundem vocis usum agnosco in Æschyleo βοὰ πεδιοπλόκτυπος Sept. 83, quod incredibilem in modum interpretantur "sonitus ab ungulis campum quatientibus aut sonus "a campis editus, qui equorum ungulis quatiuntur." Intellige fussbufstampfendes Geräusch.

Apud Simonidem fr. 50 (9) Bergkius Schneidewini Delectum sequutus retinuit vulgatam:

κυανέου ἐξ ὕδατος ἅλλοντο καλᾷ σὺν ἀοιδᾷ

metro præscripto crasin postulans. Aliquanto tolerabilior

esset aphæresis κυανέον 'ξ ὕδατος vid. infr., sed præfero hiatum Pindari exemplo excusatum.

Apud Pindarum Boeckhius, quem Bergkius et Schneidewinus sequuti sunt, ter pravam crasin invitis libris edidit, quod poëta breviore forma θέλω, quam libri tenent, non usus esset: Ol. II. 107 λαλαγῆσαι ἐθέλων, Pyth. X. 5 'Ιπποκλέᾳ ἐθέλοντες, Isthm. V. 40 θυμῷ ἐθέλων. Quartum locum addidit Bergkius Nem. X. 84 lacunam e Schmidii conjectura supplendo: Οὔλυμπον [κατοικῆσαι] ἐθέλεις. Quibus in locis, si forma θέλω jure damnetur, aphæresin statui posse infra apparebit. Præterea in editione Bergkiana hæc crasis illegitimæ exempla reperiuntur:

Ol. XIII. 7. Δίκα καὶ ὁμότροπος εἰράνα ταμίαι ἀνδράσι πλούτου.

Auctore Boeckhio omnes ταμίαι ἀνδράσι per synizesin coalescere volunt. Quod quum fieri nequeat neque tamen corruptelæ ullum vestigium extet, syllabas ιαι in syllabam positione correptam coire existimaveris ut in exemplis supra ad Hom. Il. β'. 651 congestis. Aliam tamen suspicionem mox ad Pyth. XI. 54 proponemus.

Pyth. I. 56. οὕτω δ' 'Ιέρωνι πέλοι ὀρθωτὴρ θεός.

Ita Bergkius ex ingenio pro θεὸς ὀρθωτὴρ πέλοι, ne monosyllabum θεὸς corriperetur; Hermannus eadem de causa conjecit 'Ιέρωνί τις ὀρθωτὴρ πέλοι, parum probabiliter. Et ipse illam correptionem non tolero; nam quod τεόν apud Praxillam pro brevi syllaba fuit, inde excusationem habet, quod antiquum τεός etiam vulgo in monosyllabum σός abiit. Corrigo autem, sententiæ simul perspicuitati consulens, in hunc modum: p. 18

νῦν γε μὰν τὰν Φιλοκτήταο δίκαν ἐφέπων
ἐστρατεύθη· σὺν δ' ἀναγκαίᾳ φίλον
καί τις ἐὼν μεγαλάνωρ ἔσανεν. φαντὶ δὲ Λαμνόθεν
ἕλκει τειρόμενον μεταναάσσοντας ἐλθεῖν
ἥρωας ἀντιθέους Ποίαντος υἱὸν τοξόταν,
ὃς Πριάμοιο πόλιν πέρσεν, τελεύτασέν τε πόνους Δαναοῖς
ἀσθενεῖ μὲν χρωτὶ βαίνων, ἀλλὰ μοιρίδιον ἦν.
οὕτω δ' 'Ιέρων. θεὸς ὀρθωτὴρ πέλοι
τὸν προσέρποντα χρόνον, ὧν ἔραται καιρὸν διδούς.

"Ita etiam Hiero" sc. quamvis corpore invalidus sicut Philoctetes hostes vicit.

Pyth. V. 17. *ἔχεις συγγενὲς*
*ὀφθαλμῷ αἰδοιότατον γέρας.*

Ita Bergkius e conjectura etiam sententiæ nomine a Schneidewino rejecta. Libri *ἔχει συγγενὴς ὀφθαλμὸς αἰδοιέστατον γέρας*, quæ retinuit Boeckhius, nisi quod metri causa cum Schmidio *αἰδοιότατον* scripsit. Hermannus probabilem sensum suo jure desiderans præterea *ἔχει* mutavit in *ἐπεί*, quam conjecturam neque perspicua sententia neque apta commendatam Schneidewinus calidius ut eximiam recepit. Fugit criticos, *αἰδοιέστατον* alio modo corrigendum esse. Versuum igitur distributionem Hermannianam cum Schneidewino probantes locum in hunc modum constituimus:

*σὲ δ' ἐρχόμενον ἐν δίκᾳ πολὺς ὄλβος ἀμφινέμεται·*
*τὸ μὲν ὅτι βασιλεὺς*
*ἐσσὶ μεγαλᾶν πολίων,*
*ἔχει συγγενὴς*
*ὀφθαλμὸς*
*αἰδὼς, ἐρατὸν γέρας*
*τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί·*
*μάκαρ δὲ καὶ νῦν κ. τ. λ.*

Pro accusativo *ὀφθαλμός* licet, si quis mavult, *ὀφθαλμούς* rescribere. "Tu felicissimus es; partim quoniam magnarum "urbium rex es, reverentia ingenita (a patribus per heredi- "tatem accepta) oculos tenet, gratum hoc donum tuo animo "se insinuans etc." Egregie veneratio regiæ majestatis in vultu conspicua comparatur cum donis, quæ ab iis quibus aditus ad regem dabatur, offerri solebant. Animadverte autem, nunc demum verba *μιγνύμενον φρενί*, quæ in varias explicationes torserunt, satis intelligi posse.

Pyth. XI. 54,
*ξυναῖσι δ' ἀμφ' ἀρεταῖς τέταμαι· φθονεροὶ δ' ἀμύνονται*
*ἄτᾳ, εἴ τις ἄκρον ἑλὼν ἀσυχᾷ τε νεμόμενος αἰνὰν ὕβριν*
*ἀπέφυγεν·*

Ita Bergkius post Boeckhium ex ed. Rom., vulg. *ἀμύνοντ' ἄτᾳ*. Schneidewinus Hermanno auctore edidit *ἀμύνονται | ἆται εἴ τις* nulla fere mutatione et aptissimo sensu, sed intolerabili synizesi non remota. Quare locum supra commemoratum Ol. XIII. 7, ubi verba *ταμίαι ἀνδράσι* hoc metrum efficiunt ◡ ◡ – ◡ ◡, com- p. 19

parantibus suspicio suboritur, Pindaro licuisse in nominativo declinationis primæ diphthongum elidere non minus quam Homero in ὀξεῖ' ὀδύναι Il. λ'. 272, qui locus conjecturis parum probabilibus frustra tentatus est. Noli existimare, e Charybdi in Scyllam incidi. Nam crasis in talibus ipsi naturæ adversatur; elisionem diphthongi nihil vetat nisi communis Græcorum consuetudo. Latini quasvis vocales longas et diphthongos vulgo elidunt; Græcorum poëtarum plerique diphthongum αι in terminationibus passivi; rarius eadem elisionem patitur in infinitivis, ut τυμβοχοῆσ' Hom. Il. φ'. 323, quod rectissime vindicavit Bekkerus, Aristoph. Nub. 523. 550 ἀναγεῦσ' et ἐπεμπηδῆσ', Av. 1340 εἶν' ἄγγελος all., et in imperativo aoristi 1 med. Pax. 392 χάρισ', 906 θᾶσ', denique in vocula καὶ in scolio Harmodium et Aristogitonem celebrante. Quis igitur contenderit, ejusdem diphthongi elisionem in terminatione declinationis primæ, ubi æque quoad accentum unius moræ loco est, Græcæ linguæ ingenio repugnare? Et videtur hoc elisionis genus ad Homerum et Pindarum e dialecto Æolica manasse. Nam Æoles barynticos eaque de causa cum Latinis ad extremas syllabas corripiendas pronos consentaneum est majore elidendi licentia usos esse. Cujus rei in exiguis poëtarum Lesbiorum reliquiis unum certe documentum superstes est. Nam apud Alcæum fr. 87 Schn. et Sapphonem fr. 102 ἔμ' αὔτῳ et ἔμ' αὔτᾳ per elisionem efferenda esse docet Apollonius de Pron. p. 103, quum in his παράθεσιν agnoscit: vid. Diall. I. p. 126; Homerus et tragici tantum encliticarum μοι et σοι raram elisionem norunt.

Pyth. XII. 12. εἰναλίᾳ τε Σερίφῳ αὐτοῖσί τε μοῖραν ἄγων.

Ita Bergkius e conjectura, libri εἰναλίᾳ Σερίφῳ λαοῖσί τε. Boeckhius cum Hermanno τε inserens λαοῖσι bisyllabum esse voluit. Quod quum vix ferri posse videatur, Hermannus olim proposuit Σερίφῳ τοῖσί τε, nuper (egregie Schneidewino judice) εἰναλίᾳ τε πέτρᾳ λαοῖσί τε. Nobis alia latere videntur:

τὸν παρθενίοις ὑπό τ' ἀπλάτοις ὀφίων κεφαλαῖς
ἄϊε λειβόμενον δυσπενθέϊ σὺν καμάτῳ,
Περσεὺς ὁπότε τρίτον ἄνυσσεν κασιγνητᾶν μέρος.
εἰναλίᾳ τε Σερίφῳ λᾶος ἴ μοῖραν ἄγων
ἦτοι τότε θεσπέσιον Φόρκοιο μαύρωσεν γένος

λυγρόν τ' ἔρανον Πολυδέκτᾳ θῆκε ματρός τ' ἔμπεδον
δουλοσύναν τό τ' ἀναγκαῖον λέχος,
εὐπαράου κρᾶτα συλάσαις Μεδοίσας.

Quum λᾶος ἵ in λαοῖσι abisset, τε transpositum est. Præterea in vs. 13 τότε scripsimus pro τό τε, et majorem incisionem posuimus post vs. 11, delevimus post vs. 12. Pronomen ἵ, de quo grammaticorum testimonia frequentia sunt, teste Apollonio de Pron. p. 330 extabat in Sophoclei Œnomai fragmento misere corrupto ει μεν ωσει θασσονα ειδως ειτεκοι παιδα et Bekkeri conjectura Platoni restitutum est Symp. p. 175 C. et 223 D. Corripi testatur Draco p. 106, 14. Emendatione nostra, nisi fallimur, etiam sententiarum ordini consultum est. Duas res Perseus capitis Gorgonei ope perfecit: Seripho saxeam sortem attulit et Polydecten ultus est. Jam poëta in utroque membro de Medusæ cæde loquitur orationem arte ita varians, ut in priore hanc ipsam cædem, in altero Polydectis fatum narrare videatur. Ceterum ἤτοι mediæ sententiæ insertum iterum legitur vs. 29, ubi Schneidewinus quo sensu ἤτοι scripserit, non satis perspicio.

Aliud illegitimæ crasis exemplum Boeckhius, quem Schneidewinus dubitanter sequutus est, e conjectura Pindaro dedit:

Nem. X. 15. Τηλεβόας ἔναρεν καί οἱ ὄψιν ἐειδόμενος

οἱ ὄψιν coalescere jubens. Libri ἔναρεν, τί οἱ. Hermannus p. 20
olim conjecerat ἔναρεν. τῷ δ' ὄψιν, quod Bergkius recepit: idem postea ἔναρεν. οἳ ὄψιν. Equidem suspicor:

θρέψε δ' αἰχμὰν Ἀμφιτρύωνος. ὁ δ' ὄλβῳ φέρτατος
ἵκετ' ἐς κείνου γενεάν, ἐπεὶ ἐν χαλκέοις ὅπλοις
Τηλεβόας ἐναρόντ' ὄψιν οἱ ἐειδόμενος
ἀθανάτων βασιλεὺς αὐλὰν ἐσῆλθεν

Dativi iota elisum (cf. Ol. VIII. 52. IX. 112) scriptum erat ut sæpe in libris Homericis; οἱ ab iis transpositum est, qui digammi vi syllabam antecedentem produci ignorarent. Ejusmodi productio præterea est in τοιοῦτον ἔπος Isthm. VI. 42, ut Heynius recte scripsisse videtur, quum in libris sit τοιοῦτόν τι ἔπος, τοιοῦτόν τ' ἔπος, quod recentiores editores auctore Hermanno in τοιοῦτόν γ' ἔπος mutarunt. Cur productio per digamma, quam frequentat Homerus nec spreverunt Alcman

aut ipse Epicharmus vid. Diall. II. p. 41. 44, a Pindaro abjudicetur, nihil excogitari potest.

Theognidem quoque ejusmodi crasi ditavit Bergkius:

vs. 573. *εὖ ἔρδων εὖ πάσχε· τί κ' ἄγγελον ἄλλον ἰάλλοις;*
*τῆς εὐεργεσίης ῥηΐδίη ἀγγελίη.*

codicem O sequutus; optimus A *ῥηιδιαγγελίη*, vulgo *ῥηδίη ἀγγελίη*. Quum in antiquo codice casu *η* excidisset (nam iota mutum haud raro adscribitur), recentiores librarii rectissime errorem correxerant, quorum lectionem cur Bergkius spreverit, ægre intelligitur; nam contracta forma legitur etiam vs. 1220 *ῥᾴδιον* et 1370 *ῥῇτερον*.

Paucissima pravæ crasis exempla in tragicis reperiuntur. Apud Æschylum in editione Dindorfiana nullum legitur præter Choëph. 195 *φεῦ. εἴθ' εἶχε*, ubi *φεῦ* extra versum est ut sæpissime. Nihil ejus generis apud Sophoclem relictum est. Nam Aj. 1284, ubi Wunderus e Doederleini conjectura ediderat *τοῦ σοῦ‿αὐθομαίμονος* (libri *τοῦ σοῦ γ' ὁμαίμονος*) Dindorfius bene correxit *τοῦ σοῦ ξυναίμονος*; deinde Phil. 554 *ἀμφὶ σοὔνεκα βουλεύματα*, quod olim Hermannus probaverat, nunc ab ipso ut a reliquis ex egregia Aurati conjectura in *ἀμφὶ σοῦ νέα βουλεύματα* mutatum est; ibid. 933, ubi Elmsleio auctore scriptum erat *τὸν βίον μή μἀφέλῃς*, quod pro *μου ἀφέλῃς* esset, Hermannus edidit *τόν βίον με μὴ 'φέλῃς*, Dind. *τὸν βίον με μἀφέλῃς*, recte crasin postulans, nisi quod potius *μὴφέλῃς* scribendum est. Postremo crasis *φεῦ. ἔστιν* Œd. C. 1670 Hermanno auctore expulsa interjectione sublata est. Apud Euripidem unus locus restat:

Rhes. 679. *οὔ σε χρὴ εἰδέναι· θανεῖ γὰρ σήμερον δράσας κακῶς.*

At ita solus Harl., quum reliqui libri exhibeant *οὐ χρή σ' εἰδέναι, οὐ χρὴ (χρῆν) εἰδέναί σε, οὐκ ἐχρῆν σ' εἰδέναι*, Havn. *οὔ σ' ἐχρῆν εἰδέναι*. Versus Ulyssi tribuitur, cui alteram partem minime convenire intellexit Matthiæ, neque multo aptius Ulyssi custodes fallere cupienti ferox prioris partis responsum. Itaque codicem Havniensem reliquis meliorem sequutus corrigo: *οὔ σε χρῆν δῦναι κ.τ.λ.*, ut verba sint chori aut hemichorii: "non debebas irrepere in castra."

Paullo plures crases illegitimæ sunt apud Aristophanem. In Ran. 141 *φεῦ. ὡς μέγα* interjectio est extra versum. Deinde

Eqq. 373. ΚΛ. τὰς βλεφαρίδας σου παρατιλῶ.
ΑΛΛ. τὸν πρηγορῶνα σοὐκτεμῶ.

crasis a Dindorfio profecta est; recte vulgo per aphæresin σοῦ 'κτεμῶ, nisi quod σου scribendum. Item Thesm. 761, ubi Dind. παῖδα σοὐξηρήσατο, ol. σοῦ 'ξηρήσατο, lege σου 'ξηρήσατο, p. 21 nisi pro σοι ἐξηρήσατο accipere velis. Nam genitivi μου et σου crasin non tolerant; in ἵνα συμποιῶ σοὔπισθεν Thesm. 158, quod Brunckius pro σοῦ ὄπισθεν esse putabat, agnosce σοι ὄπισθεν et in οὐχ ἥκει μοὐταῖρος Eccl. 913 aut μοι ἑταῖρος aut fortasse rectius μοι ὁ ἑταῖρος. Tum Plut. 736 Dindorfius male edidit ὡς γ' ἐμοὐδόκει invitis libris; recte vulgo ὡς γ' ἐμοὶ 'δόκει. Idem de suo dedit

Ran. 509. περιόψομἀπελθόντ', ἐπεί τοι καὶ κρέα

quum vulgo legatur περιόψομαι ἀπελθόντ'. Aphæresin περιόψομαι 'πελθόντ' ferri posse infra apparebit. Item pro

Eqq. 1373. οὐδ' ἀγορασἀγένειος οὐδεὶς ἐν ἀγορᾷ

ut Dind. scripsit pro librorum lectionibus ἀγοράσεί τ' ἀγένειος, ἀγοράσει δ' ἀγένειος, ἀγοράσεί γ' ἀγένειος, legendum videri ἀγοράσει 'γένειος mox docebimus. Postremo Dind. e conjectura edidit

Pax 253. οὗτος, παραινῶ σοι μέλιτι χρῆσθἀτέρῳ

pro παραινῶ μέλιτι χρῆσθαι θατέρῳ, quod libri plerique pronomen σοι in Aldina omissum addant, neque articulus aptus esse videatur. Brunckius paullo probabilius scripserat σοι μέλιτι χρῆσθαι 'τέρῳ; sed ne aphæresin quidem ferri posse infra docebimus. Nobis articulus non sollicitandus esse videtur; θάτερον μέλι est "mel deterius," quod opponitur bono Attico, ut sæpe τὸ ἕτερον τῷ ἀγαθῷ. At librorum lectio indicio est poëtam scripsisse:

οὗτος, παραινῶ σοι μέλι χρῆσθαι θατέρῳ.

Dativum μέλι apud Philoxenum dithyrambicum fr. 2, 17 et fr. 3, 17 Bergk. restituerunt Bergkius et Meinekius cf. Comicc. III. p. 642.

In reliquis Comicis Meinekius hæc crasis illegitimæ exempla edidit: primum apud Cratetem ex Athen. VI. p. 268 A (Vol. II. p. 238)

ἀλλ' ἀντίθες τοι· ἐγὼ γὰρ αὐτὰ τἄμπαλιν

secundum cod. A, τοὐγώ pronuntiari jubens. Quod quum, interpunctione intercedente, nulla arte fieri possit, potius per

aphæresin τοι'γὼ scribi oportet. Nec rectius apud Strattidem in Scholl. Vesp. 1337 idem Vol. II. p. 778 pro ἐγὼ δὲ τοὐπίνικος conjecit ἐγῷδά τοὐπίνικος i. e. ἐγῶδά τοι, Ἐπίνικος. Lege

ἐγὼ δέ γ', οὑπίνικος ὀργισθεὶς ἔφη,
τῷ στόματι δράσω τοῦθ' ὅπερ χοἱ Λέσβιοι.

i. e. ὁ Ἐπίνικος. Postremo Platoni comico ap. Athen. XIV. p. 644 A Meinekius præeunte Dindorfio dedit:

ἄσπλαγχνος ἐνιαυτίζομἀπλάκουντος, ἀλιβάνωτος

h. e. ἐνιαυτίζομαι, ἀπλάκουντος, ut libri habent. Aphæresin ἐνιαυτίζομαι, 'πλάκουντος statui posse infra docebitur. Reliquos poëtas perlustrare aut errores ab aliis criticis et grammaticis in hoc genere commissos castigare non vacat.

## *De Aphæresi.*

Vulgo inter crasin et aphæresin parum accurate distinguitur; vide modo Wolfium l. l. et Reisigium in Synt. Crit. p. 21 seqq. omnia miscentes. Buttmannus Gramm. I. p. 115. 127 adeo expressis verbis negavit unquam aphæresin fieri, ad crasin referens, quæcunque aphæresis exempla habita essent. Quem gravissimi erroris hoc unum satis superque convincit, quod aphæresis etiam post interpunctionem fit, qua crasin p. 22
prorsus impediri docuimus, ut Soph. Phil. 591 λέγω· 'πὶ τοῦτον, Eur. Rhes. 157 ἥξω· 'πὶ τούτοις, Aristoph. Nub. 1354 φράσω· 'πειδὴ γὰρ κ.τ.λ.

Aphæresis igitur est vocalis initialis elisio vel, ut accuratius dicamus, deminutio, qua efficitur ut neque hiatum creet neque moræ vicem sustineat. Facile enim apparet, quæ de elisione diximus, eadem in aphæresin cadere. Hac voces non conjungi qua pronuntiationem syllabatim factam, docet interpunctio sæpius intercedens; vocalem non sic tolli, patefaciunt exempla ut ἀποδώσω 'ντελῆ, ὀφθαλμὼ 'κκοπῇς. Quis enim pronuntiare potest ντελῆ, κκοπῇς? Multo autem arctioribus finibus circumscripta est aphæresis quam elisio. Primum enim nunquam fit post breves vocales, cujus legis causas hic exponere non licet. Deinde non quasvis breves vocales aphæresin pati, recte intellexit Elmsleius ad Heracl. 460, qui quum docet solum ε in certis quibusdam vocibus aphæresin admittere, in eo tantum errat, quod correpto α nusquam aphæresin concedit;

neque accuratius descripsit, quæ sint illæ voces aphæresis facultate instructæ. Apparet autem, eo facilius aphæresin fieri potuisse, quo levior fuerit et tenuior vocalis initialis pronuntiatio. Et accurate inquirendo intelligitur, primum epsilon initiale, ubi a parte Græcorum prorsus abjiceretur, apud alios deminutionem illam aphæresis tolerare, ut in augmento syllabico, in ἐκεῖνος et ἐθέλω; deinde præpositiones ἐπί, ἐξ, ἐν, ἀπό, voculas leves et ad sequentia properantes eandem vocalis deminutionem admittere, quo accedit pronomen ἐγώ, quod similis naturæ est, et α privativum, de quo infra dicetur; postremo eandem licentiam transferri ad voces quasdam, quæ cum præpositionibus ἐπί et ἐν cohærent, ut ἐπειδή, ἔπειτα, ἔνδον, ἐνθάδε, ἐνταῦθα, ἐντεῦθεν. Neque tamen omnibus eadem licent, sed licentiæ gradus quidam secundum ætates et genera reperiuntur. Quærenti vero quid vel omnibus vel singulis quibusque licuerit, iis tantum exemplis utendum esse patet, quæ non possint nulla literarum mutatione in legitimæ crasis formam redigi, ut ὦ 'ναξ in ὦναξ, τοῦ 'μοῦ in τοὐμοῦ. Librorum enim in hac re nulla auctoritas est.

Apud Homerum hodie nusquam aphæresis indicata reperitur, neque apud Pindarum præterquam in vocativis post ὦ ut Isthm. I. 6 ὦ 'πολλωνιάς, IV. 6 ὦ 'νασσα, ubi Boeckhius, quum ipse crasin fieri vellet vid. Metr. p. 290, Nott. p. 413. 470, ὠπολλωνιάς, ὤνασσα scribere debebat. At, si Aristarchus recte damnavit breviorem formam θέλειν, si recte eandem apud Pindarum Boeckhius, utrique justa aphæresis in ἐθέλειν concedenda est, ita ut Il. α'. 277 scribatur Πηλείδη 'θέλ', Ol. II. 107 λαλαγῆσαι 'θέλων, P. X. 5 Ἱπποκλέᾳ 'θέλοντες, Isth. V. 40 θυμῷ 'θέλων. Nam crasin in his tolerari non posse docuimus. Nec negaverim fieri potuisse, ut in hac una voce Homero et Pindaro vocalis initialis ea esset, quæ per aphæresin quidem deminui posset, non autem prorsus abjici sicut apud eosdem augmentum syllabicum et ε in ἐκεῖνος. Verumenimvero res valde dubia est. Quum enim Homerus Ionicam dialectum temperaverit Æolica et θέλω apud Alcæum fr. 54 et Sapphonem fr. 26 B. certum sit, quumque præterea a recentioribus rhapsodis multa illata et mutata esse constet, brevior forma θέλω contra vulgarem poëtæ usum semel tradita potius notanda esse videtur quam expellenda. Neque in unico illo

loco Aristarchus breviorem formam emigrare jussit. Huic enim secundum scholia Harleiana in Od. ο'. 317 debetur lectio ὅ,ττ' ἐθέλοιεν, nec fere dubito, quin in antiquis libris invenerit ὅ,ττι θέλοιεν, quam lectionem omnes codices Vindobonenses servarunt. Pronominis autem ὅ,τι elisio, quanquam excusari potest vid. supr., tamen etiam magis solitaria est quam esset forma brevior θέλω. Deinde apud Pindarum, qui Doricam dialectum miscuit epica et Æolica, Boeckhius ad Pyth. I. 62 et de Crisi Pind. §. 44 reliqua quidem brevioris formæ exempla facilioribus mutationibus expulit, sed Pyth. II. 69 pro θέλων coactus fuit ἑκών reponere (quod scholiasten legisse parum certum est) et in loco lacunoso Nem. X. 84 Benedicti supplementum scholiorum verbis commendatum et metro aptissi- p. 23 mum Οὔλυμπον θέλεις [οἰκεῖν ἐμοὶ] σύν τ' Ἀθαναίᾳ spernere. Itaque et Homero et Pindaro, huic quidem cum Hermanno vid. ed. Heyn. nov. ad Nem. X. extr., θέλειν reliquerim. Ceterum reliqui poëtæ lyrici Doricæ sectæ cum Pindaro aphæresin aspernati esse videntur.

Contra lyrici Æolici et Ionici aliquoties aphæresi in præpositione ἐπί usi deprehenduntur: Sapph. fr. 2, 15 ὀλίγω 'πιδεύην, Anacr. fr. 22 ἐκ ποταμοῦ 'πανέρχομαι, Archil. fr. 20 (ubi etiam de crasi cogitare licet) καὶ δὴ 'πίκουρος. In augmento, ἐκεῖνος, ἐθέλω aphæresis spectari non potest, quia breviorum formarum usus licebat. Alia aphæresis exempla, quæ nunc leguntur, falsa sunt. Omittimus ὦ 'ναξ Alc. fr. 1 et similia, quæ facillime in justam crasin mutantur; at gravior error est in

Sapph. 78 (66). ἀσαροτέρας οὐδάμα πω, 'ραννα, σέθεν τύχοισα.

ut ediderunt Schneidewinus et Bergkius auctore Hermanno, cui in πω 'ραννα Blomfieldius præiverat. Libri ἀσαροτέρα σοῦ δ' ἄμ' ἐπωρ., unus codex σουδαμά πωρανα. Verior est altera Hermanni emendatio ἀσαροτέρας οὐδάμ' ἔπ', ὦ 'ραννα, σέθεν τύχοισα, quam probavimus Diall. II. p. 546, quum antea οὐδάμ' ἔτ' ὦ 'ραννα conjecissemus. Scribe autem ὤραννα. Deinde ipsi peccavimus, quum apud Sapphonem fr. 87 (77) proposuimus

ἐμφέρην ἔχοισα μόρφαν, Κλέϊς μόνα 'γαπάτα

(libri κλεΐς ἀγαπατὰ), vulg. auctore Nevio Κλᾶϊς ἀγαπάτα contra metrum ab Hephæstione accurate descriptam. Nunc suspicor Κλέηϊς, ut hæc sit alia forma nominis Κλέϊς, quod a κλέος derivo cf. Ἀνθίς et Ἀνθηΐς ab ἄνθος. Hoc enim teneo, male

apud Suidam filiam Sapphus appellari Κλείς et pejore errore ejusdem matrem in epigrammate ante scholia Pindarica Κλῆΐς i. e. Clavis.

Apud Tragicos aphæresis in ἐκεῖνος et ἐθέλω apparere non potest, quoniam promiscue brevioribus formis utuntur. Conspicitur tamen in ἐθελοντής, deinde sæpe in augmento syllabico, tam in præpositionibus ἐπί et ἐξ, semel in ἀπό. Exempla ex ordine videamus:

*a*) Frequens est augmenti aphæresis in trimetris et anapæstis: Æsch. Sept. 608 παγκοίνῳ 'δάμη, Pers. 592 ἥκω· 'τάχυνα (ubi Dind. nunc cum Blomf. præfert v. l. τάχυνε), Soph. Aj. 235 ἔσω 'σφάζ', 300 κάρα 'θώϋξεν, 500 ἐξ οἵου 'τράφης, 1275 κείνῳ 'δωκεν, Ant. 455 ἐξ ὅτου 'φάνη, Phil. 358 ἐπεὶ 'δάκρυσα, Trach. 378 Ἰόλη 'καλεῖτο, 551 μισθοῦ 'πόρευε, 763 δὴ 'βόησε, Eur. El. 1128 αὐτή 'λόχευον. In ῥήσεσι ἀγγελικαῖς Dindorfius alios secutus simillima exempla non ad aphæresin, sed ad augmenti omissionem retulit: Æsch. Pers. 310 νικώμενοι κύρισσον, 490 πλεῖστοι θάνον; Sept. 459 ἐξ ὑπτίου πήδησεν, Soph. Œd. C. 1602 ταχεῖ πόρευσαν, 1608 πεσοῦσα κλαῖον, Trach. 905 ἐρήμη, κλαῖε. In iisdem enim nuntiorum narrationibus augmentum syllabicum omittitur etiam ubi aphæresis fieri non posse videtur, de qua re post alios diligenter egit Matthiæ Gramm. p. 293 seqq., recte docens, præter illa exempla, quæ ad justam aphæresin referre liceat, augmentum syllabicum in tragicorum trimetris non omitti nisi in ῥήσεσι ἀγγελικαῖς, neque hic ubivis, sed tantummodo in versuum initio et semel in medio versu post graviorem interpunctionem. Exempla hæc reperiuntur: Æsch. Pers. 376 τροποῦτο, 416 παίοντ', 458 κυκλοῦντο, 506 πῖπτον, Choeph. 738 θέτο in oratione nutricis, ubi legendum θέτο σκυθρωπὸν ὀμμάτων, ἐντὸς γέλων κεύθουσα (pro ἐντὸς ὀμμάτων) cf. v. 100, Soph. El. 715 φορεῖθ', 716 φείδοντο, Œd. R. 1249 γοᾶτο, Œd. C. 1606 κτύπησε, 1607 ῥίγησαν, 1624 θώϋξεν, Trach. 904 βρυχᾶτο, 915 φρούρουν, Eurip. Hec. 1153 in Polymestoris regis narratione θάκουν (v. l. θακοῦσ'), Bacch. 767 νίψαντο, 1066 κυκλοῦτο, 1084 σίγησε et in medio versu 1134 ἀρβύλαις· γυμνοῦντο δέ. Unde autem hanc augmenti omittendi licentiam his finibus circumscriptam a tragicis petitam esse putemus? Epicæ linguæ imitationem agnoscunt. At tum nocte obscurius, cur neque augmentum temporale unquam omissum sit, neque syl-

labicum nisi post graviores pausas. Satis, opinor, ex ea lege p. 24
apparet, vocalis ε omissionem cum difficultate quadam pronuntiationis conjunctam fuisse, quæ nisi pausa antecedente superari non posset. Ergo vocalis non prorsus omittebatur, sed deminutionem quandam patiebatur ei similem, qua justam aphæresin contineri diximus. Augmentum igitur syllabicum quum apud epicos et lyricos tam debile fuisset, ut ubivis pro nihilo esse posset, postea vero apud poëtas Atticos vulgo justam aphæresin toleraret, in his *ῥήσεσι ἀγγελικαῖς* medius quidam debilitatis status conspicitur. Hunc conjicio tragicos ex antiquissima Atthide assumpsisse, ut narrationes *πάθους* plenas antiquo quodam colore tingerent. Recte autem Brunckius in talibus spiritus signum præfixerat ut *'παίοντ', 'φρούρουν*, quo aptissime, sicut in justa aphæresi, deminuta vocalis significatur; neque in *ῥρίγησαν*, quomodo pro *ῥίγησαν* Œd. C. 1607 scribi oportet, plus offensionis est quam in Aristophanea aphæresi *'κκοπῆς*. Multo etiam magis in iis exemplis, quæ ad justam aphæresin referri possunt, spiritu apposito opus est.

*b*) *'Εθελοντής* aphæresin patitur Soph. Aj. 24 *κἀγὼ 'θελοντής*. Nam brevior forma *θελοντής* non in usu est.

*c*) Sæpissime præpositio *ἐπί* aphæresi afficitur, adeo post interpunctionem Soph. Phil. 591 *λέγω. 'πὶ τοῦτον*, Eur. Rhes. 157 *ἥξω· 'πὶ τούτοις*, Iph. A. 719 *μέλλω· 'πὶ ταύτῃ*; præterea, ubi non magis crasis fieri potest, Æsch. Pers. 527, Soph. Aj. 49, El. 333, Œd. R. 215, Eur. Med. 1065, Andr. 352. 1123. 1223, El. 614, Bacch. 1358, Hel. 547. 774. 842. 989, Iph. T. 471, Iph. A. 813, Cycl. 703; postremo in compositis Æsch. Ch. 161 *βέλη 'πιπάλλων*, Œd. R. 708 *ἐμοῦ 'πάκουσον*, Œd. C. 557 *θέλω 'περέσθαι*, Eur. Suppl. 521 *εἰ 'πιταξόμεσθα*, El. 72 *μόχθον 'πικουφίζουσαν*, 854 *κάρα 'πιδείξων*, Rhes. 674 *σκηπτοῦ 'πιόντος*, Iph. T. 256 *δὴ 'πάνελθε*, Cycl. 155 *λόγῳ 'παινῆς*.

*d*) Multo rarius aphæresis fit in præpositione *ἐξ*: Æsch. Suppl. 435 *μένει Ἄρει 'κτίνειν*[h], Soph. Œd. R. *θανὼν εἴη 'ξ ἐμοῦ*,

[h] Hoc Seidlerus de V. D. p. 12 eruit e librorum lectionibus: Med. teste Wellauero *ἄρει κτείνειν*, idem teste Dindorfio cum Guelph. Rob. *δρεικτείνειν*, Guelph. e collatione Schneidewini et Ald. *δρεικτίνειν*, Reg. L. *ἄρει κτείνειν*. Hermannus tamen, quod illa strophico versui *δίκας ἀγομέναν* parum accurate respondeant, in Annall. Vindob. Vol. C. p. 173 conjicit *μένει δορὶ τίνειν*. Equidem in stropha transpositione uti malim: *ἀπὸ βρετέων δίκας | ἀγομέναν βίᾳ*.

Œd. C. 254 ἄγοι, 'κφυγεῖν (ut Herm. recte pro ἐκφυγεῖν, Dind. φυγεῖν). Aphæresis etiam in Eur. Iph. T. 953 κἀγὼ 'ξελέγξαι et Cycl. 586 ἐγὼ 'κ' τοῦ Δαρδάνου agnoscenda est, quod pronomen ἐγώ crasi non coalescit nisi cum vocibus arctissime conjunctis: vid. infra.

*e*) Præpositionis ἀπό aphæresin passæ unum exemplum certius legitur Eur. Suppl. 639 μακροῦ 'ποπαύσω, ubi Elmsleius ad Med. 57, vocalis α unquam aphæresin fieri negans, pravam crasin μακροῦ ἀποπαύσω restitui jussit. Alia certiora exempla infra proferentur; in ἢ 'πό Soph. Trach. 239 facillime crasis statuitur, sicut Elmsleio auctore aphæresis in μὴ 'πολείπεσθαι et similibus, nec minus in ἤ 'παγε Iph. A. 817 expulsa est.

Aliarum vocum aphæreses tragici non admisisse videntur. Paullulum primum dubitaveris de præpositione ἐν, cujus aphæresis apud Aristophanem frequens est et in duobus tragicorum locis in crasin mutari nequit. At hi ipsi loci suspectiores sunt, primum

Æsch. Prom. 740. οὓς γὰρ νῦν ἀκήκοας λόγους,
εἶναι δόκει σοι μηδέπω 'ν προοιμίοις.

Si comparamus Eurip. Hec. 1195 καί μοι τὸ σὸν μὲν ὧδε φροι- p. 25
μίοις ἔχει, ubi Aldina et plerique libri invito metro ὧδ' ἐν φροιμίοις habent, gravissima oritur suspicio, in Æschyleo quoque loco præpositionem insiticiam esse. Deinde in Euripid. Menal. fr. 9 (495 Wagn.) legitur

ᾧ γὰρ θεὸς δίδωσι μὴ φῦναι τέκνα,
οὐ χρὴ 'γκαλεῖσθαι πρὸς τὸ θεῖον, ἀλλ' ἐᾶν.

ubi et medii usus pro activo ἐγκαλεῖν et constructio cum πρός offendunt. At Stobæi cod. A τλεῖσθαι, in quo latere videtur ποιεῖσθαι: "cui deus non dedit, ut ipse liberos gigneret, is non "debet deo invito alienos adoptare:" cf. πρὸς δαίμονα Hom. Il. ρ'. 98. 104. Itaque reliqua aphæresis exempla, quæ nunc leguntur, ut ἢ 'ν ἀγροῖς Œd. R. 112, ἢ 'ν ἐμοί Aj. 1315, μὴ 'νδικον Œd. R. 680, μὴ 'μβαίνῃς Œd. C. 400, μὴ 'μπολήσων Ant. 1063 etc., ad crasin referri oportet, ita ut scribatur ἦν ἀγροῖς, μῆνδικον etc.

Deinde hæseris in pronomine ἐγώ, quod apud comicos æque aphæresis facultatem habet, quum duo certe aphæresis exem-

pla apud tragicos ad crasin revocare non liceat. At in primo loco

Soph. Ant. 801. νῦν δ' ἤδη 'γὼ κἀυτὸς θεσμῶν
ἔξω φέρομαι

facillime, ut in anapæstis epicam correptionem permittentibus, restituitur ἤδη ἐγώ. In altero

Eur. El. 870. φέρ', οἷα δὴ 'γὼ καὶ δόμοι κεύθουσί μου,
κόμης ἀγάλματ' ἐξενέγκωμαι, φίλαι

sanum sensum desiderari, fuerunt qui intelligerent. Fixius e conjectura Scaligeri et Canteri, quam probaverat Musgravius, edidit δὴ 'χω, quæ aphæresis prorsus intolerabilis est. Ego suspicor οἷα κῆποι καὶ δόμοι; nam in his Euripidis fabulis paullo liberius versari licet. In reliquis locis, ubi nunc aphæresis expressa est, crasin restitui nihil vetat. De οἲ 'γώ, quod adeo contra librorum auctoritatem scriptum est, supra diximus; item de θάνω 'γὼ, τελῶ 'γὼ et similibus, in quibus ἐγώ sua potestate crasin efficere potest, quo pertinet etiam γενήσομαι 'γὼ Iph. A. 1396 a Dindorfio in γενήσομἀγὼ mutatum; nec minus de λοισθία 'γώ, μελέα 'γώ. In aliis antecedens vocula crasin appetit, ut ἢ 'γώ Œd. R. 501. 820, μὴ 'γώ Phil. 910, ἢ 'γώ Electr. 331 etc.

Verbi εἶναι aphæresin libri ter ita præbent, ut crasis non possit sine ullius literæ mutatione restitui: Soph. Phil. 812 ἐμοί 'στι, Aj. 1225 μοί 'στι et Eur. Iph. A. 828 μοί 'στιν. At ea Elmsleio auctore recte in ἐμοὔστι, μοὔστι, μοὔστιν mutata sunt. Multo igitur minus reliqua toleranda sunt, quæ nullo labore in justæ crasis formam redigi possunt, ut μή 'στι Aj. 1400, ποῦ 'στι Aj. 733, ποῦ 'στον Œd. C. 1107, πολλή 'στ' ἀνάγκη El. 309, ἤδη 'στὶ Phil. 964 etc.

Præterea Dindorfius, qui innumera pravæ aphæresis exempla e tragicis expulit, eandem in quibusdam vocibus ab ε ordientibus reliquit, quarum pars apud comicos, pars ne apud hos quidem aphæresin tolerat. At ea omnia nulla mutatione literarum ad crasin referri possunt neque ullo certo indicio apparet, tragicos aphæresis licentiam in iis ipsis vocibus habuisse. Ideo non dubitamus crasin postulare pro aphæresi in hisce: Æsch. Sept. 208 μὴ 's πρῷραν, Eur. Iph. T. 1322 μὴ 'νταῦθα, Phœn. 608 μὴ 'νθάδ', Iph. T. 1313 ἢ 'νθάδε, Soph. Phil. 467 ἢ 'γγύθεν, Aj. 742 μὴ 'ξω; deinde sæpe in pronomine primæ

personæ ut ἤ 'μοῦ Soph. El. 101, Œd. C. 588, ἤ 'μοί Ant. 736,
μὴ 'μοὶ Cycl. 187, ἢ 'μοὶ Alc. 769, ἢ 'μὲ El. 1182, Œd. R. 1479[1],
ἢ 'μαυτῷ Aj. 1367, μὴ 'μαυτῷ Œd. C. 1365, ἢ 'μὸς Æsch. Prom. p. 26
773 etc., postremo in ἢ 'λάτην Bacch. 1061, nisi hoc jam in Oxoniensi editione Euripidis, qua non utor, mutatum est. Literæ α pravæ aphæreses, quæ in Scenicorum editione a. 1830 reperiuntur, ut Æsch. Sept. 1076 μὴ 'νατραπῆναι, Eum. 85. 86 μὴ 'δικεῖν et μὴ 'μελεῖν, μὴ 'ναχαιτίσειε Eur. Bacch. 1072, μὴ 'μαθεῖ Heracl. 459 (in Euripidis editione a. 1825 melius secundum Elmsleium scriptum erat μὴ ἀναχαιτίσειε, μὴ ἀμαθεῖ) et similia, in novissima tragicorum recensione in μἀνατραπῆναι, μἀδικεῖν etc. mutata sunt; nam de Euripide e reliquis conjecturam facio. Quum igitur recte crasis restituta sit, perperam invitis libris μὴ-ἀ in μἀ juncta sunt. Unum aphæresis exemplum intolerabile, si quod aliud, etiamnunc insuspectum mansisse valde miror:

Æsch. Sept. 858. θεωρίδα,
τὰν ἀστιβῆ 'πόλλωνι, τὰν ἀνάλιον,
πάνδοκον εἰς ἀφανῆ τε χερσόν.

Ita scriptum est auctore Pauwio; libri ἀστιβῆ 'Απόλλωνι, quam crasin æque pravam revocavit Wellauerus. Nisi fallor, poëta scripserat Παιῶνι, cujus glossema est 'Απόλλωνι; Sophocles in fragmento Polyxenæ fr. 469 Dind. Acherusii lacus litora dicit ἀκτὰς ἀπαίωνας. Qua emendatione etiam sententiæ consuli videtur; nam Apollo, præterquam quatenus Pæon est, inferorum terram non magis aversatur quam reliqui dei superi.

Comicis aphæresis primum ibidem licuit, ubi tragicis, in augmento syllabico et præpositionibus ἐπί, ἐξ, ἀπό; deinde spectatur in ἐκεῖνος, quum ipsi breviore forma κεῖνος non utantur; tum accedunt præpositiones ἐν et ἐς, pronomen ἐγὼ et voces nonnullæ, quæ cum præpositionibus ἐπί et ἐν cohærent, ἐπειδή, ἔπειτα, ἔνδον, ἐνθάδε, ἐνταῦθα, ἐντεῦθεν; postremo etiam α privativum aphæresis facultatem habere videtur.

*a*) Augmentum: Nub. 65 πάππου 'τιθέμην, Eqq. 632 ὅτε δὴ 'γνων, Vesp. 501 κελητίσαι κέλευον etc., adeo in perfecto, ubi

[1] Miror quod Dindorfius Soph. Phil. 347 nunc edidit ἄλλον ἤ μ' ἐλεῖν (ol. ἢ 'μ') Wundero obsecutus, qui 'μ' a μ' pronuntiando distingui non posse opinaretur. Rectius quidem ἤμ' scribitur.

pro reduplicatione est, Eqq. 1104 πoριῶ 'σκευασμένα, cui simile exemplum apud tragicos non extat.

*b*) 'Επί: Ran. 199 ἴζω 'πὶ κώπην, Av. 77 τρέχω 'π' ἀφύας, Lys. 110 σκυτίνη 'πικουρία etc., nec minus Eccl. 1148 ἤδη 'πείξομαι, quanquam ἐπείγω non videtur vere compositum esse.

*c*) 'Eξ: Nub. 812 ἐξελῶ 'κ τῆς οἰκίας, Pax 1146 βωστρησάτω 'κ τοῦ χωρίου, Nub. 546 ζητῶ 'ξαπατᾶν, Lys. 866 αὐτή 'ξῆλθεν, Av. 1342 τὠφθαλμώ 'κκοπῇς, Eupol. Mein. II. p. 558 ἀνέμου 'ξαίφνης etc.

*d*) 'Eκεῖνος: Eqq. 1013 ἐμοῦ 'κεῖνον, Lys. 794 ἐβδελύχθη 'κεῖνος, Pax 547 ξιφουργοῦ 'κεινουί etc.

*e*) 'Eν: Ach. 729 ἀγορὰ 'ν 'Αθάναις, Pax 1084 τοῦ λοιποῦ 'ν τῷ πρυτανείῳ, Eqq. 1364 ἀποδώσω 'ντελῆ, Pax 523 'Ηρακλέα 'νεσκεύασα, Ach. 816 'Ερμᾶ 'μπολαῖε etc.

*f*) 'Eς paullo rarius: Lys. 605 χώρει 's τὴν ναῦν, Ach. 242 πρoΐτω 's τὸ πρόσθεν ex emendatione Wolfii pro πρόϊθ' ὡς, in fragmento Triphaletis ap. Athen. XII. p. 525 A (Comicc. II. p. 1164) πωλήσει 's Χίον. Item Hegemo parodus ap. Athen. IX. 406 F et XV. 699 A χώρει 's τὸν ἀγῶνα. Crasis facile restituitur in ἢ 's Ran. 186. 187. Lys. 2.

*g*) 'Eγώ: Ach. 95 et sæpe μὰ τὸν 'Απόλλω 'γὼ μὲν οὔ, Nub. 385 ἀπὸ σαυτοῦ 'γώ σε διδάξω, Ran. 495 σὺ μὲν γενοῦ 'γώ et alia, ubi crasin statui non posse apparet. Recte Ran. 971 in libris est μέντοι 'γὼ, ubi Dindorfius e conjectura edidit μεντοὐγὼ. Adeo interpunctio antecedit apud Cratetem Athen. VI. 268 A ἀλλ' ἀντίθες τοι· 'γὼ γὰρ, uti pro ἐγὼ scribendum esse supra indicavimus.

*h*) 'Eπειδή, ἔπειτα: Nub. 1354 φράσω. 'πειδὴ, Ach. 437 Εὐριπίδη, 'πειδήπερ, Vesp. 665 τρέπεται δὴ 'πειτα. p. 27

*i*) "Eνδον, ἐνθάδε, ἐνταῦθα, ἐντεῦθεν: Ran. 514 ἤδη 'νδον, Pax 1269 ἀναβαλοῦ 'νθαδί, Ran. 432 ὅπου 'νθάδ', Pax 1305 ἤδη 'νταῦθα, Vesp. 234 που 'νταῦθ', Nub. 62 δὴ 'ντεῦθεν, Vesp. 941 αὕτη 'ντευθενί.

*k*) 'Aπό: Lys. 734 ἐῶ 'πολέσθαι, Ran. 509 περιόψομαι 'πελθόντ', ut supra diximus pro περιόψομαι ἀπελθόντ' restituendum esse. Compara de hac rariore aphæresi exemplum supra allatum Eur. Suppl. 641 μακροῦ 'ποπαύσω et ex Æolicis Balbillæ epigrammatis, de quibus et ego nuper egi Diall. II.

p. 578 et eodem tempore Heckerus Comm. Crit. de Anth. p. 399, *Θηβαϊκῶ 'πὺ λίθω* et *ἐγὼ 'πὺ λίθω*.

*l*) Alpha privativi aphæresis rarissima bis agnoscenda esse videtur; primum apud Platonem Comicum Athen. XIV. 644 A *ἄσπλαγχνος ἐνιαυτίζομαι, 'πλάκουντος, ἀλιβάνωτος*, uti pro *ἐνιαυτίζομαι, ἀπλάκουντος* restituendum esse censemus, quum crasis nullo pacto tolerari possit; deinde apud Aristophanem Eqq. 1373, ubi libri *οὐδ' ἀγοράσει τ'* (*δ'*) *ἀγένειος*, vulg. *ἀγοράσει γ' ἀγένειος*, Dind. *ἀγοράσἀγένειος* pessime quidem monstrosa crasi ficta, sed particulis, quæ hiatus vitandi causa intrusæ sunt, recte damnatis, genuina lectio *οὐδ' ἀγοράσει 'γένειος* esse videtur. Neque hoc aphæresis genus nimis mirabile est. Quam enim hujus *α* pondus fuerit leve, inde intelligitur, quod accedente *ν* sæpissime totum abjicitur ut in *νήνεμος, νηλεής, νώνυμος*. Ceterum Æschylo Eum. 684, ubi nunc e Canteri emendatione legitur *ἀεὶ δικαστῶν* (libri *δ' ἑκάστων*) Pauwius *αἰεί 'δέκαστον* ad sensum non male conjiciens illam aphæresin non recte obtrudere videtur; nam *μὴ 'δικεῖν, μὴ 'μαθεῖ* et similia apud tragicos ad crasin recte revocata sunt.

Aliarum vocum crases suspectiores sunt. Primum pronomen *ἐμαυτοῦ* inter vocabula aphæresis patientia referendum esse videtur propter hæc exempla: Ran. 602 *ἀλλ' ὅμως ἐγὼ παρέξω 'μαυτόν*, Eqq. 113, Pax 1113 *ἐγὼ 'μαυτῷ*, Eqq. 182 *ἀξιῶ 'γὼ 'μαυτόν*. At in his tribus pronomen *ἐγώ* cum relativo tam arcte copulatum esse videtur, ut crasis fieri possit *ἐγὠμαυτῷ, ἐγὠμαυτόν*, quemadmodum *αὐτὸς αὐτοῦ* apud Dorienses in unam vocem reflexivæ potestatis *αὐταυτοῦ* coaluerunt: vid. Diall. II. p. 272 seqq. Jam vero confer Thesm. 217, ubi nuper Dindorfius edidit *ἢ μὴ 'πιδιδόν' ἐμαυτὸν ὤφελόν ποτε* (idem olim *'πιδιδόναι 'μαυτόν*), quum in libris sit *διδόναι γ' αὐτόν*. Rectius scribi *'πιδιδόναι 'γαὐτόν* i. e. *ἐγὼ αὐτόν* (vel *αὑτόν*) docet similis crasis Nub. 901 *ἀλλ' ἀνατρέψω 'γαὔτ' ἀντιλέγων* i. e. *ἐγὼ αὐτά*. Hinc suspicio oritur, in Ranarum loco vs. 602 corrigendum esse: *ἀλλ' ὅμως [γε μὴν] παρέξω 'γαὐτὸν ἀνδρεῖον τὸ λῆμα*. Facile enim fieri poterat, ut glossa adscripta *ἐγὼ παρέξω ἐμαυτόν* genuinam lectionem turbaret.

Multo etiam minus fero aphæresin in verbo *ἔχω*, cujus unum exemplum crasin respuit: Lys. 646 *κἀκανηφόρουν ποτ' οὖσα*

παῖς καλή, 'χουσ' ἰσχάδων ὁρμαθὸν (libri ἔχουσ'). Recte Bentleius emendaverat σχοῦσ', quod nuper etiam Dindorfio arrisit. Pro μὴ 'χῃ Vesp. 1121, μὴ 'χωμεν Thesm. 492, μὴ 'χοιμ' Eccl. 794 lege μἤχῃ, μἤχωμεν, μἤχοιμ'.

Sola Dindorfii conjectura nititur aphæresis vocis ἕτερος in Lys. 736 αὕτη 'τέρα | ἐπί τήν ἄλοπον ἐξέρχεται. Libri enim αὔθ' ἡτέρα, in quo facile agnoscitur crasis αὐθἠτέρα i. e. αὕτη ἑτέρα cf. θἠτέρῃ e τῇ ἑτέρα. Alterum ejus crasis, quæ ad tertium genus referenda est, exemplum ipse Dindorfius detexit in simili loco Lys. 66

αἱδ' αὖθ' ἕτεραι χωροῦσί τινες. ἰοὺ ἰοὺ

ubi αὗτε apud comicum ferri non posse intellexerunt Dobræus et Dindorfius, quorum ille proposuit αἱδί δ' ἕτεραι, hic χαὐθάτεραι i. e. καί αὗται ἕτεραι. Equidem malim αὐθάτεραι ut in altero loco. Quum corrupte αὖθ' ἕτεραι scriptum esset, αἱδ' p. 28 metri explendi causa adjectum est. De Brunckiana aphæresi χρῆσθαι 'τέρῳ Pax 253 supra diximus; pro μὴ 'τέρωσε Ach. 828 lege μητέρωσε. Neque Eupolidi ap. Athen. IX. 368 D (Mein. II. p. 441) vocis ἔριφος aphæresis dari debebat e Jacobsii conjectura: σκέλη δὲ καὶ κωλῆνες εὐθύτου 'ρίφου (codd. εὐθὺ τοῦ ῥόφου), quum insuper vox εὔθυτος aliunde non cognita sit. Scribe εὐθὺ τοὐρόφου i. e. τοῦ ὀρόφου et in frustulo lacero de pernis sub tecto suspendendis dici existima. Eupolis εὐθὺ cum genitivo junctum amasse videtur; εὐθὺ πόλεως legitur p. 502, εὐθὺ τῶν ἀρωμάτων p. 550. De ὀκτὼ 'βολοί, quod Meinekius bis parum recte edidit, supra dictum est.

Reliquæ aliarum vocum aphæreses, quæ ex ingenti numero a Dindorfio et Meinekio apud comicos relictæ sunt, omnes nullo labore in legitimas crases mutari licet et ob id ipsum oportet. Eo pertinent aphæreses verbi εἶναι, ut Ach. 171 διοσημία 'στὶν, Av. 959 εὐφημία 'στω, Pax 373 ἀνάγκη 'στὶ, Vesp. 1165 αὐτοῦ 'στιν, Tagenist. II. p. 1147 Mein. κρείττω 'στίν etc., deinde Eqq. 1106 μὴ 'σθιε, Ran. 7 μὴ 'ρεῖς, Pax 167 μὴ 'λθοι, Vesp. 1167 μὴ 'ρρήσετε, Ran. 18 ἢ 'νιαυτῷ et si qua sunt alia.

Restat ut verbo indicemus, quid de iis judicandum sit, quæ secundum regulas propositas et crasin et aphæresin permittere videntur. Res satis in aperto est. Neminem hodie latet, οὑπιχώριοι et κἀπιχώριοι scribendum esse, non οἱ 'πιχώριοι et καὶ πιχώριοι, quanquam ἐπιχώριος aphæresis facultatem habeat.

Consentaneum igitur est, etiam reliquas voculas crasis æque appetentes hanc aphæresi præferre, et recte G. Dindorfius Œd. C. 752. 1517 edidit *τοὐπιόντος* et *τὠπιόντι*, quum olim *τοῦ 'πιόντος* et *τῷ 'πιόντι* scriptum esset, sed multa alia ejusdem generis intacta reliquit. Accedit aliud argumentum e scriptoribus orationis pedestris, Platone, Isocrate, Demosthene petitum. Qui quum nunquam justa aphæresi usi esse videantur, quæ in crasin mutari nequeat (solas collectiones G. Dindorfii Præf. ad Demosth. p. IV. et Lobeckii ad Phrynichum p. 7. 8. inspicere licuit), apparet, et apud ipsos rectius scribi *ἠκείνων, ἤκεῖνοι, μήκεῖνος* (etiam L. Dindorfio judice in Thes. Paris. III. p. 408) quam *ἢ 'κείνων, ἢ 'κεῖνοι, μὴ 'κεῖνος* et in poëtis temere aliter agi. Et satis, nisi fallor, ex iis, quæ de aphæresis historia disputavimus, elucet ut crasin elisione, ita aphæresin crasi paullo violentiorem esse. Itaque hanc legem statuimus, ut crasis aphæresi præferatur, ubicunque utraque fieri posse videatur. Ex hac vero lege etiam in Dindorfii novissimis scenicorum recensionibus, quæ reliquis in eo genere multo purgatiores sunt, haud pauca mutari oportet. Pauca exempla e Sophocle potissimum apponemus, unde de reliquis facile judicabitur. Aphæresis igitur in crasin mutanda est:

*a*) post articulum: Ant. 389 *ἡ 'πίνοια*, Phil. 344 *ἡ 'πίκτησις*, Ant. 558 *ἡ 'ξαμαρτία*, 384 *ἡ 'ξειργασμένη*, scr. *ἠπίνοια* etc.

*b*) post relativum: Œd. R. 1504 *ὣ 'φυτεύσαμεν*, Aj. 1337 *ἐξ οὗ 'κράτησα*, Eur. Andr. 52 *οὗ 'κτίνει*, scr. *ὡφυτεύσαμεν* etc.

*c*) post *μή*: Aj. 962 *μὴ 'φρόνουν*, 1067 *μὴ 'δυνήθημεν*, Œd. R. 1462, Ant. 1061 *μὴ 'πὶ*, Œd. R. 875 *μὴ 'πίκαιρα*, Ant. 280 *μὴ 'φευρεθῇς*, Aj. 278 *μὴ 'κ θεοῦ*, El. 398 *μὴ 'ξ ἀβουλίας*, El. 935 *μὴ 'κλιπεῖν*, Aj. 596 *μὴ 'ξέταζε*, scr. *μὴφρόνουν*, *μὴπὶ*, *μὴκλιπεῖν* etc.

*d*) post *ἤ*: Aj. 751 *ἢ 'φάνην*, Ant. 317 *ἢ 'πί*, Ant. 40 *ἢ 'φάπτουσα*, Œd. R. 1162 *ἢ 'ξ ἄλλου*, 360 *ἢ 'κπειρᾷ*, scr. *ἠφάνην*, *ἠπί*, *ἤξ* etc.

*e*) post *ἦ*: Phil. 369 *ἦ 'τολμήσατε*, scr. *ἠτολμήσατε*.

*f*) post *ἐγώ*: Œd. C. 454 *ἐγὼ 'φάνην*, Ant. 557 *ἐγὼ 'δόκουν*, 904 *ἐγὼ 'τίμησα*, Aj. 288 *ἐγὼ 'πιπλήσσω*, scr. *ἐγὦφάνην*, *ἐγὦπιπλήσσω* etc. At crasis in solis primis verborum personis locum habet; nam cum aliis vocibus sequentibus *ἐγώ* nunquam sua vi coalescere videtur. In *ἐγὼ‿οὐ* negatio crasin p. 29

efficit; in 'γαὔτ' Nub. 901 i. e. ἐγὼ αὐτά nec minus in ἔα αὐτόν, ἔα αὐτό pronomen encliticum crasi favet; ἐγὠμαυτόν et ἐγαὐτόν ad tertium crasis genus referenda esse indicavimus. Retinemus igitur aphæresin in Iph. T. 953 κἀγὼ 'ξελέγξαι, Eqq. 420 κἀγὼ 'ν τοσούτῳ et similibus.

*g*) Idem pronomen ἐγώ suo verbo postpositum apud tragicos, qui ejus aphæresin ignorant, crasi copulandum esse ut θανὠγώ, γενησομἀγώ supra docuimus. Jam patet pariter apud comicos pro ἔχω 'γώ Ran. 28, αἱρήσω 'γώ Eqq. 829, ἄχθομαι 'γώ Ach. 62, δύναμαι 'γώ Lys. 758 rectius scribi ἐχὠγώ, αἱρησὠγώ, ἀχθομἀγώ, δυναμἀγώ. Ceterum si quis in parte exemplorum, quæ ad crasin pertinere docuimus, contractionem ori permittere malit ut μὴ ἀδικεῖν, non μὴδικεῖν, haud adeo repugnamus.

Habes, quæ nunc disputare licet. Haud pauca, sicut præfati sumus, aut integra prætermisimus aut leviter attigimus, ut difficillimam quæstionem de accentus ratione in crasi et aphæresi. Confidimus autem, secundum ea, quæ de utriusque natura disputavimus, etiam de reliquis certius judicari posse.

---

## II.

## EX PRÆFATIONE R. PORSONI AD EURIPIDIS HECUBAM.

SENARIUS iambicus, sive trimeter, ut notum est, sex iambis, si priori nomine uteris, constat, tribus metris, sive dipodiis, id est, diiambis, si posteriori. Et hic est perfectus senarius, vel trimeter.

Soph. Aj. 5. Πάλαι κυνηγετοῦντα καὶ μετρούμενον. xx.
Eurip. Hec. 14. Ὑπεξέπεμψεν οὔτε γὰρ φέρειν ὅπλον.

Sed cum res esset immensi operis, et certe ab isto versuum genere, quod sermonem quotidianum quodammodo exprimere debebat, alienissima, puros senarios scribere, duas licentias excogitabant iambographi; priorem scilicet, ut spondeum in imparibus locis admitterent, alteram, ut pro iambo tribrachyn, utpote temporibus æqualem, substituerent: sed has licentias

veteres isti iamborum scriptores, Archilochum dico, Solonem, et Simonidem, parcius sibi indulgebant; multo frequentius Tragici; Comici denique, quibus propositum erat, non solum familiarem, sed etiam familiarissimum sermonem imitari, laxissimos aliquando numeros admittebant.

Tragici igitur, præter iambum et tribrachyn, quos cum paribus locis communem habebant, spondeum etiam in primo, tertio, et quinto usurpabant. Postea hunc spondeum in primo loco, prout res ferebat, vel in dactylum vel in anapæstum dissecabant, in tertio loco tantum in dactylum, in quinto neque in anapæstum neque in dactylum. Ac de dactylo quidem res adeo expedita et facilis est, ut vix tria exempla reperiantur, quæ huic regulæ obstare vel videantur. Euripidi quidem tribuunt Viri docti tanquam Hippolyti verba, a Zenobio, Diogeniano, Suida, et Apostolio in proverbiorum numerum relata, sed nusquam pro Euripideis citata, Ἄκαιρος εὔνοι' οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει. Et poterant esse verba Phædræ ad nutricem; Scholiastes enim ad Hippolytum ait; καὶ ἔστιν ὁμοία τῇ παροιμίᾳ, Εὔνοι' ἄκαιρος οὐδὲν διαλλάσσει ἔχθρας. Sed cujuscunque est, certe neque Euripidis est, neque Tragici cujusquam. Alter locus Euripidis inter fragmenta a Barnesio et Musgravio collocatus, exstat apud Stobæum CXVI. p. 477. Τηρεῖν μὲν ἑτέρους οἱ γέροντες δυνάμεθα, Ἡμεῖς δ' ἀπολαύειν ὧν ἔχουσιν, οἱ νέοι. Quis vero nescit, quoties margo Stobæi in nominibus erret? Aut quis hæc esse [a] Comici cujusdam verba dubitet? Versus solus, quem in fabulis integris superesse credo, occurrit Iph. A. 1632. Χρὴ δέ σε, λαβοῦσαν τόνδε μόσχον νεαγενῆ. Quanquam spurium esse hunc versum credo, non tamen de interpolatore ipso adeo male censeo, ut putem eum ita scripsisse. Legendum εὐγενῆ quivis viderit. Nemo autem a me postulabit, ut emendationes Virorum doctorum, quæ huic regulæ adversantur, refellam; satis enim superque se ipsæ refellunt. "Sed Comici hanc regulam sæpissime violant." Certe. Atque hæc ipsa res eam a Tragicis servari probabile reddit. Sed de Tragicorum et Comicorum versuum discrimine plura sum infra dicturus. Quod si dactylum, qui in prima et tertia sede non infrequens est, quinta semper exclu-

[a] [Timostrato tribuit MS. Vind.]

sere Tragici, si etiam anapæstum in tertia sede vitarunt, consequens esse putabam, ut anapæstus e quinta semper exulare deberet. Potueram eadem opera loca omnia colligere et
examinare; sed brevitati imprimis studebam; regulam igitur xxii.
meam de tertio senarii pede stabilisse contentus, cetera lectoris industriæ et candori permiseram.

Unam tantummodo exceptionem notare neglexeram, quam nunc paucis attingam, de propriis scilicet nominibus. Sunt enim nomina quædam, qualia Ἀερόπη, Ἀντιγόνη, Ἰφιγένεια, *Λαομέδων*, quæ ex iambicis et trochaicis versibus omnino excludenda essent, nisi [b] anapæsti aliquando admitterentur. Hanc igitur veniam Tragicis libenter cum auditores, tum lectores, concedebant, ut in quavis senarii sede, præter ultimam, anapæstum, ut in quavis trochaici sede, præter mediam et ultimam, dactylum usurparent. Ac nullo sane discrimine et in impares et in pares senarii locos propria nomina inferunt, ut inde consequi putem, anapæstis in tertia et quarta sede, præterquam cum hac sola exceptione, temperasse. Si enim jure suo anapæstos ibi adhibere poterant, debebant ita distribuere, ut pares locos effugerent. Cetera nomina, in quibus occurrit anapæstus vel dactylus, cum non ineluctabili necessitate iis pedibus uti cogerentur, debebant quidem ita versibus intexere, ut anapæstus in diversos pedes dissecaretur

Iph. A. 507. *Αἰνῶ σε, Μενέ|λα' ὅτι παρὰ γνώμην ἐμήν.*
Or. 490. *Ἐπεὶ γὰρ ἐξέπνευσεν Ἀγα|μέμνων βίον.*
Ph. 1371. *Ὦ τλῆμον οἷον τέρμον' Ἰο|κάστη βίον.*

Et hoc certe plerumque faciebant. Verum istam legem sibi xxiii.
servandam putabant, ut anapæstus in eadem voce totus contineretur. Mendosus igitur est

Iph. A. 1579. *Ἔλεξε δ' ὦ θηροκτόν' Ἄρτεμι παῖ Διός.*

E MSS. tribus Parisiensibus dedit Marklandus,

*Ἔλεξε δ' ὦ Διὸς Ἄρτεμις θηροκτόνε.*

Musgravius, quod mirum est, vulgatam tacitus retinet.

Si me rogas, utra harum vera sit lectio, respondeo, neutra. Nec quicquam mea refert; quippe qui persuasus sim, totam

[b] Cum propter brevitatem, de trochaico loquens, anapæstum dico, lector semper de duabus dactyli syllabis cum sequentis pedis longa conjunctis intelligat.

eam scenam abusque versu 1541 spuriam esse, et a recentiori quodam, nescio quando, certe post [c] Æliani tempora suppositam. Non tamen ideo omnia contra sermonis indolem et contra metri leges peccata scriptori ipsi, sed quædam saltem librariis imputanda censeo. In hoc loco proculdubio dederat ille, Ἔλεξε δ', ὦ θηροκτόν' Ἄρτεμις Διός· et mox Δέξαι τὸ θῦμα τοῦθ' ὅ σοι δωρούμεθα, sed, qui sequitur, versus,

Στρατός τ' Ἀχαιῶν Ἀγαμέμνων ἄναξ θ' ὁμοῦ,

vereor ne sit in ipsius PseudEuripidis cerebello natus. Marklando legendum videbatur, Στρατός τ' Ἀχαιῶν κοινὸς, Ἀγαμέμνων τ' ἄναξ. Ubi vero Tragici exercitum Græcorum hoc epitheto ornant? In hac ipsa scena, 1591. ait Marklandus. Στρατεία quidem κοινὴ erat, στρατὸς non κοινός. Brunckius tamen ad Orest. 201. ait: "Tertia in Ἀγαμέμνων produci (lege xxiv.
" 'corripi') quidem potest in Canticis. Sed aliud exemplum " afferendum erat, quam versus ex Iph. A. a Musgravio excitatus. Cum Marklando enim sentio, qui interpolatum illum " affirmat, et admodum probabiliter emendat." Verum si totus locus sæculi recentioris est, medicina fit mortuo. De quo latius agam, si quando fabulam istam edendam curabo. Alia loca partim e variis lectionibus, partim e conjectura emendanda sunt. Iph. A. 817. male mutavit Marklandus, licet Φαρσάλιον præbeant MSS. In 814. γ' delendum, neque de elisione in Ἑλλάδι, quanquam paullo rarior est, timendum. Alcest. 1140. Καὶ μὴν προτείνω, Γοργόν' ὡς καρατόμῳ. Verum pejus corrupti sunt versus Ion. 296. 297. quos in gratiam lectoris citabo, simul ejus judicio et acumini commendans. [d] Τιμᾷ σφε Πύθιος, ἀστραπαί τε Πύθιαι. Τιμᾷ, τιμᾷ, ὡς μήποτ' ὤφελόν σ' εἰσιδεῖν.

Sed cum hoc impetrassent Tragici, ut scilicet Ἰφιγένεια et similia verba impune, ubi opus esset, usurparent, paullo longius progressi sunt, et interdum, licet raro, anapæstos in propriis nominibus reliquere, ubi non omnino erant necessarii.

Orest. 453. Ἀπωλόμην Μενέλαε Τυνδάρεως ὅδε.
Herc. F. 219. Ὃς εἷς Μινύαισι πᾶσι διὰ μάχης μολών.
Soph. Ph. 794. Ἀγάμεμνον ὦ Μενέλαε πῶς ἂν ἀντ' ἐμοῦ.

c [Vide Miscell. p. 192.]
d [Misc. p. 193. Lege, τιμᾷ σφε Φοῖβος ἀστραπαί τε Πύθιαι. Τιμᾷ τιν, ὧν γε μήποτ' ὤφελ' εἰσιδεῖν.]

In Aj. 1008. de lectione dubitari potest. Tria alia exempla xxv.
ex Helena Euripidis 88. et Electra 314. 315. attulit Hermannus Præf. p. 63. quorum duo priora correctionem neque admittunt, neque requirunt. Euripides etiam in Νεοπτόλεμος, Ἱππόλυτος, Ταυροπόλος, tres ultimas syllabas anapæstum fecit, quod tamen in genitivis et dativis meliori jure fecisse videtur, quam in nominativis et accusativis. Simili licentia vocem anapæsticam in trochaico versu ita collocabant, ut duæ breves syllabæ dactyli partem efficerent.

Orest. 1549. Ξύγγονόν τ' ἐμὴν Πυλάδην τε τὸν τάδε ξυνδρῶντά μοι.
Iph. A. 324. Οὔ, πρὶν ἂν δείξω Δαναοῖσι πᾶσι τἀγγεγραμμένα.
355. Χιλίων ἄρχων Πριάμου τε πεδίον ἐμπλήσας δορός.

Quanquam secundus versus aliter legi potest, vel ex MS. δείξω γε Δαναοῖς, vel e conjectura Δαναΐδαις. Comici igitur, minus mirandum est, si dactylum aliquando in trochaicis admittebant, cum proprium nomen occurreret, licet, si paullo plus laboris insumere vellent, hanc licentiam evitare potuissent. Hermippus Athenæi XI. p. 486 A. (male notata 488.)

Ἢν ἐγὼ πάθω τι τήνδε τὴν λεπάστην ἐκπιών,
Τῷ Διονύσῳ πάντα τἀμαυτοῦ δίδωμι χρήματα.

Comicus incertus, sed Aristophani æqualis apud Plutarch. Polit. Præc. p. 811 F.

Μητίοχος μὲν (γὰρ) στρατηγεῖ, Μητίοχος δὲ τὰς ὁδοὺς, xxvi.
Μητίοχος δ' ἄρτους ἐποπτᾷ, Μητίοχος δὲ τἄλφιτα,
Μητιόχῳ δὲ πάντα κεῖται, Μητίοχος δ' οἰμώξεται[e].

Ideo autem de hac Comicorum licentia mentionem injeci, quod, cum plures alias trochaicorum leges, quas servant Tragici, ipsi violent, a dactylo, nisi in propriis nominibus, caute abstineant. De hac re quædam infra addam, cum de Comici et Tragici trochaici discrimine agam.

Nunc de cæsuris videamus. Senarius, ut notum est, duas præcipuas cæsuras habet, penthemimerim, et hephthemimerim, id est, alteram quam voco *A*, quæ tertium pedem; alteram, quæ quartum dividat. Prioris cæsuræ quatuor sunt genera; primum est, quod in brevi syllaba fit; secundum,

[e] Archilochus Herodiani in Villoisoni Anecdot. Græc. T. II. p. 93. Νῦν Λεώφιλος μὲν ἄρχει, Λεώφιλος δ' ἐπικρατεῖ· Λεωφίλῳ δὲ πάντα κεῖται, Λεώφιλε δ' ἄκουε. (Λεωφίλου δ' ἀκούεται.)

quod in brevi post elisionem; tertium in longa, quartum in longa post elisionem.

Hec. 5. (*A a*) Κίνδυνος ἔσχε | δορὶ πεσεῖν Ἑλληνικῷ.
11. (*A b*) Πατὴρ ἵν' εἶποτ' | Ἰλίου τείχη πέσοι.
2. (*A c*) Λιπὼν ἵν' Ἅιδης | χωρὶς ᾤκισται θεῶν.
42. (*A d*) Καὶ τεύξεται τοῦδ' | οὐδ' ἀδώρητος φίλων.

Alterius cæsuræ, quam voco *B*, plura sunt genera.

Primum, cum in fine disyllabi vel hyperdisyllabi occurrit sine elisione; secundum, post elisionem; tertium, cum brevis xxvii.
syllaba est enclitica vox; quartum, cum non est enclitica, sed talis quæ sententiam inchoare nequeat; quintum, cum vox ista ad præcedentia quidem refertur, potest vero inchoare sententiam; sextum, cum syllaba brevis post elisionem fit. Duo alia cæsuræ hujus genera ceteris minus jucunda sunt, ubi sensus post tertium pedem suspenditur, et post distinctionem sequitur vox monosyllaba, vel sine elisione, vel per elisionem facta.

Hec. 1. (*B a*) Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα | καὶ σκότου πύλας.
248. (*B b*) Πολλῶν λόγων εὑρήμαθ' | ὥστε μὴ θανεῖν.
266. (*B c*) Κείνη γάρ ὤλεσέν νιν | εἰς Τροίαν τ' ἄγει.
319. (*B d*) Τύμβον δὲ βουλοίμην ἂν | ἀξιούμενον.
Soph. El. 530. (*B e*) Ἐπεὶ πατὴρ οὗτος σὸς | ὃν θρηνεῖς ἀεί.
Phil. 1304. (*B f*) Ἀλλ' οὔτ' ἐμοὶ καλὸν τόδ' | ἐστιν οὔτε σοί.
Æsch. Theb. 1055. (*B g*) Ἀλλ' ὃν πόλις στυγεῖ, σὺ | τιμήσεις τάφῳ;
Soph. El. 1038. (*B h*) Ὅταν γὰρ εὖ φρονῇς, τόθ' | ἡγήσει σὺ νῷν.

Est et alia senarii divisio, quam si non cæsuram, *quasi-cæsuram* liceat nominare. Ea est, cum tertius pes elisionem patitur, sive in eadem voce, sive additis γ', δ', μ', σ', τ'.

Hec. 387. Κεντεῖτε μὴ φείδεσθ' ἐγὼ 'τεκον Πάριν.
355. Γυναιξὶ παρθένοις τ' ἀπόβλεπτος μέτα.

Hæc quasi-cæsura apud Tragicos haud est infrequens. Longe rarior est ea licentia, qua integri pedes, tertius et quartus, xxviii.
vel integras voces, vel vocum partes faciant.

Soph. Aj. 1091. Μενέλαε μὴ γνώμας ὑποστήσας σοφάς.
Æsch. Pers. 509. Θρῄκην περάσαντες μόγις πολλῷ πόνῳ.

Quorum exemplorum in secundo pronunciandi difficultas laborem ab exercitu Persico exhaustum optime exprimit. Sed ut hoc aliquando sibi permittunt, illud nunquam sibi permit-

tunt, ut pedes tertius et quartus eadem voce comprehendantur. Hoc si fieri posset, omnis rhythmus, omnes numeri funditus everterentur. Imo Comici, inquies, hoc non raro faciunt. Comici sane interdum faciunt, ii tamen paullo rarius; (sexies et decies, nisi fallor, Aristophanes in Pluto;) at hoc ipsum argumento est, Tragicos non facere. In iis, quæ dixi ad Hec. 728. non quidem erravi, sed paullo tamen minus sum accurate locutus. Quod ibi tantum innui, hic aliquanto fusius exsequar. Si Tragici et *δύρομαι* et *ὀδύρομαι* pari jure adhibere possent, eam certe formam, unde numerosior versus evaderet, prælaturi essent. Eadem præterea ratio locum habet in verbis *ὀμόργνυμι* et *μόργνυμι*.

Aristoph. Ach. 706. *Ὥστ' ἐγὼ μὲν ἠλέησα κἀπομορξάμην ἰδών.* Aut augmentum omissum, aut spondeus in quintum locum admissus. Sic tamen habent omnes, opinor, editiones, et Suidas v. *Ὥστ' ἐγὼ μέν*. Kusterus, qui vulgatam in textu suo scripturam reliquit, in tractatu tamen de Verbis mediis recte scribit *ἀπεμορξάμην*. Et sane ita legendum est ex ipso Suida xxix.
eadem in voce, ubi ordo verborum veram lectionem conservavit. Atque eadem lectio jam exstabat in tribus Scholiorum editionibus, Aldina, Juntina, Frobeniana; mutavit Portus, mutantem secutus est Kusterus.

Sed ad quæstionem propositam redeo. Grammaticorum quorundam erat *σπουδὴ*, sive *παιδιὰν* vocas, versus scribere tales, ut singulæ dipodiæ integris vocibus vel continerentur, vel saltem terminarentur. Athenæus X. p. 454 F. Τὸ δὲ Κα*στορίωνος τοῦ Σολέως, ὡς ὁ Κλέαρχος φησὶν, εἰς τὸν Πᾶνα ποίημα τοιοῦτόν ἐστι. τῶν ποδῶν ἕκαστος* (potius legendum *στίχων*) *ὅλοις ὀνόμασι περιειλημμένος πάντας ὁμοίως ἡγεμονικοὺς καὶ ἀκολουθητικοὺς ἔχει τοὺς πόδας*, (*τὰ μέτρα* vel *τὰς διποδίας* accuratius dixisset) *οἷον*,

*Σὲ τὸν βόλοις | νιφοκτύποις | δυσχείμερον*
*Ναίονθ' ἕδος | θηρονόμε Πὰν | χθόν' Ἀρκάδων*
*Κλῄσω γραφῇ | τῇδ' ἐν σοφῇ | πάγκλειτ' ἔπη*
*Συνθεὶς ἄναξ | δύσγνωστα μὴ | σοφοῖς κλύειν*
*Μουσοπόλε θὴρ | κηρόχυτον ὃς | μείλιγμ' ἱεῖς.*

Sic lege et interpretare, *Qui melodiam e fistula ceris compacta excitas.* Verum si versus istos recte metieris, Tragicorum regulæ unum modo adversantem reperies. Secundus enim,

quartus et quintus pertinent ad cæsuram *B a*, tertius ad *A d*. Sed primi similem Tragico scribere nunquam, ut opinor, permissum erat.

Non eram nescius, cum hanc regulam posui, paucas quas- xxx. dam exceptiones in hodiernis Tragicorum editionibus occurrere. Verum eæ tam raræ sunt, et tam sanatu faciles, ut putarem, neminem semel monitum, qui quidem aurem haberet, non sponte emendaturum. Versus Sophoclis Œd. Col. 372. Εἰσῆλθε τοῖν τρὶς ἀθλίοιν ἔρις κακὴ, non est vera exceptio. Adverbium enim ab adjectivo disjungendum est, ut in Homerico, Od. ε΄. 306. Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις. Aristoph. Plut. 851. Οἴμοι κακοδαίμων, ὡς ἀπόλωλα δείλαιος· Καὶ τρὶς κακοδαίμων, καὶ τετράκις, καὶ πεντάκις, Καὶ δωδεκάκις, καὶ μυριάκις· ἰοὺ, ἰού. Aliud exemplum præbet Euripides, qui dicitur, Iph. A. 1595. Φάσμ', οὔγε μηδ' | ὁρωμένου | πίστις παρῆν. Poteram quidem hoc versu corrigendo supersedere, sed ne quis cavilletur, me hanc commodam sane e dumetis erependi viam instituere, ut ea pro spuriis, quæ doctrinæ meæ repugnant, deleam, fatebor nihil me dubitare, quin ipse scriptor dederit, Φάσμ', οὔγε πίστις μηδ' ὁρωμένου παρῆν.

Sed, si placet, cetera exempla, quæ huic regulæ obstent, prope inspiciamus. Ea sunt, quæ sequuntur.

Æsch. Pers. 501. Στρατὸς περᾷ κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον.
Agam. 1261. Ἦ κάρτ' ἄρ' ἂν παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν.
Suppl. 252. Καὶ τἄλλα πόλλ' ἐπεικάσαι δίκαιον ἦν.
Soph. Aj. 969. Πῶς δῆτα τοῦδ' ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα;

Postremi loci vitium obiter sustuli ad Hec. 1206. legendo, τοῦδέ γ' ἐγγελῷεν. Œd. C. 1339. Κοινῇ καθ' ἡμῶν ἐγγελῶν ἁβρύνεται. Priora tria transpositione sananda.

Κρυσταλλοπῆγα διὰ πόρον στρατὸς περᾷ. xxxi.

In secundo dele noxiam particulam ἂν, et lege,

Ἦ κάρτα χρησμῶν ἆρ' ἐμῶν παρεσκόπεις.

In tertio τἄλλα mendosum est, cum ἄλλα esse deberet. Quanquam hoc quidem aliter sanari poterat. Sed ut ἐπεικάσαι sedem suam obtineat, legendum,

Καὶ πολλά γ' ἦν δίκαιον ἄλλ' ἐπεικάσαι.

Exstabat olim in Eurip. Suppl. 168. hic versus,

Πολιὸς ἀνὴρ εὐδαιμονῶν ἴσως πάρος.

Nisi MSS. Parisienses ad hunc locum collati essent, quis veram lectionem eruere posset? Id tamen, quicunque aurem habeat, videre possit, non esse tam immodulatum senarium ab Euripide profectum. Sed aliud est errorem indicare, aliud corrigere. Dedit Marklandus e MSS. *Πολιὸς ἀνὴρ τύραννος εὐδαίμων πάρος.* Quod si non verum, vero certe proximum puto. Latere enim in Aldinæ lectionis ruderibus tenue veritatis vestigium existimo; scilicet a poëta scriptum, *Πολιὸς ἀνὴρ τύραννος ἰσοδαίμων πάρος*, deinde levi errore mutatum *ἰσοδαίμων* in *εὐδαίμων*. Quod monere volens librarius, aut inter versus aut in margine notavit *ἰσο* legendum pro *εὐ*. Illud, ut fit, alii neglexere, altera lectione contenti; alii leviter depravatum in textum intulere, ut talis fere versus tandem exstiterit;

*Πολιὸς ἀνὴρ τύραννος εὐδαιμονῶν ἴσως πάρος.* xxxii.

Corrector, tam enormi versu offensus, *τύραννος* recidendo ad metra eum redigere conatus est. Aptissimum autem tyranno vel tyrannidi epitheton *ἰσοδαίμων*. Æschyl. Pers. 636. *Ἦ ῥ' ἀΐει μου μακαρίτας ἰσοδαίμων βασιλεύς*; Plato Rep. VIII. non longe a fine de Euripide ait, *Καὶ ὡς ἰσόθεόν γε τὴν τυραννίδα ἐγκωμιάζει.* Habuit in animo Troad. 1177. *Γάμων τε καὶ τῆς ἰσοθέου τυραννίδος.* Notus est Ariphronis Sicyonii Pæan apud Athen. XV. p. 702 A. *Τᾶς τ' εὐδαίμονος ἀνθρώποις βασιληΐδος ἀρχᾶς.* Sic editiones Casauboni, qui tamen ex Epitome legit *ἰσοδαίμονος*, quod habent etiam Plutarchus de Virt. Mor. p. 450 B. de Frat. Amor. p. 479 A. Sextus Empiricus adv. Mathem. XI. 49. In editione Aldina Athenæi est *ἰβδαίμονος*, quod typothetæ videtur erratum, qui ϭ (id est σο) cum ϐ confuderit. Diverso sensu dixit *ἰσοδαίμονα* Pindarus Nem. IV. 137.

Hactenus hæc. Nunc ad aliud cæsuræ genus accedimus, quam potius *pausam* ideo nominare libet, quoniam versus qui cæsurarum supra memoratarum nullam habeat, necessario minus modulatus est; versus vero qui *pausa* careat, non est continuo immodulatus. De versibus iis loquor, ubi quintus pes in duas voces distribuitur. Tirones vero ea, quæ de hac re dicturus sum, pro supplemento accipient notæ meæ ad Hec. 343. *Κρύπτοντα χεῖρα καὶ πρόσωπον ἔμπαλιν.* Sic primus recte edidit Kingius pro *τοὔμπαλιν.* Nempe hanc regulam plerumque in senariis observabant Tragici, ut, si voce, quæ xxxiii.

creticum pedem efficeret, terminaretur versus, eamque vocem hypermonosyllabon præcederet, quintus pes iambus vel tribrachys esse deberet. Non potuerunt igitur talem versum Tragici scribere, qualis est Κρύπτοντα χεῖρα καὶ πρόσωπον τοὔμπαλιν, aut Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανὸν, aut Τὸ μὴ μάταιον δ' ἐκ μετώπων σωφρόνων, certe noluere, si modo vel diversa orthographia vel alia verborum positura vitare possent *In scenam missos cum magno pondere versus.*

Res eadem est, si creticus in trochæum et syllabam dissolvitur; vel si cretico in syllabam longam et iambum dissoluto, syllaba longa est aut articulus aut præpositio, aut quævis denique vox, quæ ad sequentia potius quam præcedentia pertineat.

Or. 1079. Κῆδος δὲ τοὐμὸν καὶ σὸν οὐκέτ' | ἐστὶ | δή.
1081. Χαῖρ'· οὐ γὰρ ἡμῖν ἔστι τοῦτο· | σοί γε | μήν.
Hec. 382. Καλῶς μὲν εἶπας, θύγατερ, ἀλλὰ | τῷ καλῷ.
379. Δεινὸς χαρακτὴρ, κἀπίσημος | ἐν βροτοῖς.

Et sic habe de τίς, πῶς, interrogantibus; ὡς, οὐ, καὶ, et similibus, ut partim monui ad Phœniss. 1464.

Verum si secunda quinti pedis pars ejus sit generis, ut præcedenti verbo adhæreat, et ambo quasi unam vocem simul efficiant, non jam amplius necesse erit, ut verbum præcedens brevi syllaba terminetur. Ac primo pauca citemus exempla, ubi syllaba iambum præcedens sit vox enclitica.

Hec. 505. Σπεύδωμεν, ἐγκονῶμεν· ἡγοῦ μοι | γέρον. xxxiv.
Soph. Œd. C. 982. Ἔτικτε γάρ μ' ἔτικτεν, ὤμοι μοι | κακῶν.
Phil. 788. Προσέρχεται τόδ' ἐγγύς· οἴμοι μοι | τάλας.
Apud Hesych. v. ἀραῖος.
Ὁ πρόσθεν ἐλθὼν ἦν ἀραῖός μοι νέκυς.
Æsch. Ch. 903. Κρίνω σὲ νικᾷν καὶ παραινεῖς μοι | καλῶς.
Eur. Iph. A. 1222. Πείθειν ἐπᾴδουσ', ὥσθ' ὁμαρτεῖν μοι | πέτρας.
Iph. T. 949. Ἠλαυνόμεσθα φυγάδες· ἔνθεν μοι πόδα.
Hel 479. Πῶς φῄς; τίν' εἶπας μῦθον; αὖθίς μοι | φράσον.
Apud Laërt. IV. 29.
Ὦ παρθέν', εἰ σώσαιμί σ' ἔισει μοι χάριν;
Eur. Ion. 645. Ἃ δ' ἐνθάδ' εἶχον ἀγάθ', ἄκουσόν μου | πάτερ.
Æsch. Ag. 1061. Ἔσω φρενῶν λέγουσα πείθω νιν | λόγῳ.
Prom. 649. Τί παρθενεύει δαρὸν, ἐξόν σοι | γάμου.
Eur. El. 1126. Καὶ μὴν ἐκεῖνος οὐκέτ' ἔσται σοι | βαρύς.

Ægeo apud Stob. Serm. XXXIV. ed. 1609.

Εἰ μὴ καθέξεις γλῶσσαν, ἔσται σοι κακα (sic l.).

Rhes. 717. Βίον δ' ἐπαιτῶν εἷρπ' ἀγύρτης τις | λάτρις.

Soph. Phil. 801. Ἔμπρησον, ὦ γενναῖε· κἀγώ τοι | ποτέ.

Ex hac classe excipienda sunt duo loca.

Eur. Heracl. 641. Ὦ φίλταθ', ἥκεις ἆρα σωτὴρ νῷν βλάβης;

Soph. Œd. C. 1543. Σφῷν αὖ πέφασμαι καινὸς, ὥσπερ σφὼ πατρί.

Cum νὼ et σφὼ significent ἡμεῖς δύο et ὑμεῖς δύο, nimis emphatica sunt, quam ut enclitica fiant. Legendum ἆρα νῷν σωτὴρ βλάβης; et ὡς πρὶν σφὼ πατρί. Melius junguntur σωτὴρ βλάβης, ut σωτῆρα κακῶν Med. 361. σώζουσιν θανεῖν Phœniss. 609. xxxv. Idem ὥσπερ Euripidei versus apud Polluc. VII. 178. numeros corrupit. Κοίλοις ἐν ἄντροις ἄλυχνος, ὥσπερ θὴρ μόνος. Recte MS. ὥστε.

Secundo exempla quædam demus vocum non encliticarum, sed quæ sententiam aut versum inchoare nequeant.

Æsch. Prom. 107. Οἷόν τε μοι τάσδ' ἐστί· θνητοῖς γὰρ | γέρα.

Soph. Trach. 932. Ἰδὼν δ' ὁ παῖς ᾤμωξεν· ἔγνω γὰρ | τάλας.

Eur. Iph. A. 1155. Ἄκουε δὴ νῦν· ἀνακαλύψω γὰρ λόγους.

Heracl. 304. Τῆς δυσγενείας μᾶλλον· ἡμεῖς γὰρ | κακῶν.

Hel. 1572. Τοὺς σοὺς λόγους σώζοντες· ἄρχειν γὰρ | νεώς.

Soph. Trach. 718. Πῶς οὐκ ὀλεῖ καὶ τόνδε; δόξῃ γοῦν | ἐμῇ.

Electr. 357. Σὺ δ' ἡμιν ἡ μισοῦσα, μισεῖς μὲν | λόγῳ.

Œd. T. 142. Ἀλλ' ὡς τάχιστα παῖδες, ὑμεῖς μὲν | βάθρων.

Sed nulla particula sæpius, quam ἂν, in ista sede posita reperitur.

Soph. Electr. 413. Εἴ μοι λέγοις τὴν ὄψιν, εἴποιμ' ἂν | τότε.

Eur. Phœn. 1635. Ἀλλ' ἔτι νεάζων αὐτὸς εὕροιμ' ἂν | βίον;

1642. Ἐγὼ δὲ ναίειν σ' οὐκ ἐάσαιμ' ἂν | χθόνα.

Andr. 937. Βλέπουσ' ἂν αὐγὰς τἄμ' ἐκαρποῦτ' ἂν | λέχη.

1187. Οὗτός γ' ἂν ὡς ἐκ τῶνδ' ἐτιμᾶτ' ἂν | γέρον.

Bacch. 1272. Κλύοις ἂν οὖν τι κἀποκρίναι' ἂν | σαφῶς;

Heracl. 457. Μάλιστα δ' Εὐρυσθεύς με βούλοιτ' ἂν | λαβών. xxxvi.

Acute igitur et probabiliter in Hippol. 296. Γυναῖκες αἵδε συγκαθισταιντ' ἂν νόσον, (συγκαθίστανται enim MSS.) conjecerat Musgravius, quamvis postea vulgatum συγκαθίστανai defenderit. Certa autem Marklandi emendatio Iph. A. 524.

Ὃν μὴ σὺ φράζεις, πῶς ὑπολάβοιμ' ἂν | λόγον;

In omnibus his exemplis illud observandum est, ἂν semper

verbo suo statim subjungi, idque cum elisione. Unde levi mendo laborat versus Erecthei, Φρονεῖς γὰρ ἤδη κἀποσώσαις ἂν πατρός. Quanquam σώζειν apud Tragicos aliquando *meminisse* significat, longe aptior hoc sensu est media forma. Lege igitur, κἀποσώσαι' ἂν πατρός. Similis confusio in Med. 734. μεθεῖσαν et μεθεῖ' ἄν. Verum nisi mutatio sit perexigua, hæc et similia loca sollicitari nolim. Sane si MS. bonæ notæ in Æschyli versu daret παραινέσαι καλῶς, aut in Euripidis ἄκουέ μου, πάτερ, non illibenter acciperem. Est versus Alcest. 1106. Χρόνος μαλάξει, νῦν δ' ἔθ' ἡβᾷ σοι κακὸν, qui ex iis, quæ modo dixi, non incommode defendi potest. Verum quis reponere dubitabit e Galeno IV. de Dogm. Hippocr. et Plat. T. I. p. 283, 55. ed. Basil. T. V. p. 152. Charter. quem indicavit Valckenærius Diatrib. p. 28 B. C. Χρόνος μαλάξει, νῦν δ' ἔθ' ἡβάσκει, κακόν. Sed talia, ut dixi, ex mera conjectura non tentanda.

Alia sunt, quæ huic regulæ non vere officiant, tantum ex perversa orthographiæ ratione officere videantur. In hanc classem referenda puto exempla, ubi οὐδεὶς inter quartum pedem et quintum dividatur.

Soph. Œd. C. 1022. Εἰ δ' ἐγκρατεῖς φεύγουσιν, οὐδὲν δεῖ πονεῖν. xxxvii.
Eur. Phœn. 759 (775). Ἀμφότερον· ἀπολειφθὲν γὰρ οὐδὲν θάτερον.
Alc. 682. Ἢν δ' ἐγγὺς ἔλθῃ θάνατος, οὐδεὶς βούλεται.
Herc. F. 1341. Θεοὶ δ' ὅταν τιμῶσιν, οὐδὲν δεῖ φίλων.
Menalipp. Stob. LXIX. p. 287.
Τῆς μὲν κακῆς κάκιον οὐδὲν γίγνεται.

Sed in his vocibus Atticam scribendi rationem esse divisim, οὐδ' εἷς, οὐδ' ἕν, colligo ex hoc, quod sæpe particulam ἂν interponunt inter οὐδ' et εἷς. Attici etiam circa posteriora Aristophanis tempora οὐδὲ εἷς et μηδὲ εἷς plene scripta usurpare cœperunt, Epicharmi exemplum fortasse secuti. In Pluto certe Aristophanis trisyllaba forma quater occurrit, 37. 138. 1116. 1183. semel tantum præterea in Ranis 958. et ibi dedisse videtur, Σαφὲς δ' ἂν εἶπεν οὐδ' ἂν ἕν. Semel usurpavit Eupolis apud Stobæum IV. p. 53, 52. Non igitur Tragicos canones violat (quos sæpe in Satyris violant) Cyclop. 120. Νομάδες· ἀκούει δ' οὐδ' ἓν οὐδ' εἷς οὐδ' ἑνός. neque 672. Οὗτίς μ' ἀπώλεσ'. οὐκ ἄρ' οὐδ' εἷς ἠδίκει.

In hanc classem etiam referenda sunt ista Sophoclis loca, in quibus ἥμιν vel ὕμιν (quæ grammatici alii ἡμὶν et ὑμὶν scribunt) creticum antecedit.

Electr. 1328. Ἦ νοῦς ἔνεστιν οὔτις ὕμιν ἐγγενής;

Œd. C. 25. Πᾶς γάρ τις ηὕδα τοῦτό γ' ἥμιν ἐμπόρων.

Et similiter El. 1332. Œd. T. 1482. Œd. C. 34. 81. 1038. 1167. 1408. Philoct. 531. Hac scribendi ratione sæpissime, (fortasse semper; vide Aj. 689. El. 255. 454.) usus est Sophocles; xxxviii. Comici et ceteri Tragici rarissime; ἥμιν αὖ χάριν Æschyl. Prom. 820. ita scribi potest; sed tutius, opinor, exemplis modo citatis p. xxxv. vulgata lectio defendetur. Hinc vexatissimum Sophoclis locum Philoct. 1333. expediet lector eruditus, Ἀσκληπιάδαιν δὲ τοῖν παρ' ἥμιν ἐντυχών.

Alia sunt exempla tam emendatu facilia, ut in iis nemo, nisi indoctissimus, hæsitet. Talia sunt Sophocl. Philoct. 731. Λόγου σιωπᾷς, κἀποπλήκτως ὧδ' ἔχει; Ibi Brunckius recte edidit κἀπόπληκτος, quanquam sine auctoritate, quanquam non monito lectore. Si enim retinetur ἀποπλήκτως, rescribi oportet ἔχεις. Eurip. Iph. A. 1465. Δεινοὺς ἀγῶνας διὰ σὲ κεῖνον δεῖ (δεῖ κεῖνον) δραμεῖν. Iph. T. 1013. ἀλλ' ἀνὴρ μὲν ἐκ δόμων Θανὼν ποθεινός· τὰ δὲ γυναικῶν ἀσθενῆ. Sic e MSS. edidit Marklandus, probante Musgravio. Ex Aldo quantocyus restitue γυναικὸς, quod etiam oppositionem fortiorem facit. Sed levia hujusmodi quivis pro se ipse statim corriget.

Ex iis jam, quæ restant, locis, quædam proferamus. Æsch. Pers. 321. Νωμῶν, ὅ, τ' ἐσθλὸς Ἀριόμαρδος Σάρδεσι Πένθος παρασχών. Ariomardus supra 38. Thebarum præfectus erat. Cur igitur Sardibus luctuosa esset ejus mors? Hoc, ut opinor, sentiens Scholiastes addit, πατρὶς γὰρ αἱ Σάρδεις αὐτῷ. Sed potius existimo versum unum vel plures excidisse, ubi Sardium præfectus, fortasse Mitragathes vel Arceus, nominaretur.

Νωμῶν, ὅ, τ' ἐσθλὸς Ἀριόμαρδος ΑΡΔΕΩΝ xxxix.
ΒΟΛΑΙΣΙΠΙΣΤΟΣΜΙΤΡΑΓΑΘΗΣΤΕ ΣάρδεσιΝ
Πένθος παρασχών.

Expleat hiatum, si potest, sagax lector[f]; sed id simul curet, ut verbum Ἀριόμαρδος vocalis sequatur.

[f] Ita expleverat ipse Porsonus literis majusculis minio pictis, quas nos impressas dedimus. E.

Æsch. Suppl. 206. Τὸ μὴ μάταιον δ' ἐκ μετώπων σωφρόνων
"Ιτω πρόσωπον ὄμματος παρ' ἡσύχου.

Bella sane locutio, ἰέναι πρόσωπον ἐκ μετώπων vel παρ' ὄμματος. Notavit Schutzius, προσώπων habere Robortellum. Sed pro sua diligentia non notavit Aldum dedisse ἐκ μετόπω σωφρονῶν ἴτω προσώπων, quæ vera est lectio, modo cognatarum vocalium sedem mutes. Τὸ μὴ μάταιον δ' ἐκ μετωποσωφρόνων "Ιτω προσώπων ὄμματος παρ' ἡσύχου. Dicitur autem πρόσωπα μετωποσώφρονα, ut εὐπήχεις χεῖρες, a Nostro Hipp. 201. καλλίχειρες ὠλέναι, a Chæremone apud Athen. XIII. p. 608 B. et plura similia. In τὸ μὴ μάταιον intelligitur βλέπος aut aliquid ejusmodi nomen. Aristoph. Nub. 1178. Ἐπὶ τοῦ προσώπου τ' ἐστὶν Ἀττικὸν βλέπος. Cum modestia et immodestia maxime in fronte et oculis appareant, utrumque et frontem et oculos simul memoravit [g].

Quæ apud Sophoclem reperiri possunt exceptiones, harum xl.
præcipuas enotabo, sed, ne longum volumen scribam, enotatas tantum, lectorum acumini relinquam.

Aj. 1101. [h]"Εξεστ' ἀνάσσειν ὧν ὅδ' ἡγεῖτ' οἴκοθεν;

Œd. C. 664. Θαρσεῖν μὲν οὖν ἔγωγε κἄνευ τῆς ἐμῆς.

Philoct. 22. "Α μοι προσελθὼν σῖγα, σήμαιν', εἴτ' ἔχει.

Pauca jam Euripidis loca corrigere conabor, omissis tamen Iph. A. 1598. 1621. 1622. quæ, qui velit, emendanda vel defendenda suscipiat.

Hec. 729 (717). Ἡμεῖς μὲν οὖν ἐῶμεν, [i]οὐδὲ ψαύομεν.

Andr. 347. Φεύγει τὸ ταύτης σῶφρον· ἀλλὰ ψεύσεται.

Iph. A. 531. Κἄμ' ὡς ὑπέστην θῦμα, κᾆτα ψεύδομαι.

Et hos tres versus, cum eodem morbi genere, si tamen morbus est, laborent, juniorum sagacitati committam.

[g] In hunc censum non dignatus sum referre versum alium Æschyli Choëph. 508. Καὶ μὴν ἀμόμφητον δέ τινα τὸν λόγον, ubi τίμα Canterus, τιμᾷ Heathius. Schutzius vero hunc ita emendat, Καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδε τιμήσας λόγον, et 507. quo sanior non est in toto Æschylo, spurium censet. Verum enimvero manifesto spurius est 508. qui a Robortello post 509 ponitur; recte ab Aldo omnino omittitur. Iterum mirare Schutzii diligentiam, qui Aldi et Robortelli lectiones non memorarit. Ceterum non transponendus est cum Heathio 509 post 506, sed τῆς τ' cum eodem fortasse legendum pro τῆς, quod habent Ald. Rob.

[h] [Misc. p. 194. Leg. Aj. 1101. ἔξεστ' ἀνάσσειν ὧν ὅδ' ἦγεν οἴκοθεν. Œd. C. 664. θαρσεῖν μὲν οὖν κἄνευγε τῆς ἐμῆς ἐγώ Philoct. 22. ἅ μοι προσελθὼν σῖγα, σημαίνειν ἔχει.]

[i] [οὐδ' ἐψαύσαμεν—ἀλλ' ἐψεύσεται—κᾆτ' ἐψευσόμαι Porson. Misc. p. 194.]

Iph. A. 668. Εἰς ταυτὸν, ὦ θύγατερ, σύθ' ἥκεις τῷ πατρί. Mendosum esse σύτε nemo non videt, sed eo in σύγε mutato nihil admodum lucramur. Legendum, Ὦ θύγατερ, ἥκεις καὶ σύγ' εἰς ταυτὸν πατρί. Καὶ ante pronomen σὺ ita addit Agamemnon statim postea: Ἔτ' ἔστι καὶ σοὶ πλοῦς, ἵνα μνήσει πατρός, ubi similiter articulus abest. Locus e Rheso 733. sumtus facillimam medicinam admittit, substituendo Θρῃκὶ pro Θρῃκῶν.

Ὦ ξυμφορὰ βαρεῖα Θρῃκὶ συμμάχῳ.

Eur. Suppl. 160. Τί πλεῖον; ἦλθον Ἀμφιάρεω πρὸς βίαν. Ἀμφιάρεω quadrisyllabum est. Lege ex MSS. duobus apud xli. Marklandum et Musgravium, Ἀμφιάρεώ γε πρὸς βίαν. Illud γε idem fere valet, quod *etiam*, ut in Hec. 606. Οἶδεν τό γ' αἰσχρὸν, et 842. Φίλους τιθέντες τούς γε πολεμιωτάτους. Aristoph. Nub. 400. Ἀλλὰ τὸν αὑτοῦ γε νεὼν βάλλει.

Iph. T. 584. Κἀμοὶ τόδ' εὖ μάλιστά γ' οὕτω γίγνεται. Videamus præcedentia et sequentia.

Ἀκούσατ'· εἰς γὰρ δή τιν' ἥκομεν λόγον,
Ὑμῖν τ' ὄνησιν, ὦ ξένοι, σπεύδουσ' ἅμα,
Κἀμοί· τὸ δ' εὖ μάλιστά γ' οὕτω γίγνεται,
Εἰ πᾶσι ταυτὸ πρᾶγμ' ἀρεσκόντως ἔχει.

Sic distinguendum in tertio versu vidit Marklandus; σπεύδουσα præclara est Musgravii emendatio pro σπουδαῖς vel σπουδῆς. Soph. El. 251. τὸ σὸν σπεύδουσ' ἅμα, Καὶ τοὐμὸν αὐτῆς ἦλθον. Cyclop. 471 (476). omittere debebat, sed optime advocat Iph. T. 349. οἶσιν ΗΓΡΙΩΜΕΘΑ, ΔΟΚΟΥΣ' Ὀρέστην μηκέθ' ἥλιον βλέπειν, et Herc. F. 860. Ἥλιον ΜΑΡΤΥΡΟΜΕΣΘΑ ΔΡΩΣ' ἃ δρᾷν οὐ βούλομαι. Adde Ion. 1269. Πρόσπολοι, ΔΙΩΚΟΜΕΣΘΑ θανασίμους ἐπὶ σφαγὰς, Πυθίῳ ψήφῳ ΚΡΑΤΗΘΕΙΣ'· ἔκδοτος δὲ γίγνομαι. At quomodo spondeum οὕτω in trochæum convertes? Facillime, si legemus ὧδε pro οὕτω. Sæpissime confunduntur ὅδε et οὗτος, τοσόσδε vel τοιόσδε, et τοσοῦτος vel τοιοῦτος; rarius quidem, sed non valde raro, ὧδε et οὕτω. Sic variant codices Herodoti II. 116. VI. 77. Utrobique ὧδε servat *Arch.* In Orest. 1628 (1645). οὕτως contra metrum *Cant.* Aristoph. Lysistr. 369. οὕτω e MS. Voss. edidit Kusterus; sed ὡδὶ cum edd. prioribus ex Aug. Rav. dedere Brunckius et xlii. Invernizius. Tragicus senarius citatur a Scholiaste Codicis Townleiani ad Iliad. δ'. 249. Αὐτός τι νῦν δράχ' οὕτως δαίμονας κάλει. Quæ ita corrigenda sunt, Αὐτός τι νῦν δρᾶ χὤδε δαί-

*μονας κάλει.* Quanquam Suidas v. *Αὐτός τι*, et *Σὺν Ἀθήνῃ*, hunc versum paullo aliter scriptum legit, *Αὐτός τι νῦν δρῶν, εἶτα δαίμονας (τοὺς θεοὺς) κάλει.* Videntur olim exstitisse duo versus in Euripidis Temenidis ad hunc fere modum,

*Αὐτός τι νῦν δρῶν, εἶτα δαίμονας κάλει·*
*Τῷ γὰρ πονοῦντι χὡ θεὸς ξυλλαμβάνει.*

Satis ostendi, ut opinor, quod promisi, paucissimos Tragicorum esse versus similes Ionis initio. Sed non ausim dicere nullos esse. Illud autem attente considerandum, quam facile librarii, qui sibi notissimas regulas violarint, eas violaturi essent, quas prorsus ignorarent. Laudat obiter M. A. Muretus Var. Lect. XV. 1. versum, quem Sophoclis esse quivis conjiciat. *Οὐ παῖς Ἀχιλλέως, ἀλλ' Ἀχιλλεὺς αὐτὸς εἶ.* Verba sunt Græci exercitus ad Neptolemum, Trojam modo advectum, ut liquet e Philoct. 356. *κἄμ' εὐθὺς ἐν κύκλῳ στρατὸς Ἐκβάντα πᾶς ἠσπάζετ', ὀμνύντες βλέπειν Τὸν οὐκέτ' ὄντα ζῶντ' Ἀχιλλέα πάλιν.* Si vero versus iste eodem modo, quo apud Muretum legitur, apud Plutarchum T. I. p. 203 D. T. II. p. 51 C. legeretur, quis de mendo suspicari auderet? Temerarius certe videretur, qui *ἐκεῖνος* pro *Ἀχιλλεὺς* reponeret. Versum Euripidis (Fragm. incert. 143.) apud Plutarch. T. II. p. 1028 F. ex ingenio suo fabricavit Musgravius. Fragm. 176. *Σμικραῖς ἐπιτρέπουσιν αὐτοὺς | ἐλπίσιν*, neminem morabitur. [*ἑαυτοὺς ἐπιτρέπουσιν*] Sed locus est e Pirithoo citatus a Gregorio Corinth. in Hermog. apud Reisk. Græc. Orat. T. VIII. p. 948. *Ἐμῇ γὰρ ἦλθε μητρὶ κεδνῇ | πρὸς λέχος*, qui expendi meretur. xliii.

Nunc iambicorum genus Comicis fere proprium leviter attingamus, quod vulgo vocatur tetrametrum catalecticum. Duabus rebus a Comico senario hoc differt; primo, quod quartus pes semper iambus aut tribrachys[1] sit oportet; secundo, quod sextus pes anapæstum etiam admittit[2]. Sed pes catalecticam syllabam præcedens non iambus esse nequit; nisi in proprio nomine, ubi conceditur anapæstus[3]. Quod de quarto etiam pede[4] intelligi velim. Ran. 942. 943. 948. Eq. 905. Thesm. 554. 555. 557. Archippus Athenæi VI. p. 227 A. VII. p. 311 E.

*Πρώτιστα μὲν γὰρ ἕνα γε τινὰ[1] καθεῖσεν ἐγκαλύψας*
*Ἀχιλλέα τιν' ἢ Νιόβην[4], τὸ πρόσωπον οὐχὶ δεικνύς.*
*Οὐχ ἧττον ἢ νῦν οἱ λαλοῦντες. ἠλίθιος[2] γὰρ ἦσθα.*
*Ἰδοὺ δέχου κέρκον λαγὼ, τὠφθαλμιδίω[2] περιψῆν*

Ἐγένετο, Μελανίππας ποιῶν, Φαίδρας τε, Πηνελόπην δὲ[3].
Οὐπώποτ' ἐποίησ', ὅτι γυνὴ σώφρων ἔδοξεν εἶναι.
Τῶν νῦν γυναικῶν Πηνελόπην[4], Φαίδρας δ' ἀπαξαπάσας.
Ἑρμαῖος, ὃς βίᾳ δέρων ῥίνας γαλεούς[2] τε πωλεῖ.

Verum, quantumvis hanc veniam postulent tetrametri iambici, cavete, Adolescentes, credatis, omnes licentias admittere, qualis e.g.

Τῇ παιδὶ τοὺς αὐλοὺς ἐχρῆν ἤδη [k]προχείρους εἶναι.

At enim, dicetis, quid opus erat hoc monere? Quenquamne esse auribus adeo destitutum, ut hæc verba pro versu venditet? Recte. Neque ego hercule credo quenquam hodie esse, qui talia portenta pro versibus obtrudat. Si quis tamen talis existet, is eadem opera poterit legere, (Athen. XV. p. 665 D.) Ποῦ δὴ μέθυ ἤδη γέγονε καὶ πίνοντες ἤδη πόρρω. Eadem opera pro tetrametro iambico accipiet, Στεφάνους τε πολλοὺς κρεμαμένους μελιλωτίνους [ἐπιθυμεῖς.] Athen. XV. p. 678 C. ubi jamdudum vocem ἐπιθυμεῖς emendavit et Athenæo restituit summus Casaubonus. Sed ne diutius iambis immoremur, quædam loca citemus, ut legi debent; quædam, a Viris doctis male habita, aut in aliud versuum genus deformata. Unum modo jure postulaturum me puto, ut ne ταῖσι δίκαις vel ἀνθρώποισι φανεὶς (Nub. 1040. Eq. 836 Brunck.) mihi obmoveantur. xliv.

Nub. 1059. Πολλοῖς· ὁ γοῦν Πηλεὺς ἔλαβε δι' αὐτὸ τὴν μάχαιραν.
1362. Οὐ γὰρ τότ' εὐθὺς χρῆν σε τύπτεσθαί τε καὶ πατεῖσθαι.

Sic recte Bentleius.

Ran. 961. Ἃ ξυμβαλεῖν οὐ ῥᾴδι' ἦν. νὴ τοὺς θεοὺς ἔγωγ' οὖν.
Eq. 419. Ὦ δεξιώτατον κρέας· σοφῶς γε προὐνοήσω.
Thesm. 567. Οὐδ' ὡς ἑτέρα τὸν ἄνδρα τῷ πελέκει κατεσπόδησεν.

apud Athen. VII. p. 302 D.

Οὐκ ἔγχελυν Βοιωτίαν, οὐ γλαῦκον, οὐχὶ θύννου
Ὑπογάστριον.

IX. p. 400 A.

Λύσας ἴσως ἂν τὸν λαγὼν ξυναρπάσειεν ἡμῶν.

XII. p. 527 C. xlv.

Ἀλλ' οὐ γὰρ ἐμάθετ' αὔτ' ἐμοῦ πέμποντος· ἀλλὰ μᾶλλον
Πίνειν, ἔπειτ' ᾄδειν κακῶς Συρακοσίαν τράπεζαν,
Συβαρίτιδάς τ' εὐωχίας καὶ Χῖον ἐκ Λακαινᾶν
Κυλίκων. Corrupta sunt sequentia.

[k] [Boissonadius ad Marinum p. 109. reposuit πρὸ χειρός.]

XIV. p. 628 E.

Ὦστ', εἴ τις ὀρχοῖτ' εὖ, θέαμ' ἦν· νῦν δὲ δρῶσιν οὐθέν·
Ἀλλ' ὥσπερ ἀπόπληκτοι στάδην ἑστῶτες ὠρύονται.

apud Polluc. IX. 46.

Πόλος τόδ' ἐστιν· εἶτα πόστην ἥλιος τέτραπται;
69. Ἐξ ἄστεος νῦν εἰς ἀγρὸν χωρῶμεν· ὡς πάλαι δεῖ
Ἡμᾶς ἐκεῖ τῷ χαλκίῳ λελουμένους σχολάζειν.

apud Suid. v. Ἀφαιρεῖν κροκύδας.

Εἴ τις [σε] κολακεύει παρὼν καὶ τὰς κροκύδας ἀφαιρῶν.

v. Ὦ νῦν θερμοὶ βωμοί.

Aristophanes occasionally introduces a very elegant species of verse, which we are willing to mention in this place because it differs from the tetrameter iambic only in having a cretic or pæon in the room of the third *dipodia*, and because it is frequently corrupted into a tetrameter iambic by the insertion of a syllable after the first hemistich. In technical language, it is an asynartete composed of a dimeter iambic and an ithyphallic. It is called *Εὐριπίδειον τεσσαρεσκαιδεκασύλλαβον* by Hephæstion (ch. 15), who has given the following specimen of it: *Ἑῷος ἀνίχ' ἱππότας | ἐξέλαμψεν ἀστήρ.* Twenty-five of these verses occur together in the Wasps of Aristophanes, beginning with v. 248. Two of them may be corrected as follows: V. 249. *Κάρφος χαμᾶθέν νυν λαβὼν, | τὸν λύχνον πρόβυσον.* The second syllable of *χαμᾶθεν* is long. V. 263. *Φι-*

λεῖ δ', ὅταν τοῦτ' ᾖ, ποιεῖν | ὑετὸν μάλιστα. In v. 1212 of the Clouds the Ravenna MS. rightly reads, Ἀλλ' εἰσάγων σε βούλομαι | πρῶτον ἑστιᾶσαι. The following verse of Teleclides is adduced by Athenæus (p. 485 F): Καὶ μελιχρὸν οἶνον ἕλκειν ἐξ ἡδυπνόου λεπαστῆς. Schweighæuser has converted these words into the following tetrameter trochaic: Καὶ μελιχρὸν οἶνον ἕλκειν ἐκ λεπαστῆς ἡδύπνουν. As the second syllable of μελιχρὸν ought to be short, perhaps the following asynartete with a dactyl in the first place may approach nearer to the true reading: Καὶ μελιχρὸν οἶνον εἷλκεν ἐξ | ἡδύπνουν λεπαστῆς. The measure of these verses resembles the Latin Saturnian, except that the first hemistich of the Saturnian is catalectic. *Dabunt malum Metelli* | *Nævio poëtæ.* Ἑῷος ἀνίχ' ἱππεὺς | ἐξέλαμψεν ἀστήρ.

Respecting the dimeter iambics of the comic poets Mr. Porson has said nothing; and we have very little to add to what has been said by Mr. Gaisford, p. 244. With the exception of the catalectic *dipodia*, they appear to admit anapests into every place, but more frequently into the first and third than into the second and fourth. Strictly speaking, indeed, there is no difference in this metre between the second and fourth feet, as a system or set of dimeter iambics is nothing more than one long verse divided for convenience of arrangement into portions each containing four feet. That the quantity of the final syllable of each dimeter is not indifferent, has been remarked as well by others as by Brunck, from whose hands we beg leave to rescue the following passage: Aristoph. Eq. 453. Παῖ' αὐτὸν ἀνδρικώτατα, | γάστριζε καὶ τοῖς ἐντέροις | καὶ τοῖς κόλοις, | χὤπως κολᾷ τὸν ἄνδρα. This is the common reading. Brunck reads, *ex ingenio*, Παῖ' αὐτὸν ἀνδρικώτατα, καὶ | γάστριζε τοῖσιν ἐντέροις, &c. If this reading were found in all the MSS. we should think it our duty to submit to it; but we cannot allow the division of the anapest which it exhibits to be introduced upon mere conjecture. We suspect that the poet wrote, Παῖ' αὐτὸν ἀνδρικώτατ', εὖ | γάστριζε καὶ τοῖς ἐντέροις, &c. It is well known that Α and ΕΥ are continually confounded in manuscripts. In our account of Mr. Blomfield's edition of the Prometheus, we had occasion to remark that the Aldine edition of Æschylus reads ἀρῶν for εὑρῶν

v. 580, and ἀγμάτων for εὐγμάτων v. 586. In the same manner
the Ἀστράτευτοι, a play of Eupolis mentioned by Hephæstion
(ch. 15), is called Εὐστράτευτοι in several MSS.[f] The adverbs
εὖ and ἀνδρικῶς are both applied to a verb signifying *to beat,* 91
in the Wasps, v. 450. Προσαγαγὼν πρὸς τὴν ἐλαίαν ἐξέδειρ' εὖ
κἀνδρικῶς. We conclude our observations on these verses by
mentioning that in v. 840 of the Knights, at the end of a
system of them, we must read ἐπαποπνιγείης instead of ἀποπνι-
γείης, in order to prevent the lengthening of a short syllable
before a mute and a liquid. The compound ἐπαποπνιγείης may
be compared with ἐπιδιαρραγῶ v. 701.

An expression occurs in Mr. Porson's remarks on the trochaic metre, which appears to have deceived more than one respectable scholar. Mr. Porson observes (p. 46), that the catalectic tetrameter trochaic of the tragic and comic poets may conveniently be considered as consisting of a cretic or pæon prefixed to a common trimeter iambic, in the following manner: Μῆτερ, οὐ | λόγων ἔθ' ἀγὼν, ἀλλ' ἀνήλωται χρόνος. Ἀνόσιος | πέφυκας. ἀλλ' οὐ πατρίδος, ὡς σὺ, πολέμιος. Ἀρτέμιδι, | καὶ πλοῦν ἔσεσθαι Δαναΐδαις, ἥσθεὶς φρένας. Mr. Porson adds:

"Sed in hoc trochaico senario (liceat ita loqui) duo observanda sunt; nusquam anapæstum, ne in primo quidem loco, admitti; deinde necessario semper requiri cæsuram penthemimerim."

The inadmissibility of anapests into the trochaic *senarius* may be exemplified by prefixing a cretic to the fifth verse of the Plutus of Aristophanes: Ἀλλὰ γὰρ | μετέχειν ἀνάγκη τὸν

[f] In the Gentleman's Magazine for 1787 (p. 672), the following words conclude a very learned and elaborate panegyric on Mr. Pitt: "Rome "had cause to rejoice that Scipio "was her consul; Britain, too, has "reason to gratulate herself that "Pitt is her minister. Σοφὸς ὁ "πολλὰ εἰδὼς φυᾷ. Pind. Ol. II. "Let not therefore objection be "made to the youth of one, who "may with confidence say, εἰ δ' ἐγὼ "νέος, Οὐ τὸν χρόνον χρὴ μᾶλλον ἢ "τἄργα σκοπεῖν. Soph. Ant. 740. Or "in the words of Menander: Μὴ "τοῦτο βλέψῃς, εἰ νεώτερος λέγω, "Ἀλλὰ φρονοῦντος ἄνδρος εἰ λόγους "ἐρῶ." If we read ἀλλ' εὖ φρονοῦντος, we shall have a reading which, in our opinion, is preferable not only to that which is exhibited by this ingenious admirer of youthful ministers, but also to the original reading in Stobæus LII. p. 201. Ἀλλ' εἰ φρονοῦντος τοὺς λόγους ἀνδρὸς ἐρῶ. Grotius reads ἀνδρός σ' ἐρῶ, with the following note: *Addidi σ' versus causa.* The fragment is manifestly taken from some tragedian, but not from Euripides, if Mr. Porson's (ad Hec. 298) observation on the initial letters βλ, γλ, &c. be correct.

θεράποντα τῶν κακῶν. The dactyl in the second place vitiates the metre of this verse, considered as a tetrameter trochaic. Common readers will pardon us for explaining this passage in Mr. Porson's preface, when we show that it seems to have been misunderstood by so excellent a scholar as Mr. Burges. In Mr. Porson's edition of the Phœnissæ, v. 616 has an anapest in the fourth place: Ἐξελαυνόμεσθα πατρίδος. καὶ γὰρ ἦλθες ἐξελῶν. In his note upon this verse, Mr. Burges remarks, *Raro et fortasse nunquam in trochaicis tragicis anapæstus occurrit.* He proposes to read, either ἐξελαύνομαι χθονὸς γὰρ, or πατρίδος ἐξελαυνόμεσθα. It is somewhat remarkable, that an anapest in v. 621 of the same play has escaped Mr. Burges's observation: Καὶ σὺ, μῆτερ, οὐ θέμις σοι (f. οὐ θεμιστὸν) μητρὸς ὀνομάζειν κάρα. In Mr. Porson's edition of the Orestes, anapests occur in the five following trochaics: Vv. 728, 776, 787, 92 1528, 1530. The Iphigenia in Aulis will supply near twenty examples, including a few in which the anapest is contained in a proper name.

It is almost unnecessary to mention that in this metre anapests are admissible only into the even places. It may, however, be not altogether superfluous to observe, that the tragic poets appear to have used anapests in the even places as willingly and frequently as tribrachs, in any place except the first and fifth. The thirty-two tragedies exhibit about thirty-two instances of a tribrach in the second, third, fourth, sixth, or seventh place, several of which appear to be corrupt.

Both in tragedy and in comedy the tetrameter trochaic is usually divided into two hemistichs by a *cæsura* after the fourth foot. The tragedians, however, observe this rule much more strictly than the comedians. Most of the instances to the contrary have been corrected in a satisfactory manner. Æsch. Pers. 165. Ταῦτά μοι διπλῆ μέριμν' ἄφραστός ἐστιν ἐν φρεσίν. The Glasgow edition has an obelus before διπλῆ. The *cæsura* may be restored by removing διπλῆ to the end of the verse. Ibid. 731. Ὧδε παμπήδην δὲ πᾶς λαὸς κατέφθαρται δορί; The true reading, λαὸς πᾶς, has been restored by all the modern editors. Soph. Phil. 1402. Εἰ δοκεῖ, στείχωμεν. ὦ γενναῖον εἰρηκὼς ἔπος. Mr. Porson's emendation, which, in our opinion, is more ingenious than satisfactory, may be seen in Mr. Gais-

ford's notes on Hephæstion, p. 264. Eurip. Iph. Aul. 1385. Καὶ γὰρ οὐδέ τοι λίαν γ' ἐμοὶ (οὐδέ τι λίαν ἐμὲ codd.) φιλοψυχεῖν χρεών. Perhaps the poet wrote, Καὶ γὰρ οὐδέ τοι τι λίαν ἐμὲ φιλοψυχεῖν χρεών. Ibid. 1391. Τί τὸ δίκαιον τοῦτό γ' (τοῦ γ' Ald.); ἆρ' ἔχοιμεν ἀντειπεῖν ἔπος. We do not pretend to correct the whole verse; but we have little doubt that tho true reading of the latter hemistich is ἔχομεν ἀντειπεῖν ἔπος. Ion. 532. Μαρτυρεῖς σαυτῷ. τὰ τοῦ θεοῦ γ' ἐκμαθὼν χρηστήρια. We quote this verse as an instance of licentious emendation. Barnes silently reads τὰ τοῦ θεοῦ μαθών. His motive for this alteration is unknown to us. We are unwilling to suppose that even the author of the sublime ode on Λεόπολδος αὐτοκάρτωρ Ὑπὸ Μαρλβόρου σαωθεὶς objected to the contraction of θεοῦ into one syllable, an instance of which occurs only ten lines before the verse in question.

Mr. Porson remarks (p. 50), that in dimeter anapestics a dactyl is very seldom, *rarissime*, placed immediately before an anapest, so as to cause a concourse of four short syllables. Mr. Gaisford (p. 279) has collected several instances of this concourse, which we will lay before our readers, with some additional examples which have occurred to us. Æsch. Theb. 874. ὕμνον Ἐριννύος, Ἰαχεῖν, Αΐδα τ'. Eum. 952. Ἦ τάδ' ἀκούετε, πόλεως φρούριον. Suppl. 9. τὸν φυξάνορα Γάμον Αἰγύπτου. Soph. 93
Ant. 941. Τὴν βασιλίδα τὴν μούνην λοιπήν. Aj. 205. Νῦν γὰρ ὁ δεινὸς, ὁ μέγας, ὠμοκρατής. Read μέγας without the article. Eurip. Hec. 147. Ἴζ' Ἀγαμέμνονος ἱκέτις γονάτων. Hippol. 1365. Ὅδ' ὁ σωφροσύνῃ πάντας ὑπερέχων. Mr. Gaisford properly reads ὑπερσχών. Alc. 81. Ὅστις ἂν ἐνέποι πότερον φθιμένην. Tro. 101. Μεταβαλλομένου δαίμονος ἀνέχου. Ibid. 177. Τάσδ' Ἀγαμέμνονος, ἐπακουσομένα. Ibid. 1252. Ἐλπίδας ἐπὶ σοὶ κατέκναψε βίον. Mr. Gaisford, who omits this line, probably reads ἐν σοὶ with Mr. Porson (ad Hec. 298). Ion. 226. Εἰ μὲν ἐθύσατε πέλανον πρὸ δόμων. El. 1319. Θάρσει. Παλλάδος ὁσίαν ἥξεις. Ibid. 1321. Σύγγονε φίλτατε· διὰ γὰρ ζεύγνυσ'. Aristoph. Pac. 169. Καὶ μύρον ἐπιχεῖς, ὡς ἦν τι πεσών. Av. 404. Καὶ πόθεν ἔμολον. This little verse is not anapestic, as appears by the following words, ἐπὶ τίνα τ' ἐπίνοιαν, which Brunck has miserably corrupted, in order to accommodate them to his notions of the metre. Thesm. 822. Τἄντιον, ὁ κανὼν, οἱ καλαθίσκοι.

Ran. 1525. Λαμπάδας ἱερὰς, χἄμα προπέμπετε. Ephippus ap. Athen. p. 322 E. Κώβιος, ἀφύαι, βελόναι, κεστρεῖς. Mnesimachus ibid. p. 403 C. Κάραβος, ἔσχαρος, ἀφύαι, βελόναι. More examples may probably be detected by diligent search; but those which we have produced are sufficient to prove that Mr. Porson's expression must be construed with some degree of latitude. According to Mr. Porson (p. 55), there is no genuine instance of this license in tetrameter anapestics.

The anapestic dipodia may be composed of a tribrach and an anapest, for the purpose of admitting a proper name, which cannot otherwise be introduced into the verse. Anaxandrides ap. Athen. p. 131 B. Αὐλεῖν δ' αὐτοῖς 'Αντιγενίδαν, 'Αργᾶν δ' ᾄδειν, καὶ κιθαρίζειν Κηφισόδοτον τὸν 'Αχαρνῆθεν. The second syllable of 'Αντιγενίδαν is evidently short.

In both kinds of anapestic verse, dactyls are admitted with much greater moderation into the second than into the first place of the *dipodia*. The eleven comedies of Aristophanes contain more than twelve hundred tetrameter anapestics, in which number we have remarked only the nineteen following examples of a dactyl in an even place, which, in this kind of anapestic metre, can only be the second foot of the verse, as Mr. Porson has observed (p. 51): Eq. 524*, 805, 1327. Nub. 351*, 353, 400, 409*. Vesp. 389, 551, 671, 673*, 708*, 1027. Pac. 732. Lys. 500. Thesm. 790, 794. Ran. 1055. Eccl. 676*. In all of these verses, except those six which are marked with an asterisk, the preceding foot is also a dactyl. The same observations apply in a certain degree also to dimeter anapestics. When we find therefore, in the Œdipus Coloneus of Sophocles (v. 1766), Ταῦτ' οὖν ἔκλυε δαίμων ἡμῶν, we do not hesitate to read ἔκλυεν. In the Electra (v. 96), where the
MSS. and editions read Φοίνιος Ἄρης οὐκ ἐξείνισε, Brunck has 94
judiciously adopted the reading of the Scholiast, οὐκ ἐξένισεν. These trifling alterations require no authority to support them; but we would not go so far as to change the order of the words for the purpose of removing a dactyl out of an even place.

Of the nineteen tetrameters mentioned in the preceding paragraph, one only is destitute of a *cæsura* after the first *dipodia:* Nub. 353. Ταῦτ' ἄρα ταῦτα Κλε|ώνυμον αὗται | τὸν

ῥίψασπιν χθὲς ἰδοῦσαι. Similar instances are exceedingly rare in dimeters. Mr. Gaisford has collected more than fifty instances of the violation of the *cæsura* in dimeter anapestics, in six of which the foot which ought to be followed by the *cæsura* is a dactyl. Æsch. Pers. 532. Ἀλλ', ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, νῦν Περσῶν. The word ἀλλ' appears to have been inserted by Turnebus for the purpose of completing the verse. Perhaps we ought to read, Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ νῦν τῶν Περσῶν | τῶν μεγαλαύχων καὶ πολυάνδρων | στρατίαν ὀλέσας. This emendation is corroborated by the first words of the play, Τάδε τῶν Περσῶν τῶν οἰχομένων, &c. At the same time, we are not free from suspicion that the poet wrote, νῦν αὖ Περσῶν, *now for the second time*. Agam. 1533. ἀλλ' ἐμὸν ἐκ τοῦδ' | ἔρνος ἀερθὲν, τὴν πολύκλαυτόν τ' | Ἰφιγένειαν ἀνάξια δράσας, &c. Mr. Porson (ad Med. 822) remarks on this passage, *Dele inutilem copulam, et lege* πολυκλαύτην. We suspect that both the conjunction and the proper name are interpolated, and that we ought to read τὴν πολύκλαυτον ἀνάξια δράσας. Either reading violates the *cæsura*. Idem Prometheo Soluto apud Strabonem, p. 33. Λίμναν παντοτρόφων Αἰθιόπων. Both the sense and the reading of these words are uncertain. Soph. Ant. 156. Τῆσδε Κρέων ὁ Μενοικέως νεοχμός. The word τῆσδε, which is unnecessary to the sense, was added by Heath to complete the verse. Until a happier emendation is offered, perhaps an editor of Sophocles will do well in exhibiting this verse as it stands in the MSS. and old editions. Eurip. Iph. Taur. 460. Ἐν ναοῖσι πέλας τάδε βαίνει. As the preceding verse ends with a vowel, Markland omits ἐν, and considers this verse as catalectic. Aristoph. Pac. 1320. Κἄπειτ' εὐξαμένους τοῖσι θεοῖς. Read with the assistance of the Ravenna manuscript, κἀπευξαμένους τοῖσι θεοῖσιν.

Every person who has a tolerable ear, and is acquainted with the subject, will immediately perceive that the rhythm of the following verses is not quite perfect. Æsch. Prom. 1067. Τοὺς προδότας γὰρ μισεῖν ἔμαθον. Choëph. 1068. Παιδοβόροι μὲν πρῶτον ὑπῆρξαν. Soph. Œd. Col. 1754. Ὦ τέκνον Αἰγέως, προσπίτνομέν σοι. Eurip. Med. 160. Ὦ μεγάλα Θέμι, καὶ πότνι' Ἄρτεμι. Ibid. 1408. Ἀλλ' ὁπόσον γ' οὖν πάρα καὶ δύναμαι. Suppl. 980. Καὶ μὴν θαλάμας τάσδ' ἐσορῶ δή. Iph.

Aul. 28. Οὐκ ἄγαμαι ταῦτ' ἀνδρὸς ἀριστέως. The rhythm of the first hemistich of the first, second, fourth, fifth, and seventh of these verses, and of the second hemistich of the third and sixth, is rather dactylic than anapestic. The same effect is always produced when the three last syllables of a word, which are capable of standing in the verse as an anapest, are divided, as in the preceding examples, between a dactyl and the following foot. In the Prometheus, Mr. Blomfield has judiciously adopted Bothe's emendation, τοὺς γὰρ προδότας. In comic anapestics, such faults may generally be corrected with great ease. Aristoph. Nub. 293. Καὶ σέβομαι γ', ὦ πολυτίμητοι. Read, Σέβομαι δῆτ', ὦ πολυτίμητοι. Ibid. 420. 'Αλλ' ἕνεκέν γε ψυχῆς στερρᾶς. Read, 'Αλλ' οὕνεκά γε. Vesp. 687. Ὅταν εἰσελθὸν μειράκιόν σοι. Read σοι μειράκιον. Ibid. 715. 'Αλλ' ὁπόταν μὲν δείσωσ' αὐτοί. Read ὁπότ' ἂν as two words. Av. 494. Εἰς δεκάτην γάρ ποτε παιδαρίου. Read, Εἰς γὰρ δεκάτην. Ibid. 569. Ὧι προτέρῳ δεῖ τοῦ Διὸς αὐτοῦ. Read, Ὧι δεῖ προτέρῳ. Lys. 571. 'Εξ ἐρίων δὴ καὶ κλωστήρων. Read, 'Εκ τῶν ἐρίων καὶ κλωστήρων. Thesm. 804. Ναυσιμάχης μὲν (μὴν Brunck.) ἥττων ἐστίν. Read, Ἥττων μὲν Ναυσιμάχης ἐστίν. Eccl. 516. Οὐδεμιᾷ γὰρ δεινοτέρᾳ σου. Read, Οὐδὲ μιᾷ γὰρ σοῦ δεινοτέρᾳ. Ibid. 624. Μηδεμιᾶς ᾖ τρύπημα κενόν. Read, Μηδὲ μιᾶς ᾖ. Plut. 588. Φειδόμενος γὰρ καὶ βουλόμενος. Read, Εἰ φειδόμενος καὶ βουλόμενος.

We shall now take our leave for the present of this great critic, who, in the compass of a few pages, has thrown more light upon the subjects of his inquiry than can be collected from all the numerous volumes of his predecessors. For ourselves, we have only to express a hope that our strictures may contribute in some degree to the information of such younger students in Greek literature as are disposed to peruse the preface to the Hecuba with that care and attention which it so eminently deserves, and without which its merits cannot be duly appreciated.

# ANNOTATIONES

## IN TERENTIANVM MAVRVM.

# AMPLISSIMO VIRO PHILIPPO A FVRSTENBERG SENATORI FRANCOFORTENSI IACOB. MICYLL.

PLEROSQUE videmus Philippe ornatiss. quando vel novos aliquos authores, vel vulgo non ita notos, edendos suscipiunt, principio literis ac eruditione, aut alia quavis virtute clarum atque insignem virum circumspicere, cujus sive gratia, sive autoritate operam suam publice tueantur, atque commendant. Perinde enim atque veteres credebant, infantes amuletis quibusdam collo suspensis, contra invidiam, et fascinantium maleficia tutos et velut praemunitos fore, ita hi quoque arbitrati videntur, summorum atque clariss. virorum inscripta laboribus suis nomina, contra malevolorum atque improborum hominum obtrectationes atque calumnias plurimum prodesse. Nam quid aliud causae fuisse dicas, cur veteres illi, doctissimique homines quicquid ferme operum in literis edebant, hic Mecaenati, ille Augusto, alii aliis principibus viris dedicabant? nisi quia tantorum virorum autoritate sive excellentia, iis quæ per se apud rude atque imperitum vulgus, humilia, tenuiaque apparitura erant, dignitatem atque existimationem nonnullam conciliari credebant. Proinde nos quoque exemplum illorum secuti, cum Terentianum Grammaticum, eruditissimum illum quidem, nostris autem hominibus non ita notum, edituri essemus, eundem tibi dedicandum, tuique nominis auspicio, in publicum emittendum censuimus. Nam ut inter alios hujus urbis patricios viros, nemo neque literarum scientia, neque humanitatis fama clarior te est, ita facile futurum spero, ut quanto favore atque gratia tute aliis praestas, tanto nostra opera studiosis omnibus per te magis commendetur. Sed cum omnis ista dedicandi ratio tribus fere partibus continetur, ut vel ipsum autorem praedicemus, vel operam nostram studiosis commendemus, vel dedicati operis causam, iis quibus dedicatur, exponamus, arbitror neque authorem ipsum praedicari, neque operam ac diligentiam nostram commemorari, magnopere hic referre.

Principio enim, quod ad genus atque aetatem Terentiani pertinet, ex aliis, praecipue autem Crinito, peti potest, cujus verba, quibus eam rem prosecutus est, infra apposuimus. Et ipsius operis ea tum dignitas, tum utilitas mihi quidem videtur esse, ut nostra commendatione, apud eos praesertim, qui solidam eruditionem sectantur, praeterea nihil egere videatur. Deinde autem, nostra opera, si quae in emendando libro posita est, ejusmodi ipsa quoque est, ut valde jactare illam equidem nolim. Nam cum nulli magis autores corrupti esse soleant, quam qui, ut ne essent, a pluribus iccirco in manus assumpti sunt, nos plerosque locos notandos magis, quam corrigendos putavimus, praesertim cum nullo veteri exemplare ad eam rem adjuvaremur. Itaque et Asteriscos, ubi corruptum aliquid, aut omissum apparebat, additos, et lectionis diversitatem, quae nobis videbatur, ad marginem adnotatam cernis. Quanquam si quis ejusmodi locus incidebat, ubi vel addi aliquid, vel aliter, quod rectius esset, legi ab aliis videbamus, tametsi hoc pauciss. factum est, non negamus nos alicubi a priore lectione discessisse. At præcipue quidem in partitione operis, aliud quam superiores secuti sumus. Cum enim illi totum opus unum esse atque cohaerere voluissent, nos eam partem, in qua de syllabarum ratione agitur, seorsim ab aliis jungendam putavimus, Non quia non idem autoris consilium, aut eadem dictionis qualitas, quae in aliis, hic quoque appareret, sed quia videbam non modo huic parti et Prohœmium et Epilogum, secus quam caeteris, autorem addidisse, verum etiam pleraque illa, quae de literis in prima parte tractata erant, in hac denuo repetita esse. Ut neque cum hac, quia certo ac suo Epilogo clausa erat, sequens conjungi, neque haec cum praecedenti, quoniam tam longa atque praefatione ordiretur, apte cohaerere posset. Nam quod ad majusculas literas attinet, quae ab ipso authore vel minio illustratae vel supra caput aliarum ab initio signatae fuisse videntur, Lector aequus et candidus per se facile animadvertet, nos in eo ubi non ita anxium esse referebat, non immerito priorem editionem secutos esse. Quamobrem cum jam tertium, solumque illud restet, ut caussam instituti mei tibi reddam, et cur tibi hunc librum potissimum dedicatum voluerim, dicam: quaeso Philippe clarissime, ut me liberius aliquanto

tecum agere patiare. Nam quando nihil ubique literarum scientia, sive privatim amabilius, sive publice utilius esse solet, hanc equidem curam praecipuam semper habendam putavi, dare operam, ut illa quam latissime propagetur. At vero hoc tempore, quando, ut quaeque optima, ita ad vulgus contemptissima sunt, fieri hoc nequaquam videtur posse, nisi ejus cura quoque aliqua a summis atque principibus viris suscipiatur. Proinde cum jam inde ab initio ita de te persuasus fuerim, ut quemadmodum utriusque linguae studiis non te vulgariter exercitatum esse scio, ita credam quoque iisdem promovendis te quam maxime studere, operae precium facturum me esse arbitratus sum, si Terentianum hunc nostrum tibi, ut eruditum erudito, versificatorem, versuum amatori dedicarem. Nam cum unus tot opibus, virtute, gratia et autoritate apud cives tuos excellas, facturum credo, ut quemadmodum authorem hunc literarum vim, atque naturam, carmine persequentem leges, ita tu quoque literarum studia, atque dignitatem, tuendo conserves. Ad quam quidem rem, haud scio an maximam hoc tempore occasionem, sive haec fortuna mea, sive calamitas publica vocanda est, tibi quoque praebet. Alter enim jam annus agitur, ex quo publica civitatis hujus schola, magis indies magisque labefactatur, neque reliquum quicquam apparet, quo minus propediem collapsa ruinam tota trahat. Quae quidem an non putas, si posset, ita nunc opem tuam imploraret, ut sui tibi curam suamque fortunam quam maxima liceret voce, commendaret. Hanc igitur respicere te, hanc relevare atque instaurare decet, neque committere, ut quae hactenus commune totius urbis ornamentum fuit, deinceps pro diruta atque eversa, non sine aliquo reip. vestrae, fortasse etiam famae detrimento, relinquatur. Nam quid obsecro pulchrum aut praeclarum usquam in reb. pub. putandum erit, ubi immortale literarum donum et hanc honestiss. artium excellentiam inde abstuleris? Quae certe ut virtutem ipsam non fingant, quod tamen a sapientissimis hominibus semper creditum est, tamen ad excitandam inque animis hominum accendendam illam plurimum utique momenti habent. Non enim putandum est veteres ac sapientiss. illos homines temere nugatos esse, qui ut quenq. fortiss. ac praestantiss. seu pace sive bello principem descripsere, ita maxime ac plurimum consiliis

atque instinctu Palladis, ad res praeclaras agendas excitatum fuisse fingunt. Haec literarum vis atque scientia Pallas est, qua illi a prima statim aetate ad virtutem ficti atque informati, animum fortem atque constantem ad omne periculorum genus obeundum contulere. Id quod cum alias passim, tum ex eo facile videre est, quod Phoenix ille apud Homerum ita sese jactat docuisse Achillem *μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρα δὲ ἔργων.* Philippum Macedonem quoque illum qui primus hoc nomine Graeciae vires atque animos invasit, accepimus, posteaquam filium Alexandrum, eum quem postea rerum gestarum excellentia Magnum fecit, suscepisset, gratulatum sibi ipsum fuisse, quod eo tempore filium natum haberet, quando ad erudiendum atque informandum illum Aristotele, summo, atque graviss. Philosopho, praeceptore uti posset. Quod putas ille homo, ut ne dicam alia, inter arma et strepitus castrenses per omnem fere aetatem occupatiss. fecisset, nisi idem, quod ego nunc, ille tum sensisset. Eruditionem atque *παιδείαν* illam, quam dicimus, ad virtutis rerumque clarissimarum actiones, stimulos veluti quosdam addere, mentesque hominum inflammare? Neque etiam illum opinio fefellit. Nam et talis postea Alexander evasit, qualem fuisse passim legimus, et idem eo literarum studia atque dignitatem amore prosecutus est, ut per omne expeditionis suae tempus Homeri Iliada, tanquam rerum a se gestarum comitem atque testem, secum portaret. Non enim neque divitiae, neque majorum imagines per se tantum valent, ut ullius animum ad res praeclare gerendas excitent aut confirment: sola *παιδεία* est, quae docet quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, hominumque sensus ad rerum pulcherr. cogitationem subducit. Quam ob rem veteribus quoque Graeciae civitatibus more publico institutum fuisse videmus, ut pueri primis statim ab annis Poëtarum, Hesiodi atque Homeri carmina ediscerent, nimirum, ut Aeschines in oratione contra Ctesiphontem ait, *ἵνα ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρῶνται.* Quorum profecto exemplum, ut recte ac sapienter paucis hinc annis imitari coepistis, ita nunc decet omnes vos operam dare, ne quod feliciter, ac pulchre coeptum est, id aliquando (quod pace tua dicam) turpiter omissum atque rejectum esse videatur. Ac certe quidem si nulla praeterea caussa foret, cur hujus rei

curam aliquam suscipiendam esse putares, vel sola pietas, omnium animos vestrorum, quicunque hanc vere atque syncere amatis, commovere debebat. Quam non modo hac aetate videmus, verum etiam superioribus saeculis satis certo accepimus, haud usquam diu, neglectis atque contemptis literarum studiis, stetisse. Cujus rei caussa, quando obscura esse non potest, praesertim tibi viro tantopere et literis et pietate exercitato, necesse pro ficto fuerit, tanto majore cura atque vigilantia eas, quae non modo comites pietatis, verum etiam secundum Deum, conservatrices praecipuae sunt, in rebus publicis passim retinere, quanto graviore conatu plerique hoc tempore contendunt, ut omnem veram atque solidam pietatem ubique opprimant atque extinguant. Quanquam hoc non ideo ad te scribo, quod de tua erga literas voluntate, tuoque studio quicquam dubitare coeperim, aut quia te nostra exhortatione magnopere egere sciam, sed, quando praesens occasio ita se dedit, admonere te ejus, quod sponte alioqui tua facturus eras, non abs re omnino fore putavi. Scis enim verum illud esse quod Ovidius ait,

Acer, et ad palmae per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Proinde quicquid hujus tum scripti, tum etiam muneris est, quod tibi dedicatum voluimus, eo te quaeso ut animo accipias, quo a nobis jamdudum hinc intelligis profectum esse, hoc est, eo, qui non modo nominis atque honoris tui amplitudinem quam maxime augere atque ornare cupiat, verum etiam totius hujus urbis commodum atque dignitatem. Vale. Calendis Januariis 1532.

---

*Illustrissimo principi Domino suo unico D. Alovisio Rodulphi Gonzagae Marchioni, Domino Castioni a stivero, Sulpherinique ac Castrigufredi, Jacobus Petrecinus Evangelistae Castionas perpetuam felicitatem.*

Castionum ubi ortus atque educatus fui, optime Princeps, quod tu aequissimo imperio ac rectissima moderaris ditione, quoties ejus appellatio in mentem venit, non parum momenti ad animos adolescentum poëtices studio excitandos habere ut

credam facile adducor, cum a Castalio fonte, apud quem Apollo et Musae sedes habuerunt, cognomen traxisse non immerito videri possit, tum ob nominis similitudinem, (nam a Castalio Castalionum, paucis vero detractis literis Castionum deductum esse non absurde admodum quis collegerit) tum quod novem fontes habeat, qui vitreo liquore huc atque illuc non sine magna spectantium voluptate errantes, agri illius colonis aquas abunde ministrant. Qui quidem numerus cum Musarum numero probe convenit, ac si illae singulae Musae singulos sibi fontes elegerint. Adsunt praeterea montes erecti, qui Cithaeronem, Parnassum, atque Heliconem nobis referant, sylvae insuper ac supini colles Baccho dicati tanta aëris salubritate atque amoenitate, ut ipsas novem sorores una cum Apolline animi oblectandi gratia non semel eo concessisse non dubitem. Quae omnia mihi Maurum Terentianum, multi nominis poëtam, et grammaticum de rudimentis grammatices ac de quocunque metri genere scribentem, interpretari suaserunt, veluti huc usque a paucis admodum legi aegre tulissent, quod non ab omnibus affatim sine expositione perciperetur: cum et acutus et doctus sit, simulque et delectet et doceat. Ego tametsi huic oneri sustinendo debilem me noveram, huic tamen me accinxi provinciae, non quod nescirem doctissimi undecunque viri potius hoc officii extitisse, quam Jacobi Petrecini vix inter grammaticos numerandi, sed ne adulescentibus rei metricae operam intendentibus hoc subsidii deficeret quam planissime potui ab authoris intentione ne minimum quidem, quatenus ejus sententiam consequi licuit, discedens quo frequentius quam prius legeretur interpretatus sum. Cui autem a malevolorum morsu traderem tuendum animo mihi pensitanti, Tu quam primum a sacro Musarum choro ante omnes oblatus es, quem illae omnium potissimum et poëtae Terentiani et interpretis velut fidum alumnum communi consensu propugnatorem optaverint, cujus tenerum os jam inde ab infantia lacte sacro, ac deinceps Pegasei fonte liquore imbuerunt. Quo factum est, ut tu jocunda semper doctorum consuetudine post hac fueris delectatus, illis te Caesarem Mecaenatem ac Pollionem humanissime exhibens. Hujus rei gratia motae Pierides, hoc qualecunque est opus tibi dicari voluerunt, quod illustres dominos Rodulphum ac Maxi-

mianum fratres, optimae indolis adulescentes, ex fratre tuo natos, quos filios elegisti, summa cura literis bonis venustari studeas, quibus non mediocri commodo id futurum ad ipsas comparandas pernoscant. Qualemcunque igitur commentariolum meae maximae in celsitudinem tuam, quae meam paupertatem respexit, observantiae testem effero. Quem si tibi acceptum videro, mecum optime actum existimabo, ab invidorum ac detractorum morsibus interim securus. Vale feliciss. Virtutum omnium specimen. Datum Castioni a stivero Kal. Novembris 1533.

---

Elegantissimus et inculpatae Latinitatis poëta Terentianus Maurus magno apud veteres pretio fuit, testantibus summis in suo quoque genere scriptoribus, qui non sine testimonio, vel auctoritatis ipsius confessione eum laudarunt, Augustino eruditissimo et sanctissimo viro, Servio grammaticorum omnium fere principe, Rufino in plurimis scientiis nobilissimo, Ennodio Ticinensi, scriptore sermonis ejus qui ex nimia eruditione laboret, Lactantio denique seu Lutacio Placido Statii non futili interprete. Tam celebris auctor nostro aevo saepe editus est, commentariis etiam a Nicolao Brissaeo enarratus: sed eo fato ut glossematis et mendis nunc quoque scateat, illis quidem eo densius, quod aevo jam a barbarie superato pestis quaedam magistrorum animos adflaverat carminibus complectendi praecepta grammatica, unde tot futiles curae in eo genere ubique inveniuntur. Et incidit nunc memoriae me in Xanthensi oppido, quod sub territorio principis Clivensis ad Rhenum fere situm est, vidisse praegrande volumen ineditum hexametro scriptum, totum immensum pelagus grammaticorum canonum complectens, idque in membrana scriptum satis antiqua, ita tamen incuriose, ut properantibus in transitu nobis nomen auctoris inveniri plane nequiverit. Iis temporibus, ut dicere incoeperam, cum frequens in manibus esset Terentianus, saepe glossas et menda a tam urbanis magistris pro praemio doctrinae recepit. Aliqua id genus notare hic volumus, ut docti excitentur accuratius omnia investigare. [Caetera dabimus propriis locis.] BARTHIUS Adversar. XV. 2. p. 791.

## CAR. LACHMANNI PRAEFATIO.

Prima Terentiani Mauri editio Mediolanensis pagina quarta et quinta ea continet quae narrationi Raphaëlis Volaterrani praemisimus. Pagina secunda et tertia vacat: prima titulum hoc modo dispositum tenet.

TERENTIANVS DE
LITTERIS SYL
LABIS ET
METRIS
HORA
TII

duernio praefatione Terentiani absolvitur, cuius duodecim versus postremos pagina ultima, hoc est octava, continet. Duernionem quaternio excipit littera *b* signatus: caeteri *c d e f g* terniones sunt. Folia quadraginta duo, paginarum versus undequadrageni, numeri foliorum vel paginarum nulli, forma libri oblonga, sed altitudine mediocri. Pagina postrema scripturam non habet: in fine paenultimae leguntur haec:

> Impressum mediolani per magistrum Vldericum scinzenzeler Anno a partu Virginis salutifero. M. cccc. xcvii. pridie Nonis Frebuarii.

Hanc primam editionem, quam Ioachimici gymnasii bibliotheca habet, ea de causa in nova exemplaria emendatius transcribendam curavimus, quia caeterae nec librum antiquum satis fideliter exprimunt, neque ea cura factae sunt ut lectionem expeditam atque iucundam praebeant. Praeterea plerique ne nancisci quidem omnino hunc librum poterant nisi et VII
difficulter et magno pretio; cum tamen non solum singulari elegantia conspicuus sit, sed etiam ad cognoscenda grammaticorum Latinorum studia non inutilis. Itaque ante omnia totum libellum, quomodo olim ab Helia Putschio editus erat, collata editione prima recensui, mox cum cura emendavi ac distinxi, nullo alio nisi forte a tenaci memoria adminiculo. Ita demum novissimam Traiectinam Laurentii Santenii editionem adii; vere dicam, aut nullo aut exiguo cum fructu. Adeo pauca ab aliis ante reperta nos fefellerant, atque inter ea nihil omnino quod nobis repetita lectione desperandum esset: quae vero nimis obscura aut insanabilia viderentur, ea nec priorum quisquam expediverat. Etenim summi et laudati critici hunc

scriptorem non nisi praetereundo attigerunt: Iacobus autem Petrecinus, qui caeteris editoribus praestat, et is quem dixi Santenius, horum neuter ea vel ingenii felicitate vel subtilitate iudicii fuit, ut librum tam difficilem satis recte intellegere et occultiora vitia probabiliter emendare posset. Quid quod ne Santenius quidem, quamvis peritior metrorum, pudendos errores ubique evitare potuit; cui digiti quidem ad carmina metienda prompti essent, πόδες δέ οἱ, ut nunc ita hoc Callimachio utar, οὐκ ἐνὶ χώρᾳ. Quae cum ita essent, inutile mihi visum est adnotare quae vocabula quisque primus, quomodo scribenda essent, intellexisset: nam quemadmodum scripta veterum curiose emendata edere sane laudabile esse iudico, ita ex emendatiunculis facilem gloriam quaerere pauperis ingenii est.

Enimvero Mediolanensem editionem universam tam accurate repraesentavi, ut ne scribendi quidem rationem, quatenus ferri posset, neglegerem; caeterum ubicumque vel minima res mutata esset, id in ima pagina fideliter indicarem. Praeterea, VIII
nequis ullum incommodum sibi allatum queri posset, in marginibus et numeros versuum Santenianos et paginas Putschii adscribendas curavi. Sed argumentorum quidem indices, quos margines primae editionis habent, ut pote prorsus inutiles, praetermisi: distinctiones autem libri et titulos hic in unum locum collectos indicabo. Itaque ante primum versum in Mediolanensi legitur TERENTIANI MAVRI PRAEFATIO. Tum ante 85 TERENTIANI MAVRI DE LITTERIS SYLLABIS ET METRIS AD FILIVM ET GENERVM LIBER. Versu 279, item 342, et 997, tituli quidem nulli sunt, sed ante hos versus interstitia. Versu 1300 DE VOCE, 1314 DE SYLLABIS, 1320 DE POSITIONE LONGIS, 1346 DE ARSI ET THESI, 1359 DE PEDIBVS DISYLLABIS, 1365 DE PYRRHICHIO ET SPONDEO, 1441 media sententia QVI PEDES IN VLTIMO ESSE DEBEANT, 1444 DE SOLVTIONE PEDVM, 1457 DE DVPLICIBVS PEDIBVS. Postremo 1580 DE METRIS. HEXAMETRI DVO, 1721 DE PENTAMETRO VERSV. QVI ET ELEGIACVS DICITVR, 1801 DE EPODO QVI EST SEMIELEGICVS. Iam vero satis constat Prisciani aetate librum Terentiani eius modi titulis distinctum fuisse, sed aliis: is enim libro XIII, pag. 568 Kr., ubi versum 183 adfert, citat *Terentianum de litteris;* libro VII, p. 306, ubi 283, *de syllabis;*

de metris Terentii, p. 405, ubi 2228 et proximos, *de iambico metro.* Quid quod poëta ipse partem quandam libri sui a caeteris separavit his verbis, (v. 348) *hoc opus, de syllabis quod recepi nunc loquendum.* Id opus prope mille versus complectitur (342–1281): eiusque argumentum bis exposuit (vv. 59. 60. et 286–293), hoc est praefatione (1–84) et epilogo (279–341). Sed epilogus operi praepositus est; quo fit ut ea quae sese *attulisse disputata* dicit (280) septingentis versibus interiectis sequantur (997). Praeterea alio epilogo, qui huic parti subiectus legitur (1282–1299), dicit se librum suum viris amicis IX
et prudentibus examinandum commisisse; quod fecerat illo priore epilogo (283), *Haec prius, Bassine fili et tu gener Novate mi, perpolite, qua potestis, crebriore limula.* Caeteras autem partes, quae sunt de litteris (85–278) et de metris (1300–2981), quibus solis Marius Victorinus usus est, nulla praefatione promittit: neque eae inter se coniunctae sunt, neque extrema pars libri ad finem perducta est. Accedit quod in eis quae ad syllabas pertinent aliquot versus posuit (357. 358. 360–364), qui leguntur etiam in alia operis parte (1306–1312). De syllabis versu 308–310 in trochaico septenario tomen observandam dicit; quam in hoc de syllabis libro nusquam neglexit, sed de metris ter vv. 1329. 1411. 2343. Postremo post versum 1335, ubi nulla est in editione principe distinctio, non pauca excidisse apparet: et versu 248 ait se *dixisse* litteram zeta non esse necessariam; quod tamen alibi non dixit. His omnibus perpensis, quorum prope nihil in illis molestis ac puerilibus Santenii commentariis tangitur, satis certum esse videtur nec Terentianum opus suum absolvisse, neque ea quae scripserit aut omnia aut eo quo scripserit ordine aut in libros suos distincta legi. Et verum est Servium ad Aen. 6, 792 Terentiano ea ascribere quae apud eum (v. 1655 seqq.) non exstant. *HIC VIR HIC EST: c littera pro duplici non nisi in monosyllabis habetur; ut* Hoc erat, alma parens; *per eorum scilicet privilegium. Unde falsum est, quod Terentianus dicit, eam pro metri ratione vel duplicem haberi vel simplicem.* Nec negaverim Terentianum post versum 1335 inter caetera de communibus syllabis dixisse, quamvis de syllabis versu 1009 rariorem earum in Latinis versibus usum esse scribat. Itaque videndum est an Marius Victorinus in his quoque, quae habet p. 2474,

Terentianum secutus sit. *Consideranda ergo est in his duntaxat* x
*pronominibus natura* c *litterae, quod crassum quodam modo et quasi geminum sonum reddat,* hic *et* hoc. *Si autem* nec *coniunctionem aspiciamus, licet eadem littera finitam, diversum tamen sonabit. Quod facilius diiudicabitur, si, quando alterum habemus, etiam alterum tentemus. In versu est ergo* Hoc erat, alma parens, *et* pro Iuppiter, ibit hic, ait, et nostris illuserit advena regnis. *Sin autem feceris* Nec erat alma parens, Nec ait, *speciem suam versus amittit, cum aeque et hanc et illam syllabam constet esse correptas. Ergo illae non ideo longae fiunt quod pars orationis finitur, ut putant plurimi, sed, ut dixi, in pronominibus* c *littera sonum efficit crassiorem et naturam* i *litterae inter vocales positae ac per hoc sonum geminantis imitatur.* Sed idem Victorinus p. 2529 in Terentiano insignem errorem castigat his verbis. *Trochaicum metrum eosdem pedes quos et iambicum recipere manifestum est (eadem enim utriusque progenies est), excepto dum taxat iambo, simili inter se contrarietatis ratione, qua et trochaei in iambico excluduntur. Quanquam Terentianus, non paenitendus inter caeteros artis metricae auctor, sedulo refragetur. Nam secundam sedem in trochaico versu trimetro acatalecto velut legitimam iambo assignat; cum idem ab iambico metro trochaeum excluserit* [v. 2213], *praeterea cum videret* (f. *viderit*) *ex trimetro iambico* [catalecticum dicit] *adiecta prima syllaba per* ἐπιπλοκὴν, *id est amplexionem, de qua supra dictum, trochaicum versum integrum prorogari, tanquam* Est celer phaselus ille quem videtis. *Nam dempta syllaba* est *redit ad iambum: ergo iambi locum in hoc trochaeus obtinuit. Pari ratione detracta rursus eadem erit iambicus.* At Terentianus non modo contrarium docet, v. 2327, *spondeon esse post trochaeum propalam est; qui sic secundus et trochaicis datur, iambicis ut impari solet loco:* sed istum trimetrum trochaicum acatalectum xi
optimo consilio ne commemoravit quidem. Haec igitur unde petita sint non video. Sed quae Pompeius habet pag. 15, *Ita Terentianus hoc dixit, Quotiescumque e longam volumus proferre, vicina sit ad i litteram,* ea quamvis difficilia visa et Lindemanno et ad Terentianum (p. VIII) Lennepio, nemo qui istum grammaticum noverit non intelleget ex his versibus sumpta esse, 118. 119, *et lingua remotos premit hinc et hinc molares,* scilicet cum dicimus e: *i porrigit ictum genuinos prope ad ipsos.*

Neque Servii error nos morari poterit, qui neglegentius lectis Terentiani versibus 987. 988. haec scripsit ad Georg. 2, 288. *Vt etiam supra diximus*, scrobes *sunt masculini generis: nam Cicero in oeconomicis sic ait, et Plautus ait* sexagenos scrobes. *Minor autem est Lucani et Gracchi auctoritas: nam Lucanus ait* exigua posuit scrobe; *Gracchus* abunde fossa scrobis est (immo *scrobs erit*); *quod exemplum in Terentiano est.* Quos autem versus Terentiani idem Servius adfert ad Aen. 8, 96, in eis Santenius pag. VII recte probat scripturam veterum editionum, quae est huius modi,

*natura sic est fluminis,*
*ut obvias imagines*
*receptet in lucem suam:*

caeterum eos utrum Terentianus an alius ejusdem aetatis poëta scripserit, definiri non potest.

Aetatem autem Terentiani dico finem saeculi post Christum natum tertii. Nam quod eum multi Domitiano imperante vixisse existimarunt, nimis crassus error est, argumentis confirmatus, ut Niebuhrius recte censet (*kleine schriften* 1, p. 347), futilibus. Ruhnkenius certe, cum de Terentiani aetate scriberet ad Mallium Theodorum pag. 21, quali genere scribendi hic poëta grammaticus usus esset, tum non videtur recordatus esse: adeo et vocabulis et particularum usu et ipsa verborum collocatione ab illis felicioris aetatis poëtis recedit. Praeterea versu 2136 Annaeum Senecam et Pomponium Secundum tragicos *antiquos* dicit, Pomponio autem versu 1974 sui temporis *minores* opponit. Petronii carmina tum vulgo cani solita esse dicit v. 2492; ita tamen ut huius versiculum medium ponat inter antiquissimum Naevii et *novelli* poëtae carmen, v. 2528–2534. Itaque si verum est, quod mihi certe Niebuhrius persuasit, Petronium medio saeculo tertio scripsisse, vix dubitari potest quin et Terentianus et illi novi poëtae circa finem eiusdem saeculi vixerint. Dicit autem sui temporis poëtas Alfium Avitum (v. 2448), Septimium Serenum (1893. 1900. 1978. 2629), deinde alium hoc, sed sine nomine (2632. 2635), denique novellum poëtam item sine nomine (2533). Versum 1464 Sereno vindicat Marcianus Capella libro V, pag. 169. Iam vero [a] Alfii Aviti nihil exstat, nisi apud Priscianum ex

XII

[[a] Vide Anthol. Vet. Latin. cum nota Burmanni T. I. p. 452.]

libro secundo excellentium aliquot versiculi, qui ad unam eandemque historiam pertinent,

*tum litterator creditos*
*ludo Faliscum liberos,*
*causatus in campi patens*
*exteraque muri ducere,*
*spatiando paulatim trahit*
*hostilis ad valli latus.—*
*seu tute malis obsides,*
*seu tute captivos, habes.*

Nisi eos quos supra ex Servio recitavimus ad eundem poëtam referendos esse suspicari velis. Sereno autem qui usus sit, neminem novi, nisi qui aut Terentianum quoque legerit aut hoc multo iunior sit. Nonius solus excipiendus est, incertae aetatis grammaticus, qui cum recentiores fere contemnat, XIII
Appuleii exemplum unum adposuit, Sereni autem ex opusculis sive ruralibus compluria. Diomedes pariter antiquitatem mentitus et Sereno utitur et Terentiani versum exscribit 1701, pagina 497, *quae pax longa remiserat, arma novare parabant*: hunc enim a Terentiano ita refictum esse apparet, cum ipse dicat auctores suos, quos scilicet male intellexerat, huius modi *exemplum vix et ipsos conlocasse* (1696). Porro C. Marius Victorinus rhetor, natione Afer, artem metrorum ante quam ad fidem perveniret, hoc est ferme quinquaginta et trecentis post Christum natum annis, conscripsit, magna ex parte Terentiani Afri librum ad verbum exprimens: is Septimium Serenum nomine vix appellat nisi ex Terentiano. Porro Terentiano usus est, non Sereno, Augustinus, qui suos de musica libros putatur anno 389 edidisse. Sed circa eadem tempora Servius Honoratus tam Sereni quam Terentiani versus aliquot excitavit. Apollinarem Sidonium et Priscianum, quia illis recentiores sunt, praeteribimus: sed hi quoque utrumque poëtam commemorant, et Sidonio suppar Marcianus Capella Serenum. Consentius quoque, qui in libro de barbarismis et metaplasmis pag. 29 ex Terentiano de syllabis 1103 illud habet, *unde scissa coma*, recentior esse videtur, ex Narbonensi Consentiorum familia, quorum laudes multis versibus exsequitur Sidonius carmine 23. His igitur saeculi quarti et quinti scriptoribus nullum, ut diximus, antiquiorem invenies qui aut Terentiani

aut Septimii Sereni mentionem iniecerit. Ipse Terentianus quemnam aut quam antiquum *poëtam Faliscum* dixerit, cui *ludicra carmina* ascribit vv. 1816. 1820, non adeo apertum est, praesertim cum alio loco etiam *docta Falisca* adferat, versu 1998. Hunc *Phaliscum nescio quem* Augustinus non noverat, de musica libro quarto, §. 30. Marius autem Victorinus, non sine magna confusione et hic non solo auctore Terentiano xiv
usus, Falisci carminis duas species esse tradit, pp. 2578. 2580. et p. 2579, non diversas illas ab istis *doctis Faliscis* et *poëtae Falisci ludicris carminibus:* sed "ex his alterum *genus* "*metri*" inquit "*Annianus Faliscum carmen inscribit*" p. 2578, tum subicit Terentiani versum 1993, *tanquam Carmina per varios dare modos.* Hic igitur *docta Falisca* Anniano videtur ascribere, cuius *Fescenninos* agnoscit Ausonius in epistula centoni nuptiali subiecta. Sed etiam *Falisci poëtae ludicra* facile aliquis putet Fescenninos Anniani potuisse dici, cum Annianus poëta fundum in agro Falisco possederit, quo sese ab eo ad vindemiam amoeniter agendam vocatum esse Gellius scribit Atticarum noctium libro XX, 8. Ita nihil obstare videbitur quo minus illos versus omnes, 1818. 1819. 1821. 1822. 2001–2004, Anniano tribuamus. At Marius Victorinus eodem loco, p. 2578, ea quae Terentianus docta Falisca dicit ad Serenum refert; *ut est illud apud Septimium Serenum, Quando flagella ligas, ita liga, vitis et ulmus uti simul eant.* Hunc aliquis dicat Terentiani versum 1991 non recte cepisse. Sed quid Servio fiet? qui ad Aen. 4, 291 sic scribit, *sane* quando do *brevis est naturaliter. Sic Serenus Quando flagella ligas, ita liga.* Ac ne ista alium potius quam Servium scripsisse suspiceris, idem grammaticus in libello centimetro (ita ipse eum appellari posse dicit, neque aliter qui illuc respicit Sidonius carmine 9, 265, *sed nec centimeter Terentianus:* neutro genere *centimetrum* barbare inscribitur) sed in illo libello Servius hunc versum posuit, *docta Falisca, Serene, reparas,* p. 20, 13 edit. Santenii. Verissimum est ergo ut horum scriptorum nullus putetur errasse, et Anniano poëtae Falisco Fescenninos sive ludicra carmina ascribamus, quod genus poëmatis postmodo Septimius Serenus Faliscis suis renovaverit. Sed ita fiet ut hic Serenus, qui Ruhnkenio videbatur Annianum quinquaginta annis praecessisse, nunc potius illo centum quinquaginta annis posterior xv
esse dicendus sit.

Quod siquis forte quaerat a quonam antiquiore grammaticus hic Terentianus suam metrorum doctrinam derivaverit, quod nec ipsum a Santenio, qui eum omnium antiquissimum crepat, tractatum videmus, Atilii Fortunatiani paucae pagellae exstant, apud Putschium pp. 2671–2685, quarum maximam partem Terentianus ita expressit, ut si Atilii liber totus superesset, hoc poëta ad artem cognoscendam carere possemus. Sed ea sola quae modo dixi ad nos pervenerunt: nam quae apud Putschium sequuntur p. 2685, ab hoc grammatico aliena sunt. Varronem nequis a poëta Mauro lectum esse credat, quae habet versu 2845 et 2882, ea apud Atilium p. 2676 leguntur, non sine aliqua differentia. *Ex quo non est mirandum quod Varro in scenodidascalico Phalaecion metrum Ionicum trimetrum appellat, quidam Ionicum minorem.* Ita, *in scenodidascalico:* nam Santenius risum movet p. 374 non subridens ad absurdam Putschii scripturam *in cynodidascalico.* Sed quod *Ionicum minorem* dicit, non *Ionicum minus*, in eo agnoscere potes auctorem Latinum. Caeterum hoc Romanorum grammaticorum commentum, si Catullum ab eo non abhorruisse demonstrare potuero, memoria haud indignum videbitur. Illis enim, nisi fallor, qui ab initio incrementa capiunt choriambici, visi sunt Ionici ἀπὸ μείζονος esse cum sua epiploce.

*me|as esse ali|quid putare | nugas.*
*a|rido modo | pumice expo|litum.*
*pu|ellae et pue|ri integri.*

Primam Ionici pedis ancipitem esse censuerunt, ut metrici Graeci, XVI

ὥρα· | ἐγὼ δὲ μό|να καθεύδω:

sed duas breves ab initio versus poni ista doctrina non permittit,

ῥο|δοπάχεες | ἁγναὶ Χάρι|τες δεῦτε Δι|ὸς κόραι.

Itaque his Catullus abstinuit: Molossum et Bacchium autem pro Ionico admisit,

*o|ramus si | forte non mo|lestum est,*
*nu|triunt hu|more,*

cum Molosso certe in Sotadeo locus sit; ut videas eum Ionica metra facere voluisse, non choriambica aut antispastica. Sed haec apud Atilium et Terentianum antiquioris doctrinae vestigia sunt, a qua ipsi multum abhorrebant. Ita quod Teren-

tianus Anacreonteos a non nullis Ionicorum numero censeri scripsit v. 2866, id ipse quam verum esset non intellexit, Atilius autem p. 2677 ne commemoravit quidem; quo effectum est ut eorum neuter galliambos Catulli recte explicaret. Nihilo minus Atilius p. 2678 galliambum imprudens posuit doctrinae suae repugnantem, *Galli tergora versant timide semianimes.* Itaque nec Atilius Fortunatianus res a se inventas et exploratas docuisse, neque Terentianus eum librum cuius partem superesse diximus ante oculos habuisse, sed uterque unum aliquem auctorem secutus esse videbitur, doctiorem quidem illum, sed non perfectum metricum et epiplocarum ratione non satis prudenter ad genera metrorum explicanda abusum. Is utrum Caesius Bassus fuerit, satis certo dici posse non videtur. Ex hoc certe uno grammatico Terentianus aliquid recitat versu 2358, neque id ab illa ratione alienum. Et in iis quae Putschius sub Caesii Bassi nomine edidit, p. 2664 legitur elegiacus ille a grammaticis decantatus, *Maecenas atavis edite* XVII
*remigibus*, et p. 2665 ithyphallicum dicitur Horatii comma *machinae carinas;* quorum utrumque Terentianus habet, vv. 2657 et 2949, sed latius expositum, ut ex alio loco derivatum intellegas. At insignis Caesii locus, quem Terentianus paene totum expressit vv. 2249–2262, est in excerptis Rufini, apud Putschium p. 2707. "Bassius ad Neronem de iambico sic "dixit: *Iambicus autem cum pedes etiam dactylici generis as-* "*sumat, desinit iambicus videri, nisi percussione ita moderaveris* "*ut, cum pedem supplodis, iambicum ferias. Ideoque illa loca* "*percussionis non recipiunt alium quam iambum et ei parem* "*tribrachum: aut si alterius exhibuerint metri speciem,* . . . . . " . . . . . *quod dico, exemplo faciam illustrius. Est in Eunucho* "*Terentii statim in prima pagina hic versus trimetrus,* exclusit, "revocat. Redeam? non, si me obsecret. *Hunc incipe ferire:* "*videberis heroum habere inter manus: ad summam, paucis* "*syllabis in postremo mutatis totus erit herous,* exclusit, revocat: "redeam? non, si mea fiat. *Ponam dubium secundo loco pe-* "*dem: propius accedam.* Heros Atride, caelitum testor fidem " . . . . ." Haec si ad Neronem scripta sunt, vides Caesium Bassum metricum, si alius fuit quam ille lyricus poëta, certe eadem aetate vixisse. Quam ob rem mirandum non est quod Maximus Victorinus de carmine heroico cap. 5 Caesium Bas-

sum cum Cornelio Epicado ab suae memoriae scriptore Lactantio distinguit. Quam vero nominis formam illic Victorinus ex Basso annotat, *Caesius Bassus, vir doctus atque eruditus, in libro de metris* iambicus trimetrus *ait,* eam habes in hoc ipso loco apud Rufinum, eaque Terentianus non raro usus est. Iam cum non modo illi antiquiores grammatici, sed etiam quae Charisius de scriptione, de pronuntiatione et de metris scripsit, perierint, Terentianus non nulla aliunde non nota XVIII
conservavit: ab erroribus autem eius prudens lector sibi cavere debet. In horum errorum uno satis memorabili desinam, cuius fons et origo demonstrari potest. De Priapeo versu cum ea fere annotata legisset quae Atilius Fortunatianus tradit p. 2675, *sed adeo totus hic ex heroo venit hexametro, ut et apud Homerum nullo immutato verbo complures inveniantur Priapei, et apud Virgilium. Quorum unum in praesentia posuimus, qui forte succurrit: credo et alios inveniri posse complures.*

*Cui non dictus Hylas puer | et Latonia Delos;*

hic igitur ille diligentiae suae locum esse ratus, versu 2772 quattuor heroicos Virgilii posuit qui nullam habent cum Priapeis similitudinem, indeque exorsus ipse Priapeos fecit hoc exemplo,

*ut versus sonat alter, | quem distinctio nudat.*

A dactylo tamen suos Priapeos in neutro commate incipere passus est, neque in secunda sede spondeum admisit: sed hoc nobile artificium reliquit magno illi, qui Batavis videtur, metrorum magistro Santenio. Hic enim quasi Priapeos Terentiano hos versus ascripsit (2750. 2752. 2769. 2771),

*tertius et quartus. non | hunc monocommaton ergo.*
*ipse etenim sonus indicat | esse hoc lusibus aptum.*
*et Maro dat tales: sed | quia distinctio verba.*
*distingui patitur pedes, | is sonus effugit aures.*

Et huius tamen imperitiae socios fere habet certe in metiendis Virgilii versibus Terentianum et Maximum Victorinum de carmine heroico, qui hos dicit Priapeos,

*aut Ararim Parthus bibet | aut Germania Tigrim.*
*utque viro Phoebi chorus | adsurrexerit omnis.*
*est mihi namque domi pater, | est iniusta noverca.*

Sed ipse denique Santenius, ne ullam Priapei partem illiba- XIX

tam sineret, eo progressus est ut in his carminibus (2768. 2812),

*versus ergo magistri | vocant hos Priapeos,*
*versum non dubium est fore | quem dicunt Priapeum,*

spondeum esse diceret pedem paenultimum; cum tamen alibi in Graecis quantitatem syllabarum adeo non curaret ut neque ad *ithyphallica* (1840. 1845) neque ad *Bacchiacum* (2608) adhaeresceret, et vel puerilia peccata patienter ferret, qualia sunt Μήδειαν (441) ultima syllaba producta et ηὔδα (410) eadem correpta.

---

## TERENTIANI PRAEFATIO.

Haec praefatio continetur comparatione, (similitudo enim et comparatio sunt promiscuae Quintiliano, licet Agricola scrupulose discrimen vestiget) quae mire authorem scitum, et propositi imaginem exprimit, procatasceue, et epiphonemate quod procedente serie patebit. BRISS.

---

*Commentarius Jacobi Petrecini Evangelistae Castionatis in Maurum Terentianum ad Illustrissimum Dominum suum unicum D. Alovisium Gonzagam Marchionem quondam Excellentissimi Domini Rodulphi filium.*

Authorum omnium fere mos peculiaris est, illustrissime princeps, ut opera sua novo aliquo inchoent artificio, idque praefationibus admisceant, a quo fundamentum tractatuum suorum pendeat. Quod Terentianus, multi nominis grammaticus ac poëta, considerans, opus utilissimum sed difficile de literis et syllabis componens: traditurusque optimas regulas multorum carminis generum et pedum, more boni authoris, hac praefatione carmine glyconico edita, quandam recitat fabulam delectabilem, qua ostendit quid et quomodo sit tractaturus hoc suo luculentissimo opere adulescentibus rei literariæ simul et scribendorum versuum cupidis maximopere necessario, quidve ipsum ad hoc provinciae suscipiendum impulerit. Fabula sic se habet. Vir senex, inquit Terentianus, alias mihi narravit, quendam fuisse qui cum adventante senio vereretur, ne saepius in certamen descendens tandem quaesitam gloriam semel infeliciter pugnando amitteret; cum praesertim

eousque pervenisset *ut non tam accessio quaerenda, quam fortuna metuenda esset*, ut de se inquit Cicero (Ep. Div. II. 11.) hujusmodi exercitii genus commentus est quo parta gloria incolumi frueretur cum se a publicis certaminibus abdicasset, neque tamen otio penitus torpesceret. Funem nervis mollibus tenuem, quali Parthus et Scythes uti solent intendendis arcubus, confecit, quem vola stringere nequibat, sed summis tantum digitis tenens hoc ex profundo puteo aquam ingenti cado trahebat, viribus suis ex omni corporis parte summos in digitos tendentibus, perinde ac si molem immensam fune maximo educeret. Nulla pars corporis ejus erat expers laboris. Nam vehementi spiritus intensione ac nisu latera tendebantur, genua interdum tremebant, nec pedum plantae in eodem vestigio diutius consistebant. Modus autem exercitii hic erat, ut non prius ab incepto labore desisteret, quam omnes corporis partes vi latentis motus calore concepto solitum in palaestra sudorem emitterent. Hujus callidum commentum se imitatum fuisse ait Terentianus. Cum enim se ob ingenii senium, hoc est defectum, (quod quidem fingit ne arroganter de se ipso sentire ac loqui videatur,) ad majora scribenda minus idoneum cognosceret, de literis ac syllabis scribere aggressus est, opus quidem minutissimum specie, atque eo dignum qui vix prima literarum rudimenta sit transgressus, altius ingressis non modo arduum sed pene intractabile. Quanquam enim levia admodum ac puerilia videantur, quippe quae ad puerorum institutionem parata sint, attamen difficile est ita interea versari, ut laudem feras. Aridae enim ac jejunae nimium materiae sterilitas saepe scribenti negotium facessit, qui praesertim decreverit ita haec minutim tractare ut a sordibus nimium obvii sermonis procul abscedat, quae etiam ob tenuitatem facile elabuntur, atque in his discernendis plerumque mentis acies caecutit; ac propter ea vitia quae omnibus sunt scribentibus evitanda, hoc est, quantum ad singulorum verborum delectum attinet, ut nihil sit ambiguum, nihil nimis obsoletum aut sordidum. Quantum vero ad structuram, ne nimio vocalium interventu hiulca sit, neque rursum aspera et confragosa, sed aequabilis ac facile fluens: praeterea ne oratio carminis necessitate quasi cancellis circumsepta minus splendescat: neve, dum orationis splendori animum intendimus,

legem metricam transgrediamur. Hoc demum accedit, quod cum in his minutis pertractandis non minor anxietas ac difficultas quam in maximis, neque in dijudicandis minus acre judicium requiratur. Pompæ tamen gloriam vilem scribentes talia adipiscuntur, contra illud Maronis, *In tenui labor est, at tenuis non gloria*. PETR.

3. *Olympia vicisset*] Sic Sextus Pompeius (Festus p. 338.) *In gymnicis*, inquit, *certaminibus periodum vicisse dicitur qui Pythia, Isthmia, Nemea, Olympia vicit.* Vitruvius Lib. IX. in praefatione; *Nobilibus*, inquit, *athletis qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, majores Graecorum ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam cum revertantur in suas civitates, cum victoria triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur, e reque publica perpetua vita constitutis vectigalibus fruantur.* Et Plinius XXXV (32.) *Alcimachus Dioxippum, qui pancratio Olympia citra pulveris tactum, quod vocant ἀκονιτὶ, vicit.* Simile est apud Terentium in Hecyra (III. 2, 24.) *Tu pueris curre, Parmeno, obviam, atque his onera adjuta*, loco hujus, *ipsos onera portantes*, ut enarrat Donatus, qui et metonymiam dicit esse. Est igitur in contextu metonymia, id est *nominis pro nomine positio*, ut ait Quintilianus libro octavo (c. 6, 23.) cujus vis est, pro eo quod dicitur, causam propter quam dicitur, ponere. Sensus est: *Qui Olympia vicisset*, id est, *qui in Olympiis athletas vicisset.* BRISS.

ib. *Quendam qui ter Olympia*] Quendam, i. e. athletam; nam athleta certator ἆθλον praemium certaminis dicitur. Olympionica victor in Olympicis: Hieronica in quatuor sacris certaminibus, hoc est, Nemeis, Pythiis, Isthmiis, et Olympicis. PETR.

4. *Iove praeside*] Praeses, a praesideo, quod (ut ait Valla) significat ad opem praestandam praeesse: quam proprie praestant homines iniuriam patientibus, aut in discrimen adductis, Dii vero beneficentiam favoremque invocantibus. Qui athlothetae dicuntur, seu ludorum curatores, id est, qui iudicandi ludorum rationem, et moderandi spectatoribus ius habent, proprie praeesse, (quanquam et praesidere Tranquillo dicatur,) dii in quorum gratiam exhibentur ludi, praesidere dicuntur. Auli Licinii Archiae de quatuor generibus ludorum,

quos celebrabat Graecia versus Gracci exstant, apud annotationes Baptistae Pii, quos ipse Latinitate donavit ad hunc modum,

*Quatuor insignis certamina conficit Hellas:*
*Sunt duo quippe hominum, sunt superumque duo,*
*Archemori, Iovis, et Phoebi atque Palaemonis, ipsa*
*Pinus, olivaster, praemia, poma, apium.*

Variant authores cui dicata sint Olympia, Pelopine an Iovi. Sed opinio constantior Iovi sacra perhibet, cujus rei origo argumento est, nam quinque fratres Herculem, Peonaeum, Epimedem, Iasium, Idam authores aiunt Olympiorum : propter quorum memoriam (quod quinque numero forent) quinto quoque anno aedebantur. De quibus vide Caelium VII. 37. Deinde Graeci sequentes eorum exemplum ut Iovem ludis (hac enim ratione vetustatis dii capiebantur, imo *ut sibi solenniter aederentur acerbe imperabant et quodammodo extorquebant* ait Augustinus de Civitate II. 8.) elicerent in favorem, coluerunt Olympia. Unde Terentianus *Iove praeside* dixit non immerito, quasi id velit, auspiciis Iovis Olympia constituta (ut Iupiter res Graecorum bene expediret) vicisse. BRISS.

5. *Lividum virtutis*] Cicero in Catone majore causas aliquot adfert, cur misera videatur multis senectus, in quibus est, quod avocet a rebus gerendis, et quod corpus faciat infirmum. Quas licet confutet ipse, tamen huic loco accommodamus. Sunt enim speciosa quae affert Cicero magis quam aut prudentiae communi consentanea, aut argumento quotidiano comperta. *Est enim ipsa senectus morbus*, ait Terentius in Phormione IV. 1, 9.

Virgilius Georg. III. 66.

*Optima quaeque dies miseris mortalibus aevi*
*Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus,*
*Et labor, et durae rapit inclementia mortis.*

Juvenalis X. 190.

*Sed quam continuis et quantis longa senectus*
*Plena malis?*

Mox de senectute etiam loquens, ait

*Circumsilit agmine facto*
*Morborum omne genus: quorum si nomina quaeras,*
*Promptius expediam quot amaverit Hippia moechos, &c.*

Lege proverbium, *Ipsa senectus morbus est,* apud Erasmum. Quid igitur virtuti cum illo Aetna graviore pondere? Si concentus quidam corporis et animi, si quod animum iuvat itidem et corpus, ut Gellius ex Theophrasto et Democrito docet lib. 4. (c. 13.) Galenus item proprium librum de hisce sibi respondentibus aedidit. Contra, non fiet quaedam reciprocatio corporis ad animum? contagione alterutrius obnoxium est alterutrum. Morsus et contractiunculae, sed et metus aeternitatis morborum, pavor mortis, qui teste Thucydide, non modo memoriam excutit, sed quodvis etiam constitutum, quemvis conatum, quemvis mentis impetum. Ex quo illud Ennii (ap. Cic. Tusc. IV. 8.) *Tum pavor mihi sapientiam omnem ex animo expectorat, &c.* Quid quod desperatio, id est *aegritudo* (ut ait Cic. in Tusculanis IV. 8.) *sine ulla rerum expectatione meliorum,* pigritiem vehit, languorem, ceteraque virtuti inimica? hoc dictum voluimus, si hic virtus ad animum refertur. Quod si ad corpus (quorsum hic puto vertendum) quis locus est quaestioni relictus? Ita Iulius Caesar, qui non tam virtutem in milite quam modestiam optavit, quae ἀνδρεία dicitur, id est, (si conceditur dicere) virilitas. Docte igitur "senium virtutis lividum" dixit Terentianus: ubi "lividum" epithetum non otiosum est. BRISS.

ib. *Senium virtutis*] Cum senium proprie corporis sit, tamen appellat etiam senium virtutis, quia omnis ejus virtus sita erat in corporeis viribus, quibus senio pereuntibus, etiam virtus peribat. *Lividum* vero, quod reddat homines lividos, unde et Juvenalis X. 191. *Deformem et tetrum ante omnia vultum Aspice.* PETR. Nulli non persuaderi poterit *lividum virtutis* Graecismo esse dictum, ut mille talia apud poëtas. Tamen accurate inspicienti patebit *virtuti accedere lividum senium* scripsisse Terentianum. Virtuti sane senium accedebat: est enim *Virtus* hoc loco *robur, fortitudo, vires:* sic Lucretius lib. V. de primis hominibus, *Et manuum mira freti virtute, &c.* BARTHIUS Adv. XV. 2. p. 792.

7. *cluet*] *Cluere,* in Menechmis Plauti (IV. 2, 7.) *prodesse* significat, si fides est enarratoribus. Nonius (p. 87.) *cluet,* id est, nominatur, dicit. Ausonius in Ludo septem sapientum *cluo* usus est in prima persona. *Cleobulus* (inquit) *ego sum parvae civis insulae, Magnae sed author quam cluo senten-*

*tentiae.* hic active, illic passive usurpatur. a *clueo*, quo utitur Plautus in Rudente, [I. 5, 27.] *Ego hujus sacerdos clueo* &c. Rhetorica dicitur Capellae, [IV. p. 97.] *cluis facultate*, id est, inclyta, insignis, in dialect. et *praeclues* in praefatione Rheto. [V. p. 138.] facit viros duos *linguae excellentia florentes.* BRISS. *Cluere* veteres *pugnare* dicebant. PETR. Non *pugnare* sed *purgare* Plin. XV. 36.

8. *Maturasse resolvere*] *Mature*, ut refert Macrob. Saturn. lib. VI. (c. 8.) ex sententia Nigidii, est *quod neque citius neque serius, sed medium quiddam et temperatum est.* Sensus est: Non in florente aetate aut vivida, nec etiam summa senectute, aut senectutis languore antiquo ludo se exclusit, sed celeri quadam tarditate, id est, inter summam senectutem et aetatem florentem interjecto tempore. De quo verbo vide amplius apud Macrobium. BRISS. Quod etiam faciundum esse admonet Horatius, tametsi allegorice [E. I. 1, 18]. *Solve senescentem mature sanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.* PETR.

ib. *resolvere legem*] Aristoteles Polit. VIII. 4. ex aliqua parte hunc locum extricat. Sed planissime Budaeus in Pandectarum lib. I. (p. 262. ed. Colon.) qui unus vice multorum authorum potest esse. Certa autem lege et velut ex definito athletae cibum sumebant, quo praestarent viribus. Nam teste Plinio lib. XI. 119. *perniciosissimum est in omni vita quod nimium, praecipue tamen corpori, minuique quod gravat quolibet modo utilius.* Unde victus quo utebantur anancophagia dicebatur, quasi sumendi cibi necessitas. Quintilianus V. [10, 121.] loquens de cognitione locorum ex quibus argumenta ducuntur, *sed non magis hoc sat est* (ait) *quam palaestram didicisse, nisi corpus exercitatione, continentia, cibis ante omnia natura juvetur.* Epictetus in Enchiridio (c. 29.) *Vis* (inquit) *Olympia vincere? et ego. per deos magnificum est. At considera et initia et consequentia, atque ita rem aggredere. oportet bene sese instituere, necessariis vesci, abstinere condimento, exerceri ad necessitatem, ad praescriptam horam, in aestu, in frigore, frigidam non bibere, non vinum: totumque te denique praefecto seu medico credere, tum in certamen prodire, et interdum manum vulnerari, talum distorqueri, multam aphem deglutire.* &c. Laërtius libro VIII. (s. 12.) in vita Pythagorae ait, *Athletas primus fertur Pytha-*

*goras aluisse carnibus, antea caricis siccis molli caseo et tritico solitos corpora nutrire.* Aphe autem dicitur pulvis quo conspergebantur luctaturi, postquam ceromate, id est oleo cerato, uncti fuerant, ut mutuas prehensiones corpora admitterent, alioqui lubrica. De aphe Suetonius in Nerone (c. 45). *Ex annonae* (inquit) *caritate, luctantium accrevit invidia. Nam et forte accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse* &c. Ad quae respiciens Terentianus, ait, quendam maturasse legem cibi et pulveris resolvere, id est, dissuere quodammodo gymnasii exercitationem, inque modulo gravescentis aetatis audivi continere, quum palaestricam luctam non ulterius sustinere providerit. *Resolvere*, id est, frangere, a se amittere, omittere. Lege Erasmum in Adagiis, ibi, *Citra pulverem.* BRISS. Vid. Eustath. ad Il. ρ'. p. 1113 antep. ed. Rom.

9. *pulveris*] Vel quo athletae uncti ceromate se mutuo inspergebant, qui dicebatur aphe, vel quem certando colligebant, de quo Horatius, *Pulverem Olympicum collegisse iuvat.* PETR.

ib. *cibi*] Id est panis quo utebantur athletae, ut essent robustiores, quod appellabatur *coliphium.* De quo Iuvenalis II. 53. *Luctantur paucae, comedunt coliphia paucae.* PETR.

10. *Sed ne corpoream*] Gellius lib. XI. (c. 2.) ex Catone praeclarae veritatis sententiam exscripsit. *Nam vita*, inquit, *humana prope uti ferrum est. Si exerceas, conteritur; si non exerceas, tamen rubigo interficit. Item homines exercendo videmus conteri: si nihil exerceas inertia atque torpedo plus detrimenti facit, quam exercitatio.* Ovid. in Trist. alludit ad hanc Catonis sententiam multis in locis, et Horatius in Epod. *Otium* (inquit Seneca ad Lucilium Ep. 82.) *sine literis mors est, et hominis vivi sepultura.* Quae sententia etsi huic loco non quadrat, tamen in redditione similitudinis contraria, quam Quintil. ἀνταπόδοσιν vocat, non erit aliena, ibi scilicet v. 57. *Tantum ne male desidi.* BRISS.

ib. *Sed ne—otium*] *Corporea labes* utrum satis eleganter pro morbo corpori metuendo dicatur, sane dubitant non abs ratione aliqui. Ego suspicor Terentiano scriptum *Sed ne corpore tam repens Labem accerseret otium. Corpore* pro *corpori* Virgiliano exemplo facile fefellit indoctiores descriptores. Georg.

II. *omnes Magnus alit magno commistus corpore foetus.* Aeneid. X. *et ambas Ad caelum tendit palmas, et corpore inhaeret.* Quod recte optime per antiptosin capiendum dicit post alias opiniones Servius. Si cui hoc minus arridebit, nostram tamen opinionem proposuisse fraudi nobis esse non debet. BARTHIUS Adv. XV. 2. p. 792.

ib. *Repens* hoc loco nomen est, id est, subitum, vel nomen pro adverbio positum, id est repente. Nam quum participium, priorem producit, ut, *Irruit et mediae repens allabitur urbi:* nomen autem sive adverbium corripitur differentiae causa. Virg. Aen. XII. (313.) *Quo ruitis, quaeve ista repens discordia surgit?* Verba sunt Aeneae. BRISS.

12–22. *Tale—foret.*] Sententia est clara, rotunda, perspicua. Dixerat sibi legem nectere laevem lineam mollibus nervis in teretem struem iunctis, quoad inde tam longus fieret funiculus quam longo opus ad aquam penito puteo extrahendam habebat vir ingeniosus. Hanc sententiam futilissimus descriptor imperfectam putavit, ideoque inseruit versum qui eum absolvere videbatur: parum interim memor in toto hoc elegantissimo carmine non permittere primae sedi trochaeum Terentianum; deinde etiam tantum sibi permittens ut simul peccare ausus sit in elidendam litteram, quod genus numquam loco ubi locum habebat sibi accuratus scriptor permisit. Sic igitur bonus iste suppletor: *Laevem nectere lineam, Talem assidue ligat, Dum sit funiculi modus.* Nobis vero auctoribus vitiosus et inutilis versus morboniam hinc exeat, nulla cum mala gratia sententiae: quid enim *tereti strue* aliud significat quam perpetuam connexionem? Id quod adeo visu difficili non erat homini quidem sani sincipitis. Etiam semibarbare hic *talem* pro *hanc* dixit infarctor. Inepte vero Brissaeus qui tot ambagibus defendit hiatum duplici modo erubescendum. *Cavum* eleganter pro *puteo* posuit quoque noster hac praefatione v. 31. *Donec lubrica sarcina Tanti per spatium cavi In lucem superam exeat.* Non opus parenthesi in horum versiculorum intellectu. Estque *cavus* locus quilibet excavatus in speluncam velut. BARTHIUS Adv. XV. 2. p. 793.

14. *solus*] Vel solitarius, vel sine antagonista. PETR.

16. *struem*] De *strue, strage, acervo, sarcina,* vide Vallam lib. IV. (c. 49.) Tropus hic est, scilicet periphrasis, quae con-

iuncta est metaphorae, qua significatur chordam colligatam fuisse. BRISS.

17. *Ceu Parthus solet*] Notum est Parthos arcu valere vel hoc uno proverbio, *Parthi fugiendo pugnant.* De quo Iustinus lib. XLI. (init.) et Plutarchus in vita Marci Crassi (p. 558 B.) Scythae autem optime omnium noverunt usum sagittarum, a quibus duxerunt genus Parthi. Quod quidam censent, consensu illo studii et exercitationis sagittarum. Parthi lingua Scytharum exules dicuntur, ut ait Iust. libro praedicto, fueruntque Parthi exules Scytharum, unde a nonnullis Scythae peculiariter dicuntur qui arcu utuntur, quod in commentariis Epistolarum Plinii lib. III. didici, et in Aeliano de instruendis aciebus cap. 1. Hi solebant tingere aciem sagittarum sanie viperina ad nocumentum ineluctabile; propter igitur peritiam Parthorum et Scytharum sagittandi maxime de his Terentianus inducit memoriam quum de arcuum chordis et torquendis et aptandis locus postulat. Quod autem *Scythes* ponitur, tenendum est masculina in *a* quae Graece in ης desinunt, etiam in *es* exire posse. Ut *Scytha es, planeta es, cometa es*, &c. Horat. in Carm. II. 11, 1. *Quid bellicosus Cantaber et Scythes?* Apud Diomedem et Aldum lib. I. (p. 51. ed. 1575) mentio hujusce rei exstat. Utrolibet igitur modo et Scytha et Scythes dicetur, sed Scytha more antiquorum qui volentes facere linguam Latinam potentiorem a Graeca ratione, quantum maxime poterant, recedebant. BRISS.

18. *cornibus*] Id est, terminis arcus sive finibus, qui cornibus muniri solent. BRISS.

ib. *extimis*] Id est, *extremis.* BRISS.

20. *Talem*] *Talem*, qui gliconico versui in principio minime aptus est. At trochaeum esse non dicemus, sed spondaeum, liquentes enim literae ex more Graecorum antecedentem brevem vocalem producere possunt, uti apud Persium (Prol. 14.) *Cantare credas pegaseium melos.* Ubi *melos* producit primam, ratione liquidae. Exemplum etiam profert Aldus lib. IV. ex Theocrito (IX. 7. p. 246.) ubi m vocalem praecedentem brevem, etiam in diversa dictione, porrigit. Quod majus est quam si in eadem dictione (ut hoc loco fit) produceret. Quid si etiam contendimus versum esse choriam-

bicum? primo loco, ut testis est Terentianus, sine vitio iambus, trochaeus, spondeus promiscue collocari possunt. BRISS. *Talem* absque synaloephe, estque trochaeus. Alii *talemque*. COMM.

ib. *Talem assidue ligat*] Hic ecthlipsis sive synaloephe (utroque enim indifferenter utimur cum Quintil. et Beda, quamquam non nos lateat cum discrimine a multis grammaticorum proferri) nulla est. Quamvis in ratione metrica Beda tradat hanc regulam (p. 2370.) *Quaecunque verba in m terminantur, sequente dictione a vocali incipiente, syllabam ultimam perdunt semper aut minuunt, excepto quum ab h sequens sermo inchoaverit, tunc enim in arbitrio poëtarum est, ut aspiratio instar fortium consonantium synaloephen arceat.* Quod si verum est, hic versus habendus est inter eos quos Priscianus vocat *cacometros*. Sed id non concedam semel esse verum. Nam Juvenal. Satyr. IX. (81.) ait *Quo te circumagas? quae prima aut ultima ponas?* Item V. (23.) *Frigida circumagunt pigri sarraca Bootae.* Sunt et passim alia exempla. Sine synaloephe igitur pronuntiari potest. Sed rursus perpendenda est ratio carminis: nam quamvis citra synaloephen legatur, videtur tamen trochaeus esse. BRISS.

21. *Dum sit*] Donec funiculi longitudo putei aequaret altitudinem. PETR.

23. *Haustos*] Nonius Marcellus (p. 319.) *Haurire,* inquit, *exhaurire vel implere significat,* unde *haustos cados,* id est, completos seu impletos. Beroaldus in sexto libro Asini Apuleii (p. 692. ed. Bas. 1560.) tradit multa de *haurio,* sed maxime arridet mihi ut Nonio subscribamus. BRISS.

ib. *cados*] Budaeus in Asse lib. V. cados ait ex sententia Plinii [H.N. XXVII. 4, 5.] turbinatam habere formam, id est formam nucis pineae: quae in imo angusta, et in summo lata in modum pirorum. Utebantur autem antiqui ad salsamenta condienda. Rhemus Favinus, vel ut placet Politiano, Rhemnius Favinius, in versibus qui extant apud Priscianum (p. 276 b. Ald.) loquens de mensuris liquidorum et frugum, Atticam amphoram et cadum idem esse putat, id est quae capiant duodecim congios, seu vigintiseptem quartarios, seu pintas 54. qua mensura hodie vasa hauriendis aquis comperiuntur, quamvis non vulgo. *Cadus* hic pro antlia, quae instrumentum est vasorium ad hau-

riendam aquam, ut docet Domitius lib. 9. (95.) apud Martialem a quo Cleanthes Phreantles cognominatus est, quod puteos hauriret. BRISS.

24. *tenebris*] Hic *metalepsis* est, id est *transumptio*: *quae* ut ait Quintil. libro (VIII. 6, 37.) *ex alio in aliud velut viam praestat.* Sicut enim in illo, *Speluncis abdidit atris, ab atris nigrae intelliguntur, ex nigris tenebras habentes, et per hoc in praeceps profundae,* ut ait Diomedes lib. II. (p. 452.) ita hoc loco ab tenebris atrum, cavum, seu puteum, ab atro in praeceps profundum intelligimus. BRISS.

25. *filo tenui*] *Filum tenue* id est quod paullo ante *lineam laevem* dixit, sive *teretem struem,* et paulo post *angustum tenaculum* dicet, id est exilem chordam. BRISS.

26. *Quod stringi*] *Vola,* inquit Nonius [p. 416.] *est media pars manus.* Rursus, *vola cavum est sub planta.* Macrobius de Somnio Scipionis I. 6. [p. 42.] ubi agit de septenario numero, *In manibus,* inquit, *est humerus, brachium, cubitus, vola, et digitorum nodi terni: in pedibus vero femur, genu, tibia, pes ipse, sub quo vola, et digitorum similiter nodi terni, &c.* Complicita manus exile quid non retentat nec prehendit facile, ut quod effugiat et tanquam elabatur. BRISS.

27. *Nisus*] *Nisus* et *nixus* a *nitor* teste Prisciano libro X. [p. 903, im.] ducuntur. BRISS.

28. *agit*] Id est, impellit, inducit. BRISS.

30. *lubrica sarcina*] Martianus Capella libro IV. (p. 104.) *Aliena,* inquit, *verba* (aliena autem vocat quae ratione aliqua moventur a significatione vel propter necessitatem vel propter decorem) *tribus modis fiunt, nam propter similitudinem, propter contrarium, propter differentiam. Per similitudinem,* inquit, *ut sunt quae in grammatica tropi vocantur, &c.* Hic *sarcina* verbum est alienum per similitudinem nec in propria significatione usurpatum. De quo vide Vallam libro IV. (c. 49.) *Lubrica* autem *sarcina* hic dicitur pondus quod facile effugere potest. A Quintiliano (I. 5, 5.) *Lubrica observatio* dicitur alio sensu, sed nihil est opus tam multis. BRISS.

ib. *lubrica*] Cadus qui facile laberetur, si manum remitteret; quod et sequentia indicant. PETR.

31. *Tanti—cavi*] Id est, putei tam profundi. BRISS.

32. *In lucem superam*] Priscianus libro III. (p. 597.) *Ab*

*adverbiis*, inquit, *sive praepositionibus ducuntur comparativa: ut extra exterior, intra interior, supra superior. Nam superus et inferus quanvis videantur eorum comparativorum esse positiva, tamen superi pro caelestibus seu vivis, inferi pro manibus accipi solent.* Quo deprehendas aliud significari pluraliter, aliud singulariter. Priscianus item lib. XIV. (p. 1001.) *super et supra a supera: illud per apocopen*, id est, super, *hoc per syncopen*, id est supra, *facta sunt, sic enim antiqui protulerunt.* Unde *supera* praepositionem esse obiter dictum sit. *In lucem superam exeat*, id est, extrahatur in oram summam putei. *Vincere*, id est, educere, extrahere, metaphorice. BRISS.

35. *In praeceps facilem*] Terentius in Adel. (IV. 2, 36.) *Ubi eo veneris, clivos deorsum vorsum est, hac te praecipitato. Praecipitato*, ait Donatus, *id est, cito discende.* Hic *in praeceps facilem fugam ponderis*, id est, pondus fugiens in descensum et imum puteum. In quo est endiadys, quum *fugam ponderis* dico, pro *pondere fugiente*. BRISS.

37. *opus*] Id est, laborem. BRISS.

39. *Occultus*] Omnia corporis membra occulte permeat. PETR.

ib. *trepidat*] Nonius *trepidare*, inquit, *festinare est.* Gell. lib. XVI. (14.) *Festinare*, inquit, *dicitur, quasi fessum esse. Nam qui multis simul rebus properandis defessus est, is iam non properat, sed festinat.* BRISS.

ib. *hic labor trepidat*] Id est, festinat et fessus est per hypallagen: sensus est, laborans occulte defessus est, et interius specie, id est, magis quam ut conspici possit. *Trepidatio*, inquit Donatus in Hecyram Terent. (III. 1, 35.) *ad vocem refertur loquentium, cursatio ad sonum pedum.* Sextus Pompeius, *Trapit*, inquit, *vertit, unde trepido, et trepidatio, quia turbatione mens vertitur.* Sed nec Donati nec Pompeii hic recipio significationem, alibi non explodendam. BRISS.

42. *Caecis flatibus*] Enargia est laborantis. *Caecum* (inquit Nonius Marcell. p. 449.) *non solum oculis captum, sed et insidiosum, et occulte malum, vel latens et tacitum quid, veteres dicendum existimaverunt.* Virgil. IV. Aen. (2.) *Intus vulnus alit venis, et caeco carpitur igni.* Columella lib. I. cap. 5. *Tum etiam natricum serpentiumque pestes hyberna destitutas uligine coeno et fermentata colluvie venenatas emittit: ex quibus contra-*

*huntur saepe caeci morbi, quorum causas ne medici quidem perspicere queunt.* BRISS. Occulto nisi spiritus intensione. PETR. Citat Barthius I. 2. p. 4.

43. *sinus laterum*] Aut loculamenta pulmonis seu conceptacula, aut cava, et laxa latera intelligit, quae respiratio (maxime eorum qui laborem subeunt) nunc attollit, nunc deprimit. Sensus est, latera insinuantur, et modo velorum explicantur, flatu et respiratione. BRISS.

47. *Et parva est via*] Id est, vires instrumento parvo explicantur et intenduntur, utpote quae in digitis positae videantur. BRISS.

48. *Mos certaminis*] Mos, id est, consuetudo et modus, id est, lex et conditio. BRISS. Tam diu se exercebat donec sudor ex omnibus membris eo motu levi et a palaestrica exercitatione dissimili eliceretur. PETR. *Mos certaminis* conditio est certantibus praescripta. BARTHIVS Adv. VIII. 17. p. 399. cf. XXVIII. 1. p. 1310.

49. *Sudor dum solitus*] Id est, consueta exercitatio. BRISS.

ib. *Cadit*] Id est, desuescit. *Nulla mole*, id est, difficultate, negotio. *Cadit*, in aliis fere exemplaribus legitur *cadat*, quibus illud non assentior. Nam Priscianus in tract. De duodecim carminibus (p. 1270.) ait, *dum*, esse adverbium temporis, tuncque iungitur indicativo: aliquando est coniunctio causalis quando pro ὅπως capitur, et tunc coniunctivo iungitur. Unde hic melius *cadit*, quam *cadat*, legitur: quia *dum* adverbium est. BRISS.

52. *Quia* hic monosyllabon est, quemadmodum et alibi in tractatu de syllabis, ibi, *Quia mutas ita coniungi natura recusat.* Quanvis Probus Grammaticus in suis institutis (p. 1426) asserat *quia* esse pedem pyrrichium, ut, (Virg. Aen. IV. 696.) *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.* Sed *detrimentum literae*, ut ait Aulus Gellius lib. II. (c. 17.) *productione syllabae compensatur*, quae coagmentatio (utitur enim Gellius [*sine coagmentis syllabarum* XVII. 9.] hoc verbo in hac re) συναίρεσις dicitur. Quam Beda magnopere studiosis rei metricae pro occasione observandam tradit. Apud codices alios legitur *qui:* sed mea opinione non tam commodo sensu nec idoneo. BRISS. A nostro contractam esse vocem ostendit quoque

Wasius de licentia veterum poëtarum c. 16. Exempla notabo: v. 917. 1037. 1090. 1201. 1225. 1281. 1773. 1777. 1881. 2152. 2226. 2617. 2770. SANT. *Quia* monosyllabon. Alii *Qui*. COMM. Corippus lib. II. *quia* contraxit antiquitatis purioris imitatione, ut saepius elegantissimus scriptor cujus ingenium et eloquentiae nitor in re difficili admirabiles sunt, Terentianus Maurus. Ut in praefat. Quia *iam dicere grandia*. Et *Non semper videas spondeum posse creari* Quia *mutas ita coniungi natura recusat*. Id. Quia *variis pedibus loquimur sermone soluto*. Iterum, *Nec modo* quia *verbo finem facit unde putato*. Denuo, *Consona* quia *vis est illis nunc libera*. Post, Quia *sermo ipse manet nulloque est fine recisus*. Et alio loco, Quia *nec producta est, geminat nec consona vires*. BARTHIVS Adv. VIII. 13. p. 390.

53. *Maturum ingenium negat*] In codice satis diligenter manu perscripto *Maurum ingenium* legitur: nec id omnino absurdum. Alibi in tractatu de metris de se loquens Terentianus (v. 1969.) ait, *Non equidem possum tot priscos nosse poëtas, ut veterum exemplis valeam quae tracto probare. Maurus item quantos potui cognoscere Graios? &c.* Ubi fusius disseretur de Mauris, et hujusce loci mentio revocabitur. Quam lectionem si laudamus, eadem erit hujusce versus ratio, qualem ante exposuimus, ibi, *Talem assidue ligat*. *Maturum* tamen ut legamus suadet redditio illa contraria comparationis qua veteranum athletam veterano literatori componit: idque proprie dictum est ut vult Quintilianus 8. (6.) Quo nihil inveniri possit significantius. Metaphora autem est a pomis sumpta. Est enim maturitas quaedam aetatis, ut fructuum, et maturus dicitur homo, magnus natu. Lege illic unde tractatus est modo Terentiani locus. *Maturum ingenium*, id est, neque acre, neque fervens, sed molle et defervidum. BRISS.

ib. *Maturum*] Neutram habet earum significationum quas ponit Gellius lib. X. c. 11. sed ponitur pro, ut ita dicam, *effaeto*, et quod legitimum tempus excessit, et quasi ad interitum tendit. PETR. *Maturum ingenium* victum significat, atque annis jam defectum. Hor. IV. Carm. IV. *Gens quae cremato fortis ab Ilio—Natosque* maturosque *patres Pertulit Ausonias ad urbes*. Victor Uticensis lib. I. *Senilis maturitas*

*atque veneranda canicies nullam sibi misericordiam vindicabat.* BARTHIVS Adv. XV. 2. p. 793.

54. *Nec spirant animas fibrae*] Metaphora est ab rationali ad irrationale. Sunt autem fibrae partes pulmonis quibus ad similitudinem ungulae bubulae pulmo bifidus constat, ut refert Galeotus ex Celso (IV. 1.) Omitto prudens quae Servius in primo Georg. (484.) exponit de fibris et extis ibi: *Tristibus aut extis fibrae apparere minaces.* Sensus est, ingenium flaccescit et restinguitur senio. BRISS.

ib. *fibrae*] Pulmonis scilicet, id est, spiritus meatus: hoc est, non adest illa animi fidentia quae habitabat in pectore juvenili. Nam Horatius de ea aetate inquit [A. P. 165.] *sublimis cupidusque;* contra de senectute, *seu quod res omnes timide gelideque ministrat.* PETR.

54. *Angustam studii viam*] Paulo post [v. 318] Terentianus *minuta acumina* eodem sensu quae scalpit, vocat. Res enim sunt parvae et prope in singulis literis, atque ut ait Cicero (Muren. c. 11.) *interpunctionibus verborum occupatae.* Quid enim fronte promittit ostentationis literatura? sed tamen multum habet in recessu. BRISS.

ib. *Angustam*] Hoc est, leniter admodum studia attingit. PETR.

55. *Et callem tenuem terit*] De calle, via, et actu, Servius libro IV. (405.) Aeneidos disputat ibi, *convectant calle angusto.* Hic autem versus synonymiam facit cum superiore. BRISS.

56. *Tantum ne male desidi*] Quintilianus libro X. (7, 8.) *Nam,* inquit, *consuetudo et exercitatio facilitatem maxime parit: quae si paullum intermissa fuerit, non velocitas illa modo tardatur, sed νάρκημα,* id est, torpedo, *coit atque concurrit.* Id autem loquitur Quintilianus, ubi de facultate dicendi quaestio est. Praeclare enim Cicero in 1 de Oratore (c. 33): *Stylus,* inquit, *optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister,* neque iniuria. Plura de silentio seu cessatione a dicendo possent afferri quibus sententia Terentiani comprobaretur. Sed quae tractata sunt, satis sunt: et non necesse habemus in nomenclatura authorum ostentationis vitio laborare videri. BRISS.

59, 60. Mihi videbatur Terentianus scripsisse, *Quid sit littera, quid duae, Iunctae* quae *sibi syllaba,* συλλαβῇ, συλλήψει LAGUNA.

60. *Dumos inter et aspera*] Translatio est vel allegoria potius a rebus inanimis ad inanimas: ut enim in rebus animalibus aliud pro alio ponitur, ita et in rebus inanimis: quae translatio non sine ratione assumitur: similitudinem enim quandam continet translatum cum proprio. Qui enim id audit, alio ducitur cogitatione. Est igitur sensus, exequimur quid litera, quid duae, quid syllabae iunctae, tractatu quidem non sublimi, et ubi, (si cum Cicerone (Orat. c. 28.) loquendum est) *quis alte cadere non potest, si quid minus succedat:* qui tamen spinosus est, acutus, difficultatique permixtus. BRISS.

ib. *Dumos*] Materiam sterilem attamen difficilem ostendit. Nam scrupus est lapillus asper pedem calcatus laedens. Ponitur pro difficultate. Sic et scrupulus, unde Terentius [Adelph. II. 2, 20.] *Inieci scrupulum.* PETR.

62. *Fronte*] Negotium, si superficiem tantum attendas, leve et puerile, si aggrediaris, pene intractabile, cui non absimile est illud Horatii, [A. P. 239.] *ut quivis Speret idem, sudet multum frustraque laboret Ausus idem.* PETR.

65. *Aggressus* vi patiendi positum non bene mutavit Brissaeus. Vide quae ad Appuleium voce PASSIVA mille exemplis notavimus. BARTHIVS Adv. XV. 2. p. 793. De verbis deponentibus passive usurpatis quaedam habet idem XXV. 7. p. 1225 seqq.

66. *Nec tractabile pondus est.*] Id est, provincia est et negotium impeditissimum. Dictumque est translative a vehiculis sumptum, quae tractare sive trahere pondus gravius iusto, etsi veterinis, id est, animalibus quae vehere possunt, sunt instructa. Hic attentio excitatur, *ea quippe non negligentes inspicimus,* ait Boëtius in commentariis Topicorum Ciceronis, *quae non facilia esse intelligere suspicamur.* BRISS.

67. *At mens tenditur acrius*] Hic procatasceue est, quae rei quam agimus colorem probabilitatemque praetendit, membris diversis instructa, atque adeo frequentationi coniuncta. Est enim probabile *quod non plus minusve est quam decet,* ut tractat Quintilianus (8, 42.) ex Cicerone (Partit. c. 6.) Hae autem cautiones decent scriptorem, quanquam non me latet procatasceuen fieri tum, quum veluti gradibus quibusdam praeparamus rei, alioqui non verisimili. Quorsum non hic accipio:

sed quum intelligitur quid significetur, de nomine non laboremus. BRISS.

67. *At mens*] Saepe enim animus torquetur, dum obvia, id est, nimium vulgaria ac protrita reiiciens, raris ac sepositis inquirendis invigilat, quibus dum in lucem eruendis acrem intendit curam, veretur ne ob tenuitatem elabantur: cum huiusmodi sint qualia Horatius etiam describit, (E. II. 4, 9.) *Utpote res tenues tenui sermone peractas.* PETR.

ib. *tenditur*] Id est, excitatur. BRISS.

68. *Ne contenta*] Hoc loco *contenta* non dicitur mens *quae contineat, quod animo satisfacit,* ut interpretatur Valla libro I. [c. 30.] in quo sensu a *contineor* duci videtur: sed a *contendor,* ut sit sensus, ne mens sit occupata et intenta in rebus perviis. Quem sensum firmat quod postea dicit, [v. 319.] *Tam legentis debet esse, quam fuit nobis quoque morosa intentio, Qui laborem provocando perdomando taedium, forsitan nec lecta multis e latebris scalpsimus, ardui laudem expetentes, non favorem ex obviis* &c. Gellius libro XVIII. cap. 1. *Familiares Phavorini duo erant quidam non incelebres in urbe Roma philosophi—eorum fuit unus Peripateticae disciplinae sectator, alter Stoicae. His quondam interfui acriter et contente pro suis utrinque decretis.* &c. BRISS.

69. *Rimantemve recondita*] Id est, ne vestigantem latentia sensibusque omnium non exposita. BRISS. Ne omnino difficile sit internoscere; sicut enim corpora minutissima aciem plerumque fallunt oculorum, ita in huiusmodi tenuissimis dispiciendis mentis acies oberret saepe necesse est. PETR.

70. *Subtiles—notae*] Id est, acumina rerum praetereant, lateantque animadversionem. BRISS.

71. *Neu discretio*] *Discretio,* id est, distinctio, explicatio naturae literarum, syllabarum, idque generis similium. BRISS. Quasi diiudicatio, a discerno. PETR. Citat Barthius Adv. XIX. 14. p. 990.

ib. *falsa sit*] Id est, rudis, inartifitiosa. Apud Quintilianum libro I. (5, 13.) *assentior* sive verum sive falsum dicitur non alia ratione quam quod secundum regulam artis dicitur, sive contra. Similiter et alio in libro (I. 7, 8.) inquit, *Et* immunis *illud* n, *quod veritas exigit, sequentis syllabae sono victum,* m *gemina commutatur,* ubi veritas artis regulam et velut praescriptum signat. Cuiusmodi significatione usus est Quintilia-

nus et aliis locis. Idem libro VIII. (3, 58.) *Est autem omne cacozelon utique falsum, etiamsi non omne falsum, cacozelon. Etenim dicitur aliter quam natura habet, et quam oportet, et quam sat est.* Quod ut huic loco quadrat, ita maxime intelligendum contenderim. BRISS.

72. *tam gracili modo*] *Modus gracilis* figura seu forma est scribendi tenuis et humilis, cuius proprium est, ut author est Cicero in perfecto oratore (c. 5.) *omnia docere* magis, *et dilucidiora quam ampliora facere.* Sensus est, Cavendum est prudenter seu callide ne in dicendi modo gracili et tenui parum id praestemus et efficiamus quod non satis deceat, et distinctam explicatamque rem non faciamus: quod maxime decet characterem quem nobis imitandum proposuimus. Id autem non fiet si discretio rerum sit falsa, id est, praeter rationem artis. Nam teste Quintiliano II. (3, 5.) *plurimum in praecipiendo valet ratio, quae doctissimo cuique planissima est.* Item libro IX. [14, 7.] *Nec* (inquit) *ulla res sine arte satis valet, et comitatur semper artem decor.* BRISS.

73. *Instat*] Id est, urget, aut inest, seu adest. BRISS. Cura non levis adhibenda est ut omnia vitia evitemus, quae scribentibus sese ingerunt, quae singula ipse enumerat. PETR.

74. *Ne sermo ambiguum sonet*] Quintil. VIII. (2, 16.) *Vitanda est,* inquit, *in primis ambiguitas, quae incertum facit intellectum.* Quae, ut ait libro VII. (c. 9.) *verbis singulis fit aut coniunctis. Singula afferunt errorem* &c. de quo abunde Quintilianus libro VII. cap. 10. Sensus est, Ne sermo, id est, dictio, sonet, id est referat, ambiguum, id est, ambiguitatem, quae, quod potest in diversos sensus flecti, animos angit lectorum. BRISS.

75. *Ne priscum nimis*] Quintil. I. (5, 71.) *Usitatis,* inquit, *verbis tutius utimur, nova non sine quodam periculo fingimus: nam si recepta sunt, modicam laudem afferunt, repudiata, etiam in iocos exeunt.* Unde *leve* quiddam novum intelligit, et quod levitatis temeritatisque periculum subeat. Quintil. [cf. 8, 2, 12.] lib. VIII. obscuritatis modos explicans, *Prisca,* inquit, *afferunt orationi obscuritatem, et noctem quandam.* Quare utrumque merito vitandum proponit Terentianus. BRISS. *Priscum* videri potest positum esse ab authore pro obsoleto: nam prisca Cicero in tertio de Oratore [c. 10.] ad ornatum interdum ora-

tori concedit. Ideoque non simpliciter *priscum* dixit, sed adiecit *nimis*. PETR.

76. *Vocum ne series hiet*] Hians oratio, seu hiulca, aspera, dura et dissoluta dicitur. Quae quo modo fiat, et quo modo vitetur docet Quint. lib. VIII. [6, 62.] Cui opponitur coagmentata oratio et numerosa: metaphora est. Oratio tum hiare dicitur, quum insistunt interius et excurrunt verba longius, id est, inaequabiliter struuntur. De quo meminit Martianus Capel. lib. V. (p. 168.) planissime: et Diomed. II. (p. 462.) Victor Pisanus in enarratione perfecti Orato. Cic. (c. 44, 150.) *hiulcas* ait *voces, cum vocalis vocalem excipit: asperas, quum consona consonantem admittit:* quod quid sit, vide Quintil. lib. IX. c. 4. BRISS.

77. *Neu compago fragosa sit*] *Fragosa* praerupta dicuntur loca et aspera. Quintil. V. (8, 1.) *Qui argumenta velut horrida et fragosa vitantes, amoenioribus locis desident.* Compago, id est, series seu iunctura: synonymia est superioris versus. Diomed. III. (17, 15.) *Fragosi* (inquit) versus *sunt, qui quasi illaevigato sono et incondito variantur.* BRISS.

ib. Fine sermonis vitium quod Petronius [c. 118] dicit cum quaedam extra corpus orationis velut expressa emineant pulchre indicavit, lucendi verbo *Neu compago fragosa sit, Neu sit quod male luceat*, hoc est, inutili splendore reliqua obfuscet. Illustrant usum huius verbi nonnihil quae ad Nemesiani Cynegeticum non ita olim scripsimus. BARTHIVS Adv. XV. 2. p. 794.

78. *male luceat*] i. e. non satis perspicuum sit. SANT.

79. *Dum certo gradimur pede*] Id est, dum lege versus astringimur. Poëtae enim saepe perspicuitatem sensus confundunt necessitate versus compulsi, dum propria metricae rationi non semper sunt consentanea: quibus etiam concessum est verba fingere, quae non recepta offundunt caliginem, ut testis est Quintil. libro VIII. (c. 3.) BRISS.

80. *Ipsi neu trepident pedes*] Hic Sexti Pompeii congruit significatio verbi *trepidare*, qua vertere significari innuit, et variare. Sensus est, ne varient pedes, legitimique in nothos concedant. BRISS.

81. *Par examinis aestus est*] Fervens quidam impetus, et cura animadversionis seu considerationis instat non inferior

aut remissior cautionibus antepositis: quod metaphoricum est: sed unde petatur metaphora non refert dicere, nam obscurum non est. Quintilianus libro XII. [10, 50.] *At quod libris dedicatur, et in exemplum aeditur, tersum, ac limatum, et ad legem et regulam esse compositum oportet, quia veniat in manus doctorum, et iudices artis habeat artifices.* BRISS.

82. *disseras*] *Disserere* absolute positum pro dicere aut scribere, quod raro apud bonos scriptores ita positum invenies, velut pro *edisserere, Ceu sublimia disseras.* Ausonius Mosella: *Liquidoque sub alveo* Dissere *caeruleo fluitantes amne catervas.* Censorinus cap. V. de D. N. *Quae* disserens *non definite se scire Alcmaeon confessus est.* BARTHIVS Adv. XV. 3. p. 794.

83. *Par est iudicii mora*] *Morari*, a quo *mora* ducitur, exspectare est, aliquando in mora detinere: ex sententia tamen Donati in Heautont. [I. 1, 120.] prius poëticum magis est quam oratorium. Sensus est, cum de his molestiis et anxietatibus grammaticae dissero, subeunda est et expectanda mihi Aristarchorum censura, iudiciumque acerrimorum: perinde ac si de rebus magnis atque gravioribus definiendum suscepissem. Aut sensus huiusmodi esse potest non insulsus: *par est iudicii mora*, id est, pari tarditate et difficultate iudicandum est mihi in hac re, quasi ardua quaedam tractarem, ut *mora* hic sit, quod apud Ausonium in praefatione de monosyllabis, *Dic ergo, o mora, et o poena, rem vanam quippe curavi, exigua est.* BRISS.

84. *Pompae gloria vilis est.*] In tenui re ista tenuis est gloria. Contra Vergil. in IV. [v. 6.] Georgicorum, *In tenui labor, at tenuis non gloria,* dixit. Est autem *pompa* apparatus solennis cum ostentatione et specie quadam triumphandi: a verbo Graeco *πομπεύειν,* id est, triumphare. Sed hic ironice dictum putem: si enim ad ostentationem hoc opus suscepisset, non erat quod diceret, maturum ingenium negat grandia dicere: et ut testatur Crinitus libro quinto de Poëtis Latinis, in hoc libro habita ratione utilitatis omnem prope gratiam et pompam contempsit Terentianus. Quare nomine pompae opus non speciosum gloriosumque intellectum putes: quemadmodum Quintilianus libro I. [Prol. 4.] ait de authoribus rhetoricis, qui negligentes *tanquam parva, quae prius discimus studia, positaque procul ab ostentatione* &c. Plin. lib. XXIX. (9.)

de medicina loquens, ait, *Nec deesset materiae pompa, si quicquam aliud intueri liberet quam fidem operis:* quem locum si quis penitus viderit, intelliget huic proposito non esse alienum. Est autem sententia duplex, atque si introspiciamus, epiphonema. Nam rei curam tractavit, tractavit et negotium: probatae igitur rei vel narratae summa est. BRISS.

85. Placet igitur, quoniam de grammatica et literis futura est disputatio, ante definire quid grammatica, quid litera. *Omnis enim*, teste Cicerone (Off. I. 2.) *quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur id de quo disputetur.* Iam primum omnium grammatica (ut ait Capella libro tertio) dicitur, "quod γραμμὴ linea, et γράμματα literae nuncupentur, sitque attributum grammaticae literarum formas propriis ductibus, id est lineis, delineare: cui Romulus literaturae nomen dedit, quanvis infantem grammaticen literationem voluerit nuncupare. Nunc assertor, id est doctor, grammaticae literatus dicitur, qui literator antea vocabatur. Hoc etiam Catullus non insuavis poëta commemorat, *Munus*, inquit, *dat tibi Sylla litterator.* Idem apud Graecos γραμματοδιδάσκαλος vocitatur: cuius officium fuit docte scribere legereque. Nunc etiam illud accessit, ut sit grammatici erudite intelligere probareque, quae duo vel cum philosophis criticisque videntur esse communia." Haec complectitur Quintil. quom ait, (I. 4, 2.) *Haec professio in duas partes dividitur, recte loquendi scientiam, et poëtarum enarrationem.* Idem libro II. cap. 1, 4. *Grammatice (quam in Latinum transferentes literaturam vocaverunt) fines suos norit, praesertim tantum ab hac appellationis suae paupertate intra quam primi illi constitere provecta. Nam tenuis a fonte, assumptis poëtarum historicorumque viribus, pleno iam satis alveo fluit, quum praeter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope omnium maximarum artium scientiam amplexa sit.* &c. *Litera*, inquit Donatus (p. 1735), *est pars minima vocis articulatae. Minima*, inquit Priscianus (p. 538), dicitur *quantum pertinet ad totam comprehensionem:* quomodo *etiam vocales longae brevissimae partes inveniuntur.* Ut enim in rhythmo tempus, ut ait Capella, libro IX. [s. 971.] *in arithmeticis, monas,* id est, unitas, *in geometricis punctum:* ita in grammatica, litera divisionis est expers. Sergius (p. 1827) *a philosophis,* inquit, *litera atomos*

*dicitur, quod non habeat a quo solvatur.* Nam cum omnis oratio in verba solvatur, verba in syllabas, syllabae in literas, litera sola non habet a quo solvatur: ideo minima pars vocis articulatae a Donato dicitur. *Dicta litera*, teste Sergio (ibid.) *quasi legitera, eo quod iter ad legendum ostendit.* A lituris etiam dici, refert Priscianus, (p. 538) libro primo "quia plerunque antiqui in ceratis tabulis scribere solebant, et postea delere. Literas etiam, elementorum vocabulo (dicit Priscianus,) nuncupaverunt, ad similitudinem elementorum mundi.—— Hoc vero interest inter elementa et literas, quod elementa proprie sunt pronuntiationes: notae vero earum, literae: abusive tamen et elementa pro literis et literae pro elementis vocantur:" haec Priscianus. De his idem (p. 1285) in accentibus. De numero literarum mox dicendi locus incurret in ordinem. *In literis*, inquit Martianus libro III. (s. 232.) *gemina quaestio diversatur. Nanque aut naturales sunt, aut effectae. Natura enim insinuante earum nomina in substantiam procreata sunt: artificiosa vero formatio earum lineas, quas scribimus, designavit. Ad hoc, ut praesentes una uti, absentes alia possent. Atque ita ex hac parte qua scribitur, mutae, ex illa, qua legitur, voces sunt appellatae: siquidem hae auribus tantum, illae solis oculis valeant comprehendi.* Literae igitur hac ratione omnes mutae sunt, omnes et voces dici possunt: sed ex his sunt *quae per se totum efficere valeant, aliae nihil:* hae vocales sunt: illae generis alterius: *Mutae*, inquit Capella [s. 247], *ideo hoc nomine nuncupantur, quoniam illis nisi vocales associatae succurrerint, intra oris sonitum ante auspicia moriuntur. Vocales dicuntur*, inquit Priscianus (p. 540), *quod per se voces perficiunt, vel sine quibus vox literalis proferri non potest.—Semivocales appellatae, quod plenam vocem non habent, ut semideos et semiviros dicimus, non qui dimidiam partem habent deorum vel virorum, sed qui pleni dei vel viri non sunt.—Mutae ad comparationem bene sonantum sunt dictae. Velut informis dicitur, non qui caret forma, sed qui male est formatus:—sic mutae, non quod omnino carent voce, dicuntur, sed quod habent partem vocis exiguam.* Haec Priscianus. Probus (p. 1387) ait *vocalibus a vocalitate nomen esse inditum.—Semivocales ideo dictas, quod per se quidem singulae proferri possunt: sine vocali tamen syllabam per se facere non possunt. Vocalitatis nomen attingunt, quod per se proferantur,*

*quod per se syllabam facere nequeunt, sunt mutis similes—Mutae dicuntur, quoniam per vocales literas pronuntiantur, neque etiam per se syllabam faciunt.* Et ne scrupulum injiciat dictum Probi, quo censet semivocales per se proferri, (manifestum est enim semivocales a vocalibus incipere, et in seipsas desinere, mutas autem a seipsis incipere, et in vocales desinere,) tenendum est, quod omnis litera, teste Prisciano, plus sonat quum postponitur quam cum anteponitur—Unde a potiore sono semivocalis, quae postposita est, in sui appellatione, per se singulae proferri dictae sunt. Vel, ut ait Sergius (p. 1828), *etsi a vocalibus inchoatae, in naturalem sonum desinant, tamen si detrahimus his vocales, habent velut quendam sui levem sonum.* Haec dicta sint pro literarum et grammaticae expositione. De syllabis autem et metris suo loco dicetur. Ex contextu satis apparet a Terentiano fieri triplicem literarum ordinem, ut aliae sint vocalissimae, aliae absurdissimae, aliae his interiectae et quasi temperatae, nec posteriorum surditate nec vocalitate superiorum praeditae, sed utrarunque participes; illae vocales, aliae mutae, intermediae semivocales. BRISS.

85. *Elementa*] Hic prolepsis est literarum, sed an recte dicatur *elementa, vocalia quaedam commemorant* &c. vide Priscianum libro XVII. ubi de constructione pronominum secundum observationes communes tractat, aut Aldum libro III. ubi agit de figuris. Nam recte dicitur *elementa* &c. et dici posset *elementorum*, si ratio versus pateretur. BRISS. Carmen est Sotadicum quod constat tribus ionicis a majori et spondeo; ita feritur, *Elementa ru*⏑⏑–⏑⏑*des quae pue*––⏑⏑*ros docent ma*–⏑–⏑*gistri*––. Non ignorandum tamen plerunque in tertio pede poni ditrochaeum ut in hoc patuit. Verum ne aliquis propter primum pedem pentasyllabum miraretur, lector, non te lateat duas syllabas breves pro una longa poni, ut hoc loco: quod factitatum est etiam in illo Virgilii (Georg. I. 482.) *Fluviorum rex Eridanus*, ubi illae priores duae syllabae ponuntur pro una producta, et ita fit spondeus. Principium huius sui utilissimi operis Terentianus a literis, i. e. elementis, sumit; quas in vocales et consonantes, rursus consonantes in mutas et semivocales dividit, et ipsarum generaliter vim docet, ut in praescriptis patet versibus, ostensurus in sequentibus singularum propriam virtutem. PETR.

87. *seorsa*] Hic secreta et separata sive singula. Domitius in Opusculo Virgilii, *Est et non*, [fol. xxxiiii. ed. Venet. 1522.] *seorsa dubia* interpretatur, *a Dialecticis remota et incognita*. BRISS.

88. *potis est*] Id est, *potest*, ut Donatus apud Terentium saepius exponit. Terentius in Phormione [II. 3, 32.] etiam *potis est* pro *possibile est* usurpat. *Adolescens*, inquit, *primum abs te hoc bona venia peto : si tibi placere potis est ut respondeas mihi*. BRISS.

ib. *Nullumque sine illis potis est*] Sicut etiam Lucretius V. 718. usus est in genere neutro, *Nec potis est cerni quia cassum lumine fertur*, licet in communi genere flectatur; vel dicendum resolvi per verbum *potest*. PETR.

90. *Pars*] Id est, semivocalis. BRISS.

ib. *Pars dimidium vocis*] Pars scilicet consonantum, qualia sunt S et X. PETR.

ib. *opus vocis*] Id est, vocem. BRISS.

91. *Pars muta soni*] Qualia sunt B. C. PETR.

ib. *comprimet*] Id est, obserabit, claudet. BRISS.

ib. *molientum*] Id est, fingentium et formantium voces, id est eorum, qui volent moliri et conari vocem aedere. BRISS.

92. *Illis sonus*] Subaudi *semivocalibus*. BRISS. *Illis* i. e. semivocalibus. PETR.

94. *Vocalibus atque est minor*] Dicit quia prolatio semivocalium minor est prolatione vocalium: et auctior, i, e. crassior mutarum. PETR.

95. *His caeca*] Subaudi *mutis*. BRISS.

96. *Vt non labiis hiscere*] Vt sunt B. C. ut videbis infra, quae si divisim velimus pronuntiare, nullus certe sonus edi poterit. PETR.

97. *Vllumve meatum*] Id est, transitum, apertionem oris. BRISS.

ib. *explicare*] Reserare, expedire. BRISS.

ib. *nisus*] Id est ictus, molimen vocis sive conatus. BRISS.

98. *rictum*] *Rictus* sive *rictum* ea pars est oris quæ in homine ridente lineis quibusdam terminatur: aliquando etiam pro hiatu poni potest. Nam *rictus* quo labia saepe porriguntur, hiatum facit. BRISS.

ib. *disserarint*] Donatus in Eunucho (IV. 6, 25.) *Sera*, in-

quit, *claustrum est januae.* Unde *obserare,* claudere est, *disserare* autem aperire seu reserare significat. Nam compositum est a *di,* sive *dis,* quae, teste Diomede, lib. primo, (p. 405.) idem significant, et *sero seras,* id est *claudo.* Quae praepositiones solent contrariam simplicibus invehere significationem, ut *diffidens, difficilis.* Ausonius in prologo de ludo septem sapientum verbali nomine usus est verbi decompositi: *Veniet,* inquit, *ludius edisserator harum quas teneo minus.* BRISS. *disserarint,* i. e. aperuerint. PETR.

99. *Res quum tenuis*] *Res,* id est, materia, *tenuis,* id est subtilis et acuta, quo sensu dictum est a Gellio libro sexto [c. 2.] *Contra ea Chrysippus tenuiter multa et argute disserit, &c.* BRISS. Rem ait tenuem, i. e. subtilem, difficile posse verbis probari. Sed quia magis exemplis movemur quam verbis, innuit se velle dare exempla, ut clarius, quae dicit, percipiantur. PETR.

ib. *difficile est probare verbis*] Hoc vere dictum est. Nam *experimenta* fere, teste Quintil. (II. 5, 15.) plus *valent quam praecepta,* etsi in alium quidem sensum deflexerit, ad hunc tamen locum accommodari potest. Sicuti et id quod dixisse philosophum quendam refert Laërtius (IX. 37.) verba scilicet umbram rerum esse. BRISS.

101. *B. C. D. G.* nomine ipso sonum hujus literae, *E,* habere ostendit ac si proferres *Be, Ce, De, Ge,* quae prolatio, *e,* si amoveatur et negetur, ipsarum literarum nomen non poterit proferri, immo labra pressa manebunt, et lingua revincietur. PETR.

103. *Et labra simul prementur et revincta lingua*] *Revincta,* id est *vincta.* Prothesis est. *Haec,* subaudi *e.* BRISS.

106. *Geminumque refert*] Ut si dicas *be, b,* quae separatim enunciari non potest, in hac syllaba duplicem refert sensum, nam si *b* tollatur, *e* restabit; et ideo dicit *geminum refert auribus sensum* ex vocali addita, quia suam vim habet, et consonantis mutae geminus auditur sonus: scil. et mutae et vocalis. PETR.

107. *Si*] Id est, *quia.* PETR.

ib. *Si proprietas tradita, si regula nota est*] Id est, si germanam et legitimam, et ut ait Quintil. (I. 5, 33.) ὀρθοέπειαν sequimur, id est, rectam et emendatam vocem. BRISS.

108. Ante non incipio disputare de literarum elementis, id est, pronuntiationibus, quam quantum sit in his momentum Latinitatis ex Cicerone prodiderim. Ciceronis verba sunt in 3. de Orat. [c. 11.] *Atque*, inquit, *ut Latine loquamur, non solum videndum est ut et verba efferamus quae nemo jure reprehendet, et ea sic casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit: sed etiam lingua et spiritus, et vocis sonus est ipse moderandus. Nolo exprimi literas putidius,* id est, affectatius molestiusque; *nolo obscurari negligentius.* Paulo post, *eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus non verbis, sed sono vocis, nec tam bene quam suaviter loquendo facile superabit.* Deinde, *quare quum sit certa quaedam vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum, hanc sequamur: neque solam rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus.——Cotta, o Sulpiti, illa lata nonnunquam imitaris, ut iotam literam tollas, et e plenissimum dicas, non mihi oratores, sed messores videris imitari.* Idem in primo Officiorum (c. 37.) *In omnibus*, inquit, *elaborandum est, si in omnibus quod deceat exquirimus.——Sed quum orationis indicem vocem habeamus: in voce duo sequamur: ut clara sit, ut suavis, utrumque omnino a natura petendum est: verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium et leniter. Nihil aliud fuit in Catulis ut eos exquisito judicio putares uti literarum.——Hi optime uti lingua Latina videbantur. Sonus erat dulcis, literae neque expressae neque oppressae, ne aut obscurum esset aut nimis putidum,* id est, affectatum et odiosum. *Uberior oratio Lucii Crassi, nec minus faceta, sed bene loquendi de Catulis opinio non minor.* Omitto quae ex undecimo [3, 35.] Quintiliani laudari possunt. Libro autem primo, [11, 4.] *Quod est*, inquit, *hujus doctoris officium? in primis vitia, si qua sunt, oris emendet, ut expressa sint verba, ut suis quaeque literae sonis enuntientur, &c.* Quod loco praecepti notandum esse iudico, nobisque animos evocari ac concitari debere hoc Ciceronis elogio de pronuntiatione tam gravi tamque eminenti ad ea quae tradit Terentianus doctissime de pronuntiatione persequenda, tanquam id *solum* quoddam sit, ut ait Cicero, (Brut.

74.) atque *fundamentum* Latinitatis: quod quanto possit esse fructui, quotidiano experimento comprehendimus. BRISS.

108. *Nunc singula*] Supple elementa. BRISS.

ib. *quam possideant in ore sedem*] Id est locum ubi legitime et germane moliri possint atque formari. *Ictusque*, id est percussiones suas, suos motus, suas fictiones. BRISS.

109. *concipiant et unde rumpant*] *Vnde*, id est, ex qua parte oris, *rumpant*, id est erumpant, exeant: aphaeresis est. BRISS.

110. *Vt quivero versu blaterabo Sotadeo*] Versus Sotadaei lex et conditio exemplo praesenti contextus comperta esse potest, et de his procedente libro disserendum est. Sotades quidam Cretensis author fuit, de quo Raphael Regius libro primo apud Quintilianum meminit capite 14.—*Blaterabo.* Aelius Spartianus [p. 92. ed. Paris. 1620.] ait familiare Antonino fuisse has quaestiones grammaticis ponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent. Velut *agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minarriunt, ursi saeviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranae coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, canes latrant, cameli blaterant, seu blatiunt.* Ex quibus metaphora sumi solet cum inerudite parumque docte scribere seu dicere significamus. Vnde Terentianus ab ostentatione recedens, *Blaterabo*, inquit, id est, imperite, et quantum Mauro [v. ad 53.] ingenio dabitur, loquar. Atque ut planior intellectus sit fingendorum elementorum adjiciemus ex aliis quae ad hunc locum faciant. Capella libro 3. [s. 261.] de formatione literarum ait, *Nanque a sub hiatu oris congruo solo spiritu memoramus*, id est *a* profertur ore aperto, competenti spiritu inflato seu adhibito. Erasmus (T.I. p. 934.) in Recta pronuntiatione, A, inquit, "diducto largiter ore profertur, lingua recta suspensa, hoc est, nec ad palatum superius afflexa, nec in anterius dentium vallum impacta, nec in latus dentium illisa, nec inter dentium hiatum inserta, voxque prodit ex arteria profundiore, feriens superius palatum." Haec magis sufficiunt, quam ut quae tradit Galeotus Martius afferamus. Omitto etiam quaestionem cur primum locum teneat *a*, quae ab aliis tractari solet, nec me fugit id quod Priscianus libro primo [p. 539.] tradit: qui singulis vocalibus multiplicem sonum tribuit. Aliter enim sonantur cum aspi-

ratione, aliter sine aspiratione, aliter cum accentu gravi, aliter cum aliis accentibus, &c. In consonantibus itidem differentiae sunt plures sonorum. At hoc loco contemplamur sedes in ore ubi finguntur, sonosque proprios literarum secretarum, quibus cognitis, facile mutationes illas sonorum, quae extrinsecus afferuntur a connexione, brevitate, porrectione, accentu, servabimus. Non enim haec distant genere, sed velut gradu quodam. BRISS.

ib. *blaterabo*] Dicam; hoc verbo, ne arrogans videretur, usus est: nam *blaterare* veteres dicebant *incondite et inaniter loqui*. PETR.

111. *A prima*] Hic exponitur hanc literam *a* labris immobilibus et lingua pendula manente proferri, ita inquam lingua reducta et pendente ut sola vox et sonus ipsius *a* tantum in ore resonet. PETR.

112. *Immunia*] Immobilia. PETR.

ib. *Immunia rictu patulo—labra*] Id est, rictu certo modulo exporrecto, ut oris hiatus neque angustior neque patentior sit quam quomodo insinuat linea utrunque latus pertingens. BRISS.

113. *reduci*] Id est, retrorsum adigi. BRISS.

114. *Vt nisus—vocis*] Id est, spiritus percussus. BRISS.

ib. *valeat subire*] Id est, possit subrepere. *In illam*, subaudi linguam; quae, quum pendula est, illiditur spiritu mananti a faucibus. BRISS.

116. *E, quae sequitur*] Martianus [III. s. 261.] *E spiritus facit lingua paululum pressiore*, id est, *E* profertur lingua inter palatum et superius et inferius librata, non quidem ut in pronuntiatione *a*, sed magis appressa lingua ad palatum inferius, spiritum educendo modeste. Erasmus (T. I. p. 935) "*E* profertur ore parcius diducto, spiritusque non erumpit sursum in caelum oris, sed in linguam infimam, quae leviter ferit utrinque dentes molares, reductis introrsum labiis." Sunt autem molares, (ut in quinta Satyra Juvenalis (v. 160.) exponit Mancinellus) ultimi dentium, qui concisa atque confracta a primoribus subigunt et molunt: unde *molares a mola*, teste Prisciano libro quinto (p. 653.) vocati sunt. BRISS. E litera cum profertur aliquantulum mandibula superior deprimitur, ita ut ejus molares

linguam prius pendulam attingant, labrorum vero anguli reducuntur. Ideo dixit *quia deprimit altum*. PETR.

116. *vocula*] Id est, vocalis. BRISS. Quia *e* minorem quam *a* sonum emittit. PETR.

ib. *dissona est*] Id est, diversum sonum aedit a priore, subaudi *a*. BRISS.

117. *Quia*] Hic monosyllabon est, de quo ante satis. BRISS.

ib. *deprimit altum modico tenore rictum*] *Altum rictum*, id est, partem rictus superiorem, qui rictus duobus labiis constat extremis. *Modico tenore*, id est, sono modesto et mediocri. BRISS.

119. *I porrigit*] Sonus et prolatio hujus literae *I* porrigitur ad ipsos genuinos usque, et resonat minimum in loco labelli superioris. Sunt autem genuini dentes interiores aliis: unde dentes dicuntur esse triplices, sc. primores, id est, anteriores, molares sive extremi, et genuini. PETR.

ib. *I porrigit ictum*] Martianus [III. s. 261.], *I*, inquit, *spiritus prope dentibus pressis exhalat*. Erasmus, (p. 936.) "Iam, I, inquit, minus etiam diducto rictu sonatur, ac pene coëuntibus dentibus, quibus sensim lingua illiditur, qua parte sunt genuini, sic ut labia nihil adiuvent sonitum, sed reducantur potius aliquantulum, ut in *e*." *Porrigit ictum*, id est, extendit, protendit, explicat spiritum et sonum ad ipsos prope *genuinos*, id est dentes remotos et molares, qui unde dicantur docet Valla libro 4. (c. 52.) et quid sit *genuinum rodere*. BRISS.

120. *Minimumque renidet supero tenus labello*] *Renidere*, ut ait Beroaldus in tertio de Asino aureo, [Apuleii p. 352.] est *labra contrahere, labra autem contrahi a subridentibus palam est*, unde et pro *subridere* ponitur. Porphyrio in Sermonibus Horatii, ibi, (II. 7, 38.) *Nasum nidore supinor*, exponit nidorem pro risu, *unde*, inquit, *fit renideo*. Quintilianus XII. [10, 28.] *Quod*, inquit, *quum contingat, nescio quomodo hilarior protinus renidet oratio, ut in zephyris zopirisque*. Ubi Raphael Regius ait *renidere, id est laetum esse et florentem*. Quo verbo frequenter utitur Macrobius in Saturnalibus, atque ex contextu Quintiliani id significari quod dicit Raphael facile colligitur. Igitur ut apud Horatium in Odis libro secundo,

ibi, *Non ebur, neque aureum, &c.* *renidere* refertur ad colorem mollius et laetius resplendentem, ita hoc loco *renidere*, sicuti apud Quintilianum, ad sonum mollius resonantem. BRISS.

ib. *renidet*] Resonat. Nam *renidere* est *labra contrahere* auctore Lutatio grammatico: quo contractu fit sonus. PETR.

ib. *supero tenus labello*] Id est, usque ad labellum superum. BRISS.

121. *O*] Hoc tantum colligitur his ex carminibus, quod Latini non habent nec *o* nec *i* (*e*) longas, id est, non notant alia figura *o* et *i* (*e*) longas, et alia *a* (*o*) et *i* (*e*) breves, ut Graeci habent *o* et ω, iota (ε) et ητα, sed solum habent *o* et *i* (*e*) in eadem figura modo longas, modo breves, scilicet quod in una dictione producuntur, in alia corripiuntur. Verum notandum est, quod tantum prolatione cognoscuntur, veluti si dicas *o* proferendo, parum aperto rictu et quasi cadente sono exprimitur, sicut *alio* adverbium, si vero dixeris, *O virgo nova mi facies*, tunc resonat tragicum sonum, i. e. grave, nam tragoedia vincit gravitate omne genus scripturae. PETR.

ib. *O Graiugenum*] *Graiugenum* genitivum est pro *Graiugenorum*. *O* similiter genitivus est, estque sensus; ex *o* Graecorum est altera figura longior, alter sonus, et nota temporum minor, id est, Graeci habent *o* diversae figurae, et diversi soni, et diversorum temporum. Alias ita legebatur, *alter sonus et nota temporum minor*, nulla lege versus salva. Praeterea subieci cacometro legitimum, qui, quantum video, commodius etiam sententiam reddit. BRISS.

123. *Compendia*] Brevitatem: *compendium* brevitas, unde *oratio compendiosa* dicitur quae brevis est. PETR.

ib. *Compendia nostri meliora crediderunt*] Priscianus VIII. (p. 847.) *Latini*, inquit, *plerunque gaudentes brevitate, faciunt concisiones ut in vocativis in* ie *desinentibus, ut Palladi pro Palladie, Terenti pro Terentie, et in nominibus literarum, pro alpha, beta*, a, b, *dicentes*. Capella libro III. [s. 233.] *vocales quas Graeci septem, Romulus sex, usus posterior quinque commemorat*, y *velut Graeca reiecta*. Sed post Capella [s. 258] asserit *y* in numerum vocalium, ubi agit de numero literarum necessariarum. Praetermitto quod Beda [p. 2349] dicit, *y* sextam vocalem Latinos assumpsisse propter verba Graeca quibus utimur, et post perceptionem Dominicae fidei η ω et

*a*.*η* scilicet propter authoritatem nominis Dominici *ιῆs*, quod vulgo ita scribitur, licet aspiratio fere credatur esse, quum sit tamen *η*. et *a* et *ω* propter authoritatem Dominici sermonis scilicet *ego sum a et ω*. Ita ponit Beda vocales octo, *a*, *e*, *i*, *o*, *u*, *y*, *η*, *ω*. Alpha autem confunditur cum nostro *a*, quod et figura et potestate aequiparet. Sed nihil est opus ista callida interpretatione, Latini enim de Latinis vocalibus quae traduntur volunt intelligi. Nam etsi commodato a Graecis accepimus, an iustum est firmumque argumentum eas nostras esse? Macrobius de Somnio Scipionis I. 6. [p.40.] *Post septem menses dentes incipiunt mandibulis emergere, et post bis septem sedent sine casus timore, post ter septem sonus eius in verba prorumpit, et post quater septem non solum stat firmiter, sed et incedit—post annos septem dentes qui primi emerserant, aliis aptioribus ad solidum cibum nascentibus cedunt, eodemque anno, id est septimo, plene absolvitur integritas loquendi: unde et septem vocales literae a natura dicuntur inventae, licet Latinitas easdem modo breves modo longas pronuntiando quinque pro septem tenere maluerit, apud quos tamen si sonos vocalium non apices numeraveris similiter septem sunt.* Diomedes II. (p. 416.) *Sunt*, inquit, *vocales numero quinque* a, e, i, o, u, *potestate autem septem, siquidem* e *pro ε et η Graecis, et* o *pro ο et ω ponitur*. BRISS.

125. *Productio longis*] De syllabarum temporibus et literarum in sequentem tractatum differenda est disputatio. BRISS.

128. *una quoniam sat habitum est*] Servius super eo versu Aeneidos III. [91.] *Liminaque laurusque* &c. ait *que brevis est pro longa posita: quod hac ratione defenditur, quia omnia monosyllaba ad artem non pertinent, et his licenter uti possumus*. Priscianus ait I. (p. 557.) *apud Boeotos* h *poni pro* s, *ut muha pro musa:* unde non mirum est si aliquando *h* vim consonantis habet. Et contra, *s* aliquando pro *h*, ut *sex*, *septem*, ἕξ, ἑπτὰ, ut docet Priscianus [ibid.] libro V? unde non mirum est aliquando *s* liquescere, vimque literae perdere. Victorinus [p. 2452] inquit *h* interdum consonantis loco fungi, interdum aspirationis. Quare quum dicit Terentianus *una quoniam sat habitum est* &c. *sat* longum esse potest, quia monosyllabum per regulam Servii vel longum esse potest positione propter *t* et *h*, quae aliquando habet vim consonantis. BRISS.

130. *Igitur*] Particula est apta principio sententiae. BRISS.

132. *Rictu*] Id est, hiatu. BRISS.

133. *At longior alto*] Acuit, id est, intendit. BRISS.

ib. *sonum tragicum*] Magnum, clamosum, vehementem. *Sub oris antro alto.* Sub antro, sub cavo oris. BRISS.

134. *Molita*] Id est, percussa, icta. Erasmus (T. I. p. 936 F.) tamen in pronuntiatione ω, inquit, *nihil differt ab o: nisi quod a longum ab a brevi: nam pleniore sono profertur.* Omnis autem longa vocalis, quemadmodum et diphthongus, quodammodo gemina vocalis est. BRISS.

135. Υ] Dicit hanc literam, Υ Graecum, in nulla Latinarum dictionum scribi: sed si quae dictio Graeca ad formam Latinam reducta sit, ubi ypsilon poni necesse sit, tunc eam scribimus in aliquibus, ut Olympus, in aliquibus minime, quod in *u* mutetur, ut *Sylla Sulla, cypressus cupressus.* PETR.

ib. Υ, *quam memorant*] Quintil. libro XII. (10, 27.) *iucundissimas ex Graecis literas non habemus, vocalem alteram,* scilicet Υ, *alteram consonantem,* scilicet φ, *quibus nullae apud eos* &c. Atque ut semel id annotatum sit, hoc loco tenendum est literas vel syllabis vel figuris posse significari: atque ita lege versus postulante, ubi sola figura delineabitur velut Υ aut *a*, vide ne syllabis efferas ἦτα, Ypsilon, alpha, sic enim metrum scandendo corrumperetur, sed voce sua atque sono tantum proferendae sunt, quod et Priscianus attingit, et meminit Terentianus. BRISS. Priscianus I. p. 540. *utimur etiam* y *vocali Graecorum causa nominum.*

ib. *avia*] i. e. remota. PETR.

138. *Subiecimus*] Supra dictis vocalibus *u* Latinorum extremam addit, quam sibi consonantes omnes ante se iungere ait: et, ut reliquas omittamus, admittit *q*, quam aliarum vocalium (nulla) ante se potest habere, nisi hac intermissa, ut *qua, que, qui, quo*, et quam solam sonum suae figurae congruentem habere asserit. Labia enim ex angulis angustis paulatim diducta in eius prolatione ipsius *u* figuram representant. Eam Graeci neque scribunt, neque proferunt, nisi duas simul vocales *ov* coniungant, ac diphthongum efficiant. Cuius etiam sonum asserit in altum tendere, cum ex ore exiens labrumque superius radens, quasi illius ductu in altum consurgit. PETR.

ib. *Subiecimus illam cui*] Beda (p. 2371) in ratione metrica tradit *coniunctionem divisionemque syllabarum, ubi necesse est,*

*decere metricum scire.* Probus in Institutis Artium (p. 1403) particulam *cui* duarum esse syllabarum tradit, pirrhichiumque constituere, aliquando etiam iambum, quod videre erit in sequentibus. Paulinus, *conscia servitii quid gesseris et cui tandem.* Fortunatianus, *cui tandem, hoc opus est cum virginitatis honore.* In quibus exemplis *cui* monosyllabum et dissyllabum deprehendis. Sic in hoc versu Terentiani *cui* pirrhichius est, quemadmodum et in hoc versu qui sequetur: *Verum ut cuique est proximitas loci sonive.* BRISS.

139. *Vocalem sonantes*] Nisi penitus hic versus perpendatur, habendus videbitur inter eos quos Priscianus (p. 1322) cacometros appellat. Nam hic epitritus quartus videtur esse pro ionico a maiore, quod metri lex et conditio reiicit. Quod si confitebimur, statim a principio promissi sui immemor Terentianus esse videtur, qui in praefatione promisit,

*ipsi neu trepidant pedes,*
*Par examinis aestus est.*

Quod longe abhorret a diligentia et acumine Terentiani. Quare *vocalem so* ionicus erit a maiore: quod fieri posse liquescentia *s* credimus. Victorinus enim (v. p. 2472) inquit etiam de metro *s* saepe excludi. Quod et Cicero in perfecto oratore declarat, sed in alium sensum quam ut huc citari debeat. Priscianus satis erit qui libro sexto tradit *s* (ut ante diximus) in aspirationem aliquando recidere, atque ita vim consonantis perdere. Quibus freti dicimus, *voca,* spondeum esse, *lem so,* pirrhichium, sicque *s* hic liquescere, ut *lem* syllabam positu non porrigat. BRISS.

140. *Et sola sonum redderet*] Priscianus libro I. (p. 540) testatur propter pronuntiationem et figurae et nomina literarum facta sunt. Id quod et innuit in Accentibus. Galeotus de homine interiore tradit constantissime delineationem literarum velut gradum facere ad pronuntiationem, ut os componatur ad literarum ductus. Martianus libro III. [s. 232] ait, *Natura insinuante literarum nomina in loquendi substantiam procreata sunt, quare naturales sunt quaedam. Artifitiosa vero formatio earum lineas quas scribimus designavit.* Ita fit ut *effectae* quaedam dicantur. Quod satis exponit figuram literarum, substantiam loquendi, id est, nomen literae sonumque repraesentare. Unde mirum videtur esse quod dicit Teren-

tianus, *et sola sonum redderet ex sua figura.* Non occurrit quod dicam nisi antonomasiam seu metonymiam quandam esse dixerim hoc sensu, praecipua et prae aliis ex sua figura *u* pronuntiatur. Ita enim Quintilianus I. (5, 4.) de euphonia loqui videtur, ubi de vitiis et orationis virtutibus agit. *Sola est,* inquit, *quae notari possit velut vocalitas quae euphonia dicitur* &c. Sicut et apud Catullum (I. 5.) Cornelius Nepos *unus Italorum,* id est, praecipuus et prae aliis omnibus dicitur. Quintilianus III. 4, 5. notat *scriptores artium pro solis frequentissima comprehendisse.* Quo sensu si capias hic *solam,* non magnopere repugno. Ut autem intelligas quo pacto ex sua figura reddit sonum Mart. Capella (s. 261) citandus est. *V,* inquit, *ore constricto labrisque prominulis exhibetur,* cuius figura argumento est, nam inferius clauditur, et superius aperitur. BRISS.

ib. *sola*] i. e. consonantibus non jugata. SANT.

ib. *ex sua figura*] Equidem *figura* accipio *littera,* tanquam si dixisset *ex se.*—Voluit Terentianus *V* vocalem vel quibuscunque consonantibus coniungi, vel solam per se pronunciatam, ut in *unus,* sonum suae litterae reddere proprium. SANT. Add.

142. *Hanc edere vocem*] *Hanc,* id est, ypsilon. BRISS.

143. *Nitamur ut*] *Ut,* id est, tanquam. BRISS.

ib. *sic citetur ortus*] *Ortus,* id est, orsus, principium pronuntiationis. *Citetur,* id est, excitetur, exoriatur, exurgat: ubi fortasse *orsus* legi non absurdum esset, sicut et in alio versu legitur sic, [v. 1099.] *si positu longa efficitur, pedis efficit orsum.* Sed quid refert? BRISS.

144. *Productius*] Id est, porrectius, extensius, proiectius, longius. BRISS.

ib. *coëuntibus labellis*] Id est, coniunctis. BRISS.

145. *Natura soni pressior*] Id est, sonus qui spiritu presso, id est, oppresso et constricto aeditur. BRISS.

ib. *altius meabit*] Id est, acutius sonabit quam *V,* et intensius. Martianus enim ait (III. s. 261) *Y oppressis labris spirituque procedit.* BRISS.

146. *Hanc et modo* etc.] His versibus describit *i* et *u* simul iunctis priorem illarum consonantem effici, alteram vero vocalem remanere; et exempla ponit in sequentibus versibus. PETR.

147. *Verum est spatium sumere*] Productis vocalibus gemi-

num tempus inesse, post tradit Terentianus, ibi binas productas, &c. singulum tempus brevibus, consonantibus dimidium tempus, quod etiam apud Diomedem lib. II. [p. 423] traditur. Et apud Priscianum lib. I. cap. ult. Unde ait Terentianus, *verum est spatium sumere* &c.: id est, si alterutra earum prior locabitur ante alterutram, tempus vocalis posterior, consonantis prior assumet. BRISS.

149. *Nec tunc modo*] i. e. tantummodo *i* et *u* invicem sibi praepositae, sed et cum aliis vocalibus idem efficiunt. *V* post *I* remanet vocalis. PETR.

ib. *Nec tunc modo quum iungimus hoc valebit ipsas*] Hyperbaton est, ordoque talis est, *Nec tunc modo hoc valebit, quum iungimus ipsas*. BRISS.

154. *Et cum IAculum* etc.] Clare patet his versibus quomodo *i* et *u* fiant consonantes, sed dicit author quod quando *u* ante vocalem fit consonans sonus eius crescit et fit crassus: quare ipsa *u* consonans apud Aeoles fingitur digamma, et hac notatur figura Ϝ, quam Latini in suarum numerum literarum transtulerunt. Et primo in eo usu habuere quo et ipsi Æoles habent, h. e. *u* consonantis: deinde illam pro *ph* tenuere in dictionibus Latinis distinctionis gratia, cum prius et in Graecis et in Latinis *ph* indiscriminatim uterentur. Verum Germani eodem sono proferunt *u* consonantem quo nos Ϝ, praesertim suo idiomate vernaculo: quo quidem ab usu ne in dictionibus quidem Latinis abstinent, dicunt enim loco *veni* Ϝ*eni*. Et ideo ut dilucidius cognoscatur quomodo digamma vocetur, gamma simplex sic formatur Γ, gamma duplex sic, supponendo alterum gamma simplici, hoc modo F, et ita fit *f*. Quare dixit *unde Aeolis litera fingitur digammos*. Et digamma idem est quod *f* apud Latinos. PETR.

155. *prior iuvatur*] Nam sequens confert sonum priori, quod procedens sermo explicabit. BRISS. Hoc est, *I* consonans fit, sonumque a sequenti vocali accipit. MIC.

158. *quo sonabat ante*] Supple, quam esset iugata cum *u*, id est, tempus unum habet. BRISS.

159. *praedita servat*] Ante legebatur *praelata*, eodem quidem sensu sed metri vitio. BRISS. *praeditus* hoc sensu Auctor utitur v. 291. 533. 544. 632. 704. 717. 729. 753. 2075. SANT.

162. *Digamma* ne tantum, an adhuc *digammos* dici possit, quaerendum est, ante quam de pronuntiatione agamus. Prisciani verba sunt ex lib. I. [p. 540.] *Sunt indeclinabilia tam apud Graecos elementorum nomina quam apud Latinos, sive quod a barbaris inventa dicuntur, &c.* Idem firmat lib. V. [p. 642.] Item (p. 1255.) in tractatu de duodecim carminibus, *Literarum*, inquit, *nomina tam in* a *quam in alias quascunque literas desinentia, et apud nos et apud Graecos indeclinabilia sunt, ut alpha, beta, gamma: non enim recte Donatus* (vide in Andriam Terent., [I. 2, 2. ubi legitur *digamma*] *digammon posuit, &c.* Quem si velimus authorem complecti, *digamma* solum dici posse constat. Prisciano subscribit Aldus ( ) Verum non solum Donatus *digammos* dixit, sed et Sergius (p. 1827.) dixit: et Quintil. dixisse videtur, lib. I. [7, 27.] ibi, *Nec inutiliter Claudius Aeolicam illam* Ⅎ *ad hos usus literarum adiecerat*, quanquam nihil obstat quin et in neutro genere possit hoc loco efferri, quemadmodum et ante dixit. Idem Fabius (I. 4, 7.) *ut in his servus et vulgus Aeolicum digamma desideratur.* Cicero in 3 de Oratore [c. 12.] *iotam* dixit. Et ita legi apud exemplaria tum nostratia, tum externa, eaque quae putantur emendatissima. [Immo in edd. opt. legitur *iota.*] Ciceronis verba sunt: *Quare Cotta noster, cuius tu illa lata Sulpiti imitaris nonnunquam, ut iotam literam tollas, et e plenissimum dicas, &c.* Quo potissimum fretus apud Terentianum saepius *digammos* mihi legetur sine religione, quanvis Priscianus obstrepat. Sed ut quod observavi reddam, fere in genere feminino legi, si litera additur, in neutro, si sine nomine litera ponitur, in quo genus ipsum mutari posse videtur, quemadmodum in nominibus fluviorum: quae quanvis ex regula sint masculina, tamen adiectione nominis neutri transeunt in neutra, ut flumen Rhenum, mare oceanum, ut tradit Aldus (p. 12.) quanvis Priscianus lib. 5 (p. 659,) putet hoc figurate dici. Sed domum redeamus. Auli Gellii ex lib. 14. [c. 5.] verba sunt: *Divus et rivus et clivus non us syllaba terminantur, sed ea quae per duo* uu *scribenda est. Propter cuius syllabae sonum declarandum reperta erat nova litera* Ⅎ, *quae digamma appellabatur, &c.* Quintil. lib. I. cap. [7, 26.] de orthographia, *nostri praeceptores cervon servonque* u *et* o *literis scripserunt, quia subiecta sibi vocalis in unum sonum coalescere et confundi*

*nequiret. Nunc* u *gemina scribuntur ea ratione quam reddidi: neutro sane modo vox quam sentimus effertur. Nec inutilem Claudius Aeolicam illam* Ⅎ *ad hos usus literam adiecerat.* Item lib. eodem cap. de literis [4, 7.] *in his servus et vulgus Aeolicum digamma desideratur.* Item Sergius (p. 1827.) *Praeterea et hoc proprium* u *habet, ut digammon sonet, id est pingue quiddam, quum sibi ipsa praeponitur, ut ser*Ⅎ*us,* Ⅎ*ulgus. Istam digammon Aeolenses quibusdam dictionibus ut impinguescant, apponunt, ut pro Helena dicant Felena.* Item Donatus (p. 1736.) *huic,* (inquit quum loquitur de *u*) *item digammon ascribi solet quum sibi ipsa praeponitur* &c. Unde colliges Aeolicam digammon tunc usui fore quum *u* sibi ipsa praeponitur. Priscianus tamen lib. I. [p. 545] ait, u *loco consonantis posita eandem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos quam apud Aeoles digamma* Ⅎ, *unde a plerisque ei nomen hoc datur, quod apud Aeoles habuit olim* Ⅎ *digamma, id est* vau, *ab ipsius voce profectum, teste Varrone et Didymo, qui id ei esse nomen ostendunt.* Ex cuius contextu palam est Ⅎ etiam locum habere, ubi *u* sibi ipsa non praeponitur, sed an Priscianus unus elevabit sententiam tot eminentissimorum magistrorum? unde his accedentes alium sonum *u* vocalem aedere, alium consonam a se seorsam, alium sibi iugatam dicemus, si ex regula et cum veritate contemplari velimus. Sed discrimen excutiamus. Vocalem *u* sua figura declarat, nam ut ait Capella lib. III. [s. 261.] *ore constricto labrisque prominulis exhibetur. V* consonans sola levi discrimine tenuique distat ab *f*, distat tamen. Nam cur *u* consonam habeamus, si sonum confundat cum *f*? si paulo lenius sones *f*, fiet *u*. *f* enim apprimit labellum superis dentibus aedita, levi quidem spiramine, si compares *φ*, aspero tamen spiramine aeditur, si compares *u* consonae, quae tanquam *βῆτα* Graecum profertur lenissime: *V* autem sibi praeposita, digamma Aeolico proferetur, quod, ut ait Sergius, inventum est, ut adhibitum dictionibus impinguescat sonus. Nam pingue quiddam sonat digamma, et, ut ait Terentianus, digammo crescit sonus et coit crassus, qui sonus nullo modo reddi potest commode, ut ait Quintilianus (I. 7, 26): sive *servos* sive *servus* scribitur, *neutro sane modo vox quam sentimus, efficitur.* Unde iam colligere possis, quam non sit cuiuslibet auris literarum sonos exigere. Neque igitur *uu* per *f*, neque *φ*,

neque *u* consonantem a se seorsam profertur, si ad veritatem referimus. Idque Quintilianus subtilissime disputat. Sed quum maior sit ista ratio quam ut facile possit comprehendi, aut tenuior quam acies ingeniorum vulgo possit intueri, ne forte satagentes proprium et germanum sonum reddere nimium in perpendendis sonis consenescamus, *non erit inutile si non sit rectissima*, ut ait Quintilianus (III. 6. 82), *linea tensa, dum sit apertior via*. Quare digammon putemus esse consonam *u*, quomodocunque ponatur *u*, sive seorsa, sive ipsa sibi praeposita, freti authore Prisciano et Terentiano non hic solum sed in sequentibus, ubi agit de dialecto Aeolica: quibus in pronuntiatione etiam Erasmus astipulatur: quamvis dicat Erasmus [T. I. p. 956 F.] forte *quod ait Terentianus de digammo posse referri ad ultimum exemplum, videlicet vultum*, sed non ita est, ut constat ex disputatione et tractatu cognationis linguae Aeolicae et Italicae. Nec statim tamen melius putem censuisse eos quam Quintil. (nam quorum aures exigere poterunt sonum utrique legitimum, Quintil. acquiescant), sed quod facilius (rudibus loquor) ita *u* consonans semper sono *f* pronuntiabitur, quali sono aut admodum proximo digamma fertur. BRISS.

165. *altera quo referat*] Qui de ratione metrica scripserunt, fere tradunt *refert* primam habere longam quum impersonale est. Hic producitur, et producitur mea sententia semper, seu personale seu impersonale fuerit, (nam quid quantitati cum personali seu impersonali conditione, dum nominis rei ratio subiiciatur?) nisi quum arbitrum constituo, recito, aut reporto significat, et breviter quum praepositionis *re* subolet significationem. Significat autem hic *distet*, et *intersit*; neque accusativus *alteram* regitur a verbo *referat*, sed subdistinctio est ponenda statim post verbum *referat*, et accusativus *alteram* a verbo *sciamus* regitur. Unde sensus est: sed ut quo, id est, quo modo seu qua ratione, altera, id est *u*, distet subaudis, ab altera, id est *i*, alteram cognoscamus et excutiamus. BRISS. Monemur hoc loco *i* literam positam inter duas vocales in eadem dictione fieri duplicem consonam, adeoque si vocalis posita in loco priore, id est, quae est ante ipsam *i*, est brevis natura, fit longa positu, perinde ac si esset ante duas consonantes. Quare dixit *ceu longa fit olim*. PETR.

Corrigo: *Sed ut altera quo* differat altera *sciamus*. LAGVNA. *Altera* praeferendum et Santenio visum. *Referat* sanum est. Quippe *refert*, ut *interest*, cum pro *differt* ponitur, ejus verbi constructionem adsumit. Vide Perizon. ad Sanct. III. 5. LENNEP.

167. *coartet*] Id est, *colligat, concludat, convinciat*. Synecphonesis est, quae fit quum duae vocales nulla interveniente consonante pro una accipiuntur, vel longa et brevis pro longa ponitur, nisi velis *cingat* legi: sed dum ratione potest lex salva manere, non est cur aliquid demutetur. BRISS.

172. *olim*] Id est, *aliquando*. BRISS.

173. *Aut si nimium est hoc dare*] Diomedes lib. II. (p. 419) ait, *inter duas vocales duarum syllabarum posita* i *geminatur. Sic enim scribi per geminatam literam metri ratione desiderat, siquidem potestatem tuetur duplicis consonantis*. Priscianus lib. I. (p. 545.) *Antiqui*, inquit, *solebant geminare eandem* i *literam* in medio dictionis inter duas vocales positam, *ut maiius, peiius, eiius*. Quintilianus lib. I. [4, 11.] *Sciat etiam*, inquit, *Ciceroni placuisse aiio maiiamque geminata* i *scribere* &c. BRISS. Docet author his versibus quod *i* etiam post vocalem fit consonans, quod irrident alii grammatici, ut in his dictionibus, *Baiana, peior*. Sed ne quis miretur eo quod scriptae sint tantummodo unico *i*, advertendum est quod Terentianus notat vel scribi posse duplici *ii* sic, *Baiiana, peiior*, ita quod *i* finiat syllabam et inchoet, vel simplici, ut notatum est. Idem videmus fieri non modo in mediis dictionibus, ut in praedictis exemplis patet, quod *i* post vocalem consonans evadat, sed etiam in fine, ut in hac particula *hei* unica syllaba, et praesertim in idiomate vernaculo cum dicimus *uoi, noi, mai*. PETR.

175. *Atque*] Id est, statim, ut apud Vergil. in Georg. lib. I. [203.] *Atque illum in praeceps prono rapit alveus amne*. De quo vide Gellium lib. X. cap. ult. BRISS. De hoc sensu conjunctionis *atque* saepius agit Marklandus in Explicat. Auctt. vett. Euripidis Supplicum editioni subjunctis.

176. *I consona*] *I* supple prior. BRISS.

177. *Et quum prior*] Ante paulo dixit Terentianus, *prior iuvatur, nil ordo secundis tribuit* &c. quod et in sequentibus amplius patebit. Literae enim sequentes possunt esse auxilio

prioribus, sed non contra. Hoc tamen casu, quo *i* geminata scribitur, fit ut vicissim prior et posterior sint auxilio. BRISS.

178. *Hoc V simili si fuerit*] Priscianus lib. I. (p. 546.) *Est tamen*, inquit, *quando Aeoles inveniuntur pro duplici quoque consonante digamma posuisse, quod videmur sequi in praeterito perfecto et plusquamperfecto tertiae et quartae coniugationis, in quibus* i *ante* u *consonantem posita producitur, eademque subtracta corripitur: ut cupivi cupii, cupiveram cupieram, audivi audii, audiveram audieram.* Quo constat ex Prisciani sententia *u* in medio dictionis consonans inter duas vocales habere vim duplicis consonantis, sed in praeteritis verborum tantum id iuris retinet, *i* autem ubique. BRISS. Notatur his versibus *u* non fieri duplicem consonantem licet sit inter duas vocales, ut fit *i* litera modo quo supra. PETR.

179. *Pluvia*] Alibi *pluviam* legitur, sed non sine vitio metri, legendum est enim *pluvia*, ut tertius pes sit ditrocheus, soluta secunda longa in duas breves. BRISS. In aliis, *lavor*, *dico nives*, *pluviam*, non recte. COMM.

181. *Perstat*] Id est, *permanet*. BRISS.

ib. *ante collocatis*] Id est literis praecedentibus *u* supple, ut in *lavor*, *nives*, &c. BRISS.

182. *Iam caetera*] Locutus huc usque de vocalibus et quomodo *i* et *u* fiant consonantes, modo dicit se velle loqui de caeteris literis, sed nolle procedere eo ordine quo dispositae in alphabeto reperiuntur, verum ostendit se de ipsis tractaturum prout vicinia, i. e. proximitas vel cognatio, eas quasi similes demonstraverit. PETR.

183. *Verum ut cuique*] Hunc versum citat Priscianus libro XIII. [p. 961.] ubi ait *cui* dissyllabum esse. Probus autem ait [p. 1403.] *cui* modo esse pirrichium, modo iambum, modo in unam longam contrahi, ut ante dictum est. BRISS.

184. *subigat*] Hoc loco *subigere* est *cogere*. Aliter Cicero in 2 de Oratore [c. 30.], usurpat, *Subacto*, inquit, *mihi ingenio opus est.—subactio autem est usus, auditio, lectio, literae.* BRISS.

185. *modico dirempta puncto*] Quod hic modico puncto dirimi dicitur, Quintilianus IX. 1. [3.] *tenui limite dividi* dicit, et XII. 10 [67] *Aliquo momento distare:* quod et exili filo dici

potest. Quae formulae dicendi non praetermittendae visae sunt, quibus locus erit ubi minimum quiddam a quodam discrepare significabimus. BRISS.

186. *B litera vel P*] Priscianus libro I. [p. 540.] *Mutae*, inquit, *a se incipientes vocali terminantur.* Id quod Terentianus paulo ante attigit ubi de mutis egit, ibi, *b quum volo vel e, &c.* BRISS. His versibus moneris, studiose lector, quod nomina harum mutarum *b* vel *p* proferri non possunt nisi adiecta hac vocali *e* in prolatione, et ideo dixit *quasi syllabae videntur*, et quod aliquantulum inter se differunt, parum tamen, quia *b* sonum intus habet, i. e. in ore, *p* autem labiis apertis. PETR.

189. *Vocalis ut intus*] *Vocalis* est genitivi casus. BRISS.

190. *Compressio*] Id est, *conclusio, constrictio.* BRISS.

ib. *dissonora*] i. e. differens. PETR.

191. *Nam prima*] *Prima*, id est, *b.* BRISS.

ib. *per oras*] Id est, per extremitates. BRISS. Hic *ora* accipitur pro angulis labiorum. PETR.

ib. *figit*] Compingit labella, id est, claudit extima seu extrema labella. Capella, [s. 261.] *b*, inquit, *labris per spiritus impetum reclusis edicimus.* Erasmus in pronuntiatione, (p. 949 C.) "consimili ratione, inquit, *b* promitur ut *p*, nisi quod leniore compressu labiorum vox exit, sed paulo largiore spiritu." BRISS.

192. *est altera contra*] Id est, *p.* BRISS.

193. *Pellit*] Id est, *excludit, exprimit.* BRISS.

194. *Vtrunque latus*] Scilicet linguae. BRISS. Quomodo *c* proferatur hic author ostendit, dicens quod lingua utroque latere dentibus applicatur in prolatu, et similiter remittitur in fine prolationis. Sciendum metrum hunc *c pressius urget* non admittere legitimam scansionem. Proinde videto an placeat scribere *de et hinc et hinc remittit,* ut tmesis sit. PETR.

ib. *applicare*] Supple pellit. Hic tamen aliud significat quam in versu superiore, quippe cogit. BRISS.

195. *C pressius urget*] Cacometer erat hic versus. Nam teste Fortunatiano (p. 2694.), *Omnis coniugatio debet habere* in hoc versu *sex tempora.* Est autem coniugatio [συζυγία] (ut ait Sergius in artem Donati) [p. 1832] *ex variis pedibus in unum*

*pedem collecta conclusio:* quae si *similes pedes iungit, tautopodia dicitur, si dissimiles dipodia,* ait Fortunatianus [p. 2688]. Alias enim legebatur *urget dehinc et dehinc remittit,* qua lectione per diaeresim est solvenda prima *de hinc,* ut sit dissyllabum, sed tum septem tempora comparebunt in coniugatione. Nec id idoneum erit, si dicas *dehinc* esse monosyllabum, et ita sex esse tempora in coniugatione *urget de hinc.* Nam quum praecedant duae longae, sequantur et duae breves necesse est, quae in unam longam non poterunt constringi ex traditione Terentiani, cuius verba sunt haec in metris, *Nam non ita ut est longa dissolubilis, Breves vicissim contrahi in longam valent: Quia solida findi magnitudo non vetat, Divisa iungi rursum in unum non queunt.* Quod si fieri concedas posse, quid ante Terentianus promisit, *Instat callida cautio Neu trepident pedes, &c.?* Fortasse dices, nam trepidare pedes, afferens illud quod ait Terentianus de versu Ionico a majore, *Nec enim numero pendere metra syllabarum, Sua sed pedibus tempora sufficit referre.* Introspice contextum Terentiani, et deprehendes contextum non intendere ut duae breves in longam coire possint, sed longam in breves solvi tantum. Exemplaria tamen quotquot legi ita habent, sed quum nullum sincerum in manus meas venerit, sunt omnia mihi suspiciosa: unde mihi erit libera rationem sequenti sententia, atque ita legam, *Vrget sed et hinc, hincque remittit,* vel, *sed hinc illincque remittit.* Si enim ut in aliis legitur, praeter legem metri violatam etiam confragosum quiddam et coactum nimis videbitur, ut prius *dehinc* contrahatur in unam syllabam, posterius solvatur in duas. Erasmus in Recta Pronuntiatione, [T. I. p. 949.] c *reducta introrsum lingua, et hinc atque hinc ad molares illisa, haerentem intra os sonum propellit in palatum superius.* Martianus libro 3. (s. 261.) *C,* inquit, *molaribus super linguae extrema appulsis exprimitur.* BRISS. *C* linguam pressius urguet utrumque latus dentibus adplicare. LAGVNA.

ib. *urget*] Id est, premit et inprimit linguam dentibus, magis supple quam *p.* BRISS.

ib. *hinc hincque*] Id est, ex utraque parte molarium. BRISS.

ib. *Sed et hinc hincque* legit Brissaeus, vel, *sed hinc illincque remittit:* vetus scriptura, *urget dehinc et dehinc rem...*ex quo

alii faciunt, *dein et dein.* Vide Victorinum p. XI. v. X. COMM. p. 2454 Putsch.

ib. *remittit*] Id est, reiicit, reducit, linguam supple. BRISS.

196. *adhaerens*] Id est, haerens intra os. BRISS.

197. *G porro*] Erasmus (p. 949 C.) *G,* inquit, "*non aliter sonatur quam* c, *nisi quod lenius exit.*" Capella (s. 261.) *G,* inquit, *spiritus cum palato,* est supple. BRISS. Dicit hanc literam *g*, dum profertur, obtusius, id est, citra ullum sibilum, sonum *c* literae representare. PETR.

199. *At portio dentes*] *D,* inquit Capella, (s. 261.) *appulsu linguae circa superiores dentes innascitur.* BRISS. Exprimendo *d* lingua sua summitate vel acumine pulsat imos, i. e. imam partem superiorum dentium, dum se a superiori dentium parte deflectit. PETR.

202. *T, qua superis*] Capella (s. 261.) *T,* inquit, *appulsu linguae dentibus impulsis excuditur.* BRISS. Superi dentes summa parte linguae feriuntur in prolatione hujus literae *t*, ita ut extrema illa pars palati, ex qua dentes primores oriuntur, lingua summa contingatur. PETR.

204. *K perspicuum est*] Capella (s. 261.) *K,* inquit, *faucibus palatoque formatur. K,* inquit Priscianus I. [p. 543], *et q, quanvis figura et nomine videantur aliquam habere differentiam, cum* c *tamen eandem tam in sono vocum quam in metro continent potestatem, et* k *quidem penitus supervacua est.* Diomedes lib. II. [p. 418.] *quidam in Latino sermone decem et septem esse literas crediderunt, siquidem ex viginti et tribus, una aspirationis nota est* h, *una duplex* x, *duae supervacuae* k *et* q, *duae Graecae* y *et* z. BRISS. *K* et *q* supervacaneas quodammodo literas fuisse ait, in quo videtur sentire cum Nigidio [v. Mar. Victor. p. 2456], quem Papyrianus grammaticus neutram illarum in suis commentariis unquam scripsisse asserit, quod *c* litera illarum sonum possit exprimere. Idem namque sonus erit in prolatione sive scribas calendae sive kalendae. Quid enim est aliud *k* quam Graeca litera, quae ab illis cappa, a nostris *c* et scribitur et profertur? cum semel igitur ad nos venerit sub hac figura *c*, superfluum est iterum venire sub Graeca figura, quam videntur antiqui traxisse in usum ad exprimendum pinguiorem sonum quam per *c* exprimi posset; vel ut ait Priscianus, quo exemplis ostenderent *u* prodere vim literae in metro inter *q*

et aliam vocalem, ut *qualis, quo, quidem* &c. quod si post *q* nulla alia vocalis sequatur nisi *u*, alii eam geminari volunt, ut Victorinus, alii non, ut Papyrius, ac Quintilianus, [I. 7. 5. vid. locum] qui ait, *qum* scribendum esse quando est adverbium temporis et ponitur pro *quando*, praepositionem vero ita scribendum *cum*. *Q* insuper aliam habet cum *c* cognationem, quod utriusque fit in easdem literas mutatio, ut *torqueo torsi, parco parsi, coquo coxi, duco duxi ;* immo in ipsum *c* mutatur interdum, ut *loquor locutus*, *sequor secutus*. Demum concludit, si *r* et *q* videntur necessariae eadem ratione rursum addendas esse *g* et *c*, quod quidem arbitror ita accipiendum, cum non exprimitur lingua palato affixa, ut in his *genus*, *gigno*, de quo superius meminit, sed cum diversa a superiori sonum habet, ut in his *Gades*, *gobius*, *guberno*, sic de *c*, non cum proprium habet sonum de quo proxime et alias meminit, sed cum in propria figura sola prolatione in *g* quodammodo adulteratur, ut in his *Caius*, *Curculio, amurca*, in quibus *c* scribere, *g* vero proferre consuevimus. PETR.

206. *Quia qui locus*] *Quia* monosyllabum est: hicque anantapodotum figura est, de qua figura lege Budaeum in annotationibus prioribus in Pandectas [p. 109.]: estque sensus, qui locus est in ore, unde exoritur primitus *c*, idem est unde *k* et *q* soni exoriuntur. BRISS.

207. *deinceps*] Quod fere per synaeresim legitur, hic per diaeresim legendum est. BRISS.

ib. *iugare*] Id est, *nectere, colligere*. BRISS.

208. *sonitum quidem supremum*] Id est, sonitum vocalis quae in extremis *c*, *q*, *k* vocibus cohaeret. BRISS.

209. *Refert nihili*] Ante legebatur *nihilum*. BRISS.

ib. *K prior*] Sergius [p. 1828] tamen, *k* inquit *et q*, *quae nonnullis superfluae videntur, hanc habent rationem, ut* k *tunc praeponatur, quando eam a sequitur: sed hoc in paucis nominibus observatur, ut kalendae, Karthago.* Q *antiqui quoties* u *sequebatur, praeponebant*, &c. Diomedes libro II. [p. 417.] *ex mutis quaedam superfluae videntur*, k *et* q, *quod litera* c *harum locum possit implere, sed invenimus in kalendis et aliis quibusdam quod* k *scribitur necessario, et quod* q *consuetudine scribitur, quum in una eademque syllaba* u *litera antecedat, et habeat sibi adiunctam vocalem, ut Quirinus.* Idem tamen [p. 419.] *super-*

*vacuam mutam appellat, qua,* inquit, *utimur, quando a correpta sequitur, ut kalendae, kaput, kalumniae.* Sed cum Prisciano sentiam, sentitque Priscianus cum Terentiano. *Nulla,* inquit Priscianus [p. 543], *ratio videtur cur a sequente* k *scribi debeat: Carthago enim et caput, sive per* c *sive per* k *scribantur, nullam faciunt nec in sono, nec in potestate eiusdem consonantis differentiam.* Neque vero tam absurdus est Terentianus, ut ipse sibi non constet, quanvis enim nunc affirmet *nihil referre* k *ne prior an* q &c. Intelligit tamen si post *q*, *u* sequatur, quod contextu sequenti patet, ibi, *Nanque* q *praemissa semper* u *sibi iungit.* Quod et Quintilianus libro XII. cap. 10. [30.] innuit. *Duras,* inquit, *et illa syllabas facit, quae ad coniungendas demum subiectas sibi vocales est utilis, alias supervacua, ut* equos *et* equum *quum scribimus.* BRISS.

210. *Aut G quoque vel C*] Diomedes libro II. [p. 417.] g, inquit, *nova est consonans, in cuius locum* c *solebat apponi, ut et hodie cum Gaium Caesarem notamus, scribimus* C. *Caesarem, ideoque post* b *literam tertio loco digesta est, ut apud Graecos* γ. Quintil. I. [7, 28.] *quid? quae scribuntur aliter quam enuntiantur. Et Caius* c *litera notatur, quae inversa mulierem declarat, quia tam Caias esse vocitatas quam Caios etiam ex nuptialibus sacris apparet. Nec Cneus eam literam in praenominis nota accipit, qua sonat. Curgulio, amurca* similiter. In quibus sonus dulcior quaeritur, quo, quia dicunt aures se iuvari, scientia nobis reservanda est, usus dandus est populo. In quibus quum *c* scribatur, et pronuntietur *g*, ex consuetudine, quae solet auribus indulgere, *ususque literarum* teste Quintiliano libro I. [8, 31.] *sit ut custodiant voces, et velut depositum reddant legentibus, c* nos posse carere iudico, in cuius locum quum *g* succedat aliquando, cur non semper liceat, si modo spectemus in aliis quod in sermonibus tractatis spectamus, scilicet lenitatem vocis, et cognationem mutarum? quare non absurde dixit Terentianus, *aut* g *quoque vel* c *simili parique lege* &c. licet Quintilianus libro I. [XI. 4.] dicat, *quod est igitur huius doctoris officium? in primis vitia, si qua sunt, oris emendet, ut expressa sint verba, ut suis quaeque literae sonis enuntientur: quarundam enim vel exilitate, vel pinguitudine nimia laboramus, quasdam velut acriores parum efficimus, et aliis non dissimilibus, sed quasi hebetioribus permutamus. Quippe* ρ *literae, qua Demos-*

*thenes quoque laboravit,* λ *succedit: quarum vis est apud nos quoque. Et quam* c *ac similiter* t *non valuerunt in* g *et* d *emolliunt* (hic fere legitur et *cum* c *ac similiter* g *non valuerunt, in* t *ac* d *molliuntur,* sed mendose mea sententia), ubi Quintilianus videtur innuere non esse permittendam pueris licentiam permutandi sonos literarum: sed haec in medium relinquo, liberumque cuique relinquo iudicium. BRISS.

211. *priorum*] Id est, praecedentium literarum quae vacant. BRISS.

212. *Nulli dubium*] Capella [s. 261.] *h*, inquit, *contractis faucibus ventus exhalat.* BRISS. Hoc loco dicit author, *h* non esse literam, quia non adiungit aliquam novam sonoritatem, sed quadam spiritus crassitudine dicit praelatam vocalibus. Exempla ibi dantur *hastas.* Insuper dicit his duntaxat quatuor consonantibus videlicet *c p r t* postponi in nominibus scilicet Graecis ad formam Latinam ductis. Exempla tibi sunt ibi *choros, Phyllida, Rhamnes, thyma.* PETR.

ib. *emicet*] Id est, *emergat, exiliat.* BRISS.

213. *Littera sive est nota*] Suetonius in Vespasiano [c. 6.], *plurimum coeptis contulerunt iactatum exemplar epistolae verae sive falsae defuncti. verae sive falsae* dixit, pro, *sive verae sive falsae,* ut adnotat Erasmus [ ] quod et Priscianus lib. XVII. [ ] fieri posse ex usu authorum abunde declarat. Gellius *h literam,* inquit, lib. II. [c. 3.] *sive illam spiritum magis quam literam dici oportet, &c.*, id est, *h* sive literam sive illam spiritum, &c. Ita Terentianus dixit h *litera sive est nota,* id est, *h* sive est litera sive est nota. Quod ideo dixit Terentianus: nam variant authores sitne litera necne: Nam Diomedes [p. 417.] lib. II. *h*, inquit, *interdum consonans, interdum aspirationis creditur nota.* Probus [p. 1390.] h *scire debemus, consonantis loco poni non posse, quia nota est aspirationis non solida litera, quam Graeci non figura aliqua literae, quam titulo pronuntiationis ostendunt.* Inter quos Terentianus veluti mediam sequens viam, litera ne sit *h* an nota aspirationis tantum in medium relinquit. De quo lege Aldum lib. IV. in 7 modo communium syllabarum, et Priscianum libro I. [p. 543.] qui contendit non esse *literam.* BRISS.

ib. *spiret*] *efflet, proferat.* BRISS.

ib. *anhelum*] Id est, *spiritum.* BRISS.

214. *Quin hanc etiam*] Tmesis, id est, *quinetiam*. BRISS.

215. *adicit*] Pro *adiicit* protulit Terentianus. De qua re lege Aldum lib. IV. ubi agit de primis syllabis praepositione cognoscendis. BRISS.

216. *nitela*] *Nitelam* interpretare *nitorem*, et elegantiam qua Graeci professores uti consueverunt. Sed si significanter et proprie loqueris, *nitelam* accipies pro re laevigante sordem et expoliente. Hac voce utitur Apuleius [Apol. T. II. p. 392. Oudend.] pro dentrifricio os ipsum et dentes honestante comenteque, ut ait Baptista Pius in Annotat. Poster. [I. c. 104.] Voces autem a Graecis et iucundius et dulcius quam a Latinis aedi testis est Quintil. lib. XII. [10, 33.] Nec profecto iniuria dicit Terentianus *h* nitelam esse vocis Graecorum, quae si nihil nisi spirat et promit spiritum, ut sonus vocis virilior et vegetior sit, iure *nitelam vocis* appellavit: nam Quintil. lib. VIII. cap. 3. [16.] testis est *quo plus quaeque spiritus habet, auditu pulchrius est:* quamquam statim fusius istud excutietur. Quantum autem legendo observavi, prima syllaba nominis *nitella* producitur, et secunda duplici *ll* scribitur. Martialis lib. V. [38.] de Herotione puella, *Rhenique nodos aureamque nitellam.* Hic tamen media correpta legi debet, si velimus incorruptam legem metri tueri, atque ob id simplici *l* scribitur: quamvis etiam ex praescripto eorum qui de quantitatibus tradiderunt media producta sit. Sed quid tantopere praeceptis alligamur? quid non magis exemplo commovemur? BRISS. *nitela*, i. e. *venustas*, vel *decor*. PETR.

217. *anteposta*] Unum vocabulum est, sicut ubi agit de *i* et *u* natura, *anteposta* composito verbo pro *anteposita* utitur. Et in septima tome versus hendecasyllabi *posta* pro *posita* dixit. BRISS. *anteposta*] *praeposita*. Hoc argumento nonnulli *h* literam consonantem esse affirmant, dicentes aspirationem in hoc adverbio *hic* esse consonam in hoc Virgiliano carmine, *Posthabita coluisse Samo, hic illius arma.* quia vocalis *o* in *Samo* in scansione non eliditur. Sed hoc falsum esse sic probatur. Quicquid non est vocalis neque consonans non est litera; *h* vocalis non est nec consonans; ergo, non est litera. Quod vocalis non sit, haec est ratio, quia per se non edit vocem. Consonans non est, quia omnes consonantes vel sunt mutae vel sunt semivocales. Muta non est, quia muta

nunquam in una et eadem syllaba geminata ponitur: quod fit per aspirationem, ut in nomine *Phthius*, quod est bisyllabum. Nam nulla syllaba potest habere plures mutas duabus, nec plures consonantes, quod si habeat, earum una necessario erit semivocalis, ut *scribo*. Semivocalis non est, quia nunquam invenitur in fine alicuius dictionis: omnis enim semivocalis in alicuius dictionis postrema parte reperitur. Illud vero *ah*, et si quae sunt alia, per apocopen sunt: dicebatur enim *ahe*, sicut et *ohe*. Si quis autem cupiat plura videre de *h*, legat Pontani libellum de aspiratione, ac Pierium super eo Virgilii loco in Bucol. [II. 53.] *Addam cerea pruna, &c.* PETR.

221. *Rhamnes -etis*, et *Rhamnis* apud Priscianum VI. [p. 705.] legitur pro proprio nomine. Pro centuria in actionibus apud Paedianum. Apud Horatium A. P. [342.] pro tribu vel equitibus, ibi, *Celsi praetereunt austera poëmata Rhamnes*, si Acroni credendum est. Apud Livium I. [c. 13.] *Rhamnenses* appellantur. BRISS.

222. *Septem reliquas*] Quia semivocales omnes non possent apte versu describi, cum etiam vix oratione soluta recte nominarentur, dicit author se velle notare eas hic infra milto, i. e. pulvere rubro, quo fiant literae rubrae, ut ipsae semivocales sic notatae sint titulus sequentis tractatus. PETR.

225. *fulgidula notabo milto*] Plinius lib. XXXIII. cap. 7. [38.] *Milton*, inquit, *Graeci minium, quidam cinnabarim vocant. Unde natus error Indico cinnabaris nomine: sic enim appellant illi saniem draconis elisi elephantorum morientium pondere, permixto utriusque animalis sanguine, neque alius est color qui in picturis proprie sanguinem reddat.* De *milto* item videre est apud Plinium libro 35. cap. 6. Notatae autem literae milto non versus partem constituunt, propterea longiuscule a capite versuum dissidunt. BRISS.

ib. *miltum* Latine dici scias *minium*, quo rubricae librorum insigniebantur, Ovidio teste, *Nec titulus minio, nec cedro charta notatur.* Adhibebatur et miltum, cum locum carminis notandum et animadvertendum signare vellent. Unde Marco Tullio *miniatula cera*, &c. I. B. PIUS Annot. Post. c. 105.

227. *Imum superis*] Exprimendo *f* adiungimus inferius labrum superioribus dentibus, et tanquam horridum sonum vitantes leniter spiramus. PETR.

228. *Spiramine leni*] Erasmus in recta pronuntiatione [p. 955 A.] Hic, inquit, "duplici nota discrevit Terentianus φ ab *f*: primum quod in *f* labium inferius adprimitur superioribus dentibus, deinde quod spiritu leniore profertur, veluti studio vitandi Graecam adspirationem, quae est in φ, in cuius sono labiis utrisque diductis spiritus vehementior erumpit." Capella, *f* inquit (s. 261.) *dentes labrum inferius deprimentes*, id est, quum dentes depresserint, labrum inferius (de quo genere loquendi Priscianus libro undecimo capite ultimo) *lingua palatoque dulcescit*. BRISS.

228. *hirta*] *Hirsutus, hirtus, pilosus*, idem. Aliquando pro aspero usitantur, unde *hirsutae castaneae*, et *hirti apri*, hoc loco *hirta graia*, aspera intelligas. Sed Quintilianus libro XII. [10, 29.] inquit, *Nam et illa quae sexta est nostrarum, pene non humana voce vel omnino non voce potius inter discrimina dentium efflanda est &c.* Vnde subit mirari, quid futurum sit ista diversitate authorum. "Lene spiramen" tribuit Terentianus *f*, "dulcescere" ait Capella "lingua palatoque." Quintilianus quasi "non humana voce, imo non voce" illam proferri putat. Nam libro XII. ubi agit de vocalitate et euphonia linguae Graecae, cuius imitandae Latina, ait, locum non habet, asperitatem velut barbaram in *f* notat. Alii coire in diversum videntur. Quid igitur statuas? adde quod Quintil. XII. [10, 27.] iucundissimam appellat φ, "qua nulla," ait, "spirat dulcius," nonne igitur absurde dicit Terentianus, *velut hirta graia vites*, id est, φ? Nam id etiam repugnat sententiae quam protulit Quintilianus, libro VIII. [3,16.] ubi ait, *quo plus quaeque syllaba spiritus habet, auditu pulchrius est.* Inter tam cordatos authores arduum est interponere iudicium: interponam tamen, sed ita, ut electuris quae volent facturus sim copiam. Principio igitur dixit Terentianus *hirta graia*, volens significare solum φ, libertate illa numerorum, quam tantopere laudat Quintilianus lib. VIII. [6, 20.] in tropis. Deinde *hirtum graium*, id est, asperum dixit. In quo videtur discedere a Quintiliano qui ait, illa nihil dulcius spirare: sed apud Graecos, nihil spirat quidem dulcius, apud Latinos dulcius *f* sonat, et lenius. Inter dentes efflatur *f* voce non humana &c. ait Quintil. [XII. 10, 29.] Id non negaverim, sed apud Graecos si pronuntietur, qui tantillum spiramen non probant. Est enim sua

cuiusque linguae vocalitas et sonus, et ut ait Cicero in 3. de Oratore [c. 12.] *Certa quaedam vox est Romani generis urbisque propria, in qua nihil sonare, nihil olere possit peregrinum, hanc sequamur, neque solum asperitatem rusticam sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus.* Vnde quod vocale et sonorum peregrinis est, non continuo nobis itidem fuerit: neque vero repugnat Quintiliano Terentianus, ut qui *h* nitelam vocis Graeculam dixerit, nec ipse sibi obstat, qui *hirta Graia* dicit. Est enim φ pulcherrimum auditu Graecis, adeo ventosa gens est, adeo levitatis est amatrix: non autem ita Latinis, id quod Terentianus spectat. Annon suum cuique pulchrum videtur? Peregrinorum quorundam nobis aspera pronuntiatio est, quae eadem ipsis dulcis. Contra etiam fit, ut quod nobis lene assidua consuetudine videtur, propter insolentiam peregrinis durum appareat. Tandem Latinis φ hirtum est, quod asperiori et vehementiori spiramine moliatur, Graecis molle quod magno et largo spiritu ducatur. Qui fit? caelum aliud alium fere ducit habitum, trahitque sua quenque voluptas. *An cuiuslibet auris est exigere literarum sonos*, inquit Quintilianus (I. 4, 7.) etiam in lingua sua? At quanto minus in aliena? Exigamus igitur nostrarum sonos quam poterimus maxime, permittamusque Graecorum auribus ventosum sonum captare, dum ad nostras de nostris referamus. Quid? Catullus non Arium in epigrammatis (84.) risit, quod barbare aspiraret Latina? quod vocales consonantes magno aspirationis afflatu cum intolerabili audientium fastidio proferret? *Chommoda dicebat, si quando commoda vellet: dicere et hinsidias Arius insidias, et tum mirifice sperabat se esse locutum, quum quantum poterat dixerat hinsidias, &c.* Non Arius tam molestus fuisset auribus Latinorum, si spiritum tam vehementem et frequentem repressisset. Nam *hoc misso, in Syriam*, inquit Catullus, *requierant omnibus aures, audibant eadem haec leniter et leviter.* Ex Catullo asperitatem aspirationis notari vides. At restat scrupus qui mentem praestringat. Cicero in perfecto Oratore [c. 48.] *Quin ego ipse,* ait, *quum scirem ita maiores loquutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur: loquebar sic ut pulcros, Cetegos, triumpos dicerem, aliquando, idque sero, convitio aurium, quum mihi extorta esset veritas, usum loquendi populo concessi, scientiam*

*mihi reservavi.* Ciceroni videtur placuisse aspirationis usus, et aspirationem voluptati aurium morigeratum esse. Quintiliano idem placuisse videtur lib. VIII. [3, 16.] ubi citra mentionem linguae Graecae spiritum in syllabis commendavit, idque hoc magis quo maior esset. Anceps et lubricus hic locus est: sed ita sentio, Ciceronem secutum fuisse delicias aurium, non proprietatem aut regulam pronuntiationis. Nam quid aliud in perfecto Oratore, ibi, unde locum tractavimus, Cicero quaerit praeter aurium voluptatem, qua veritas supplantari solet? Neque vero omnium aurium. Nam postquam erupit nimius usus aspirationis (ut tradit Quint. lib. I.) cur non duravit, si aures omnium aspirationis usu delectabantur? Dices fortasse, absurdum esse quod attulimus, ut litem solveremus et Ciceronis et Terentiani? Nam Ciceronem diximus secutum delicias aurium non regulam seu veritatem pronuntiationis. Cicero tamen dixit, *convitio aurium quum mihi extorta veritas esset, &c.* Sed Cicero veritatem non illam severam, sed deflexam per aurium iudicium mihi videtur intellexisse: quae praeter veterum iudicium Cic. temporibus aures (velut recta) tenebat. Siquidem veteres ait Quintil. I. [5, 20.] *parcissime usi sunt aspiratione, etiam in vocalibus, quom oedos ircosque dicebant. Diu deinde observatum ne consonantibus aspiraretur, ut in Graccis triumpis: erupit brevi tempore nimius usus, &c.* Unde non infirmari videtur nostra ratio. Quintil. tandem lib. XII. [10, 27.] susceperat Graecorum patrocinium, quos ut tueretur et demereretur, non dubitavit absurditatem literis Latinis deferre, quae praesertim a Graecis discedere viderentur: sed alienis favens, adversus suos, prae studio testis ambitiosus fuisse videri potest, ut adversus suos pronuntians, iniuste ne fecisse videretur, id quod dixit ipse de iudicibus lib. IV. Non enim video in *f* eam immanitatem vocis, quam comminisci videtur, imo potius in φ video, quod eo spiritu proferatur, qui fere in sibilum exeat, qui non vocem humanam, sed serpentem minitantem referat. Et quamvis lib. VIII. Quintil. [l. c.] videatur commendasse spiritum, eoque magis, quo vehementior est, citra respectum linguae Graecae, quid si non sine respectu processus et seriei scribendorum? Ne scilicet sibi dispar et dissimilis deprehenderetur. Capella, Terentianus, Catullus cum veteribus senserunt, regu-

lam veritatemque spectantes, qui spiritus excellentiam reformidantes propter asperitatem parcius spiritu utebantur. Alii interponant iudicium diversum forte: sed quot sunt capita, tot sententiae. BRISS.

228. *hirta Graia*] i. e. horridum sonum quo Graeci proferunt *phi*. PETR.

230. *Adversa*] Id est, *priora*, primores palati partes. BRISS. Cum volumus exprimere hanc literam *l*, palatum aliquantulum premitur a lingua quae obstat sono quoad ipsa litera sit prolata. PETR.

231. *Obstansque sono*, *&c.*] Id est, lingua obicem quendam sono quem parat obiiciens. BRISS.

ib. *nitens*] *moliens*, *fingens*, *feriens* ictum. BRISS.

232. *inire*] Id est, *moliri* et *feriri* intus. BRISS.

233. *L. Quo &c.*] De triplici sono *L*, lege Priscian. lib. I. [p. 555.] BRISS.

234. *Ex ordine fulgens*] Priscianus lib. XIII. [p. 961.] citat hunc versum, ubi non legitur *pulvis cui dat locum sinopis*, ut in aliis exemplaribus ubique legebatur, sed sic, *fulgens cui dat locum sinopis*. Quod rectius legi putaverim. BRISS.

ib. *sinopis*] Ut significat Plin. lib. XXXV. cap. 6. *Color est nativus, inventa primo in Sinope, urbe Ponti, unde nomen ibi traxit, qua usi sunt veteres ad splendorem. Eius species sunt tres, rubra, et minus rubens, et inter has media, &c.* Hic pro milto seu minio, quamvis non idem sint, usurpatur. BRISS. *Sinopis* pulvis ille est qui et *miltos* dicitur. PETR.

235. *M. At tertia*] Capella, [s. 261.] *M*, inquit, *labris imprimitur*. Erasmus in recta pronuntiatione [p. 959 B.] *M*, inquit, "compressis inter se labiis mugitum quendam intra oris specum attractis naribus edit, sonantissima in medio duplicata ut *mamma*, in fine prorsus obmutescens. unde *μύζειν* dicuntur Graecis, et Latine *mussare*, qui tacite loquuntur, nec audent vocem claram edere. Hinc et *mutum* dixerunt Latini." Priscianus libro I. [p. 555.] *M*, inquit, *obscurum in extremitate dictionum sonat, ut templum, apertum in principio, ut magnus, mediocre in mediis, ut umbra.* Fabius lib. XII. [10, 31.] tribuit felicitati linguae Graecae, quod nullam habeat vocem desinentem in mutam, nec in *m*, quae et ipsa obruit vocem

ore compresso. BRISS. In prolatione hujus literae videmur quodammodo ore clauso mugire. PETR.

236. *N. Quartae sonitus, &c.*] *N*, inquit Capella, [s. 261.] *lingua dentibus appulsa collidit.* Erasmus in recta pronuntiatione, [p. 959 B.] *N*, inquit, "ad palati convexum inhaerente lingua, gemino naris et oris spiritu vocem explicat." Priscianus lib. I. [p. 556.] *N*, inquit, *plenior in primis sonat et in ultimis partibus syllabarum, ut nomen, stamen, exilior in mediis, ut amnis, damnum.* Donatus in Phormione, [II. 2, 16.] *Habet*, inquit, n *cum* d *communionem*, unde *tennitur* pro *tenditur*, quod legitur ibi, *quia non rete accipitri tenditur.* BRISS.

237. *Quo spiritus coeat naris et oris*] Lactantius in Opusculo de Opificio Dei [c. 10.] naso *tria officia constituit. Unum ducendi spiritus, alterum capiendi odoris, tertium ut per eius cavernas purgamenta cerebri defluant.* Unde mirum non sit, quod ait Terentianus, in pronuntiatione *n* coire spiritum naris et oris. BRISS. Totus literae *n* sonus ita sub palato resonat, ut emissus plane non pateat utrum sit oris aut narium sonus, cum tamen videatur ex utraque parte conflatus. PETR.

238. *R. Vibrat*] Id est, *vi agitat* et *extundit.* BRISS. Aridus sonus huius literae *r*, quia lingua fit tremula cum exprimitur. A nonnullis dicitur litera canina. Persius [I. 109.] *Sonat hic de nare canina Litera.* PETR.

ib. *Vibrat*] i. e. quodam tremulo motu reddit. PETR.

ib. *aridum sonorem*] *Aridum*, id est, *confragosum, irritatum,* ringendo more canum expressum. Priscianus libro VI. [ ] *R* et *S* literas, inquit, Graeci vim pene literarum vocalium habere affirmant, quod et libro I. [p. 548.] tradit. Dionysius Rhetor [T. V. p. 80.] hanc appellat γενναιοτάτην, id est, virilissimam et maximam. Capella [s. 261.] *r*, inquit, *spiritum lingua crispante corraditur.* BRISS. *Sonorem*] suspicari possis *fragorem* scribendum a Victorino servatum p. 2455. *Sequetur* R, *quae vibratione vocis in palato, linguae fastigio* fragorem *tremulis ictibus reddit.* SANT.

239. *Has quae sequitur*] id est, *s.* BRISS.

ib. *mox duae supremae*] Id est *x*, quae duarum vice ponitur, quam Quintilianus lib, I. [4, 9.] appellat *nostrarum ultimam, et eam, qua carere potuissemus, si non quaesivissemus,* nam *c* et *s*, vel *g* et *s* illius vicem complent: licet Terentianus *c* et *s*

solum nominet, qui prudens alteram omisit, nam ante tradidit altera nos posse carere. BRISS. Hae duae literae, *s* et *x*, videntur habere sonum fere similem, sed hac differentia. Nam cum exprimimus *s*, noscimus ipsam habere unicum sonum et levem: cum vero *x* profertur, geminus fit sonus, quia *c* et *s* ipsi literae sonum parant, nam pro eis ponitur: similiter pro *g* et *s*: et ideo vocatur dupla. Quod autem pro *c* et *s* ponatur, ostenditur in nominibus in *x* terminatis, quae in casu patrio retinent *c* et *s*, ut *pax pacis*. Itidem in his, quae in *x* desinentes in eodem obliquo *g* et *s* servant, cognoscitur, ut, *lex legis*, *rex regis*. Notandum quoque author ait in prolatu ipsius literae *x* linguam retrorsum aliquantulum flecti, et vocem premi. PETR.

242. S *promptus in ore*] Capella, *s*, inquit, *sibilum facit dentibus verberatis*. Dionysio Rhetori [T. V. p. 80.] tantopere displicuit haec litera, ut tradat eius sonum ferarum esse et vix homine dignum. BRISS.

ib. *pone*] Id est, *retro*. BRISS.

243. *Sic levis*] Id est, supple *s*, id est, dulcis et aequabilis, sed respectu et comparatione ad literam *x*. BRISS.

244. X. *Mixtura* &c.] Capella [s. 261] *x*, inquit, *quidquid* c *et* s *formavit*, *exibilat*. BRISS.

245. *iugando*] coniungendo. BRISS.

ib. *nisum*] ictum. BRISS.

246. *solidant*] Id est, *corroborant*. BRISS. *firmant*. PETR.

ib. *premunt*] Id est, vehementer imprimunt, et moliuntur. BRISS.

247. *Nihil Ausoniis*] Latini, inquit, *y*, ypsilon in suis dictionibus non utuntur, sed tantum in Graecis ad Romanam formam traductis. *Z*, i. e. zeta, nec Latinis est usui in suo idiomate, nisi cum Graeca Latine proferuntur, ubi ipsa iusit (sic). Ponitur autem pro duplici *ss*, et *ds*, verum quando pro *ds*, reperitur tantum apud Graecos. Hanc, ut Martianus Capella refert, Appius Claudius detestatur, quod dentes mortui, dum exprimitur, imitatur. PETR.

ib. *Ausoniis*, i. e. Latinis. PETR.

248. *Et* ζῆτα] *Zeta*, inquit Capella [s. 261], *idcirco Appius Claudius detestatur, quod dentes mortui, dum exprimitur, imitatur*. BRISS.

249. *Sed quorsum, ais, hoc*] Posteaquam author determinavit quomodo quaeque litera proferatur, et de natura ipsarum, dicit, quod refert et discere et docere quae in praescriptis versibus continentur. Nam ostendit Pythagoricos aliter sensisse de literis quam magistri literarii Graeci, qui pueros suos docebant *summas numeri*, i. e. quod vulgo dicimus *lo abacho*, per elementa literarum usque ad centum super sinistra manu. Itaque alpha significat *unum*, beta *duo*, et ita deinceps. Quia ipsi Pythagorici dicunt, diversa valent alia, i. e. quod secus debent intelligi. Notandum enim, affirmant, qua sede oris proficiscantur literae, et etiam scrutari debere numerum literarum, et videre quem numerum singulae literae importent. Nam ut singulae literae diversam numerorum summam habent, ita et nomina ex iisdem literis composita, super qua re posuerunt tale exemplum ut in versibus vides de Hectore et Patroclo. Scilicet quod si duo vellent pugnare inter se, satius fuerit scrutari nomen inimici quibus literis constet, rimarique numerum. Quod si maior fuerit numerus nominis inimici, tunc denotat vitae periculum imminere. Ita et in coniugatis. Nam si nomen mulieris habebit majorem numerum literarum longiorem vitam viro, et e converso, vivet. PETR.

253. *insonans*] Id est, *absonus*, *absurdus*, *ineptus*, Pythagoricis supple. BRISS. *insonans*] *exclamans*. PETR.

254. *Cum tollere cunctos*] Notis numerorum (ut plerique omnes tradunt) utuntur Graeci literis alphabeticis, idque fere tribus modis. Primo singulis elementis secundum alphabeti seriem, atque ex serie numerum significantibus. Nam quotum in ordine alphabeti locum quaeque litera sortita est, ex eodem numerum notat, ut *α* primum, *β* secundum, et ita deinceps usque *ω*, quod 24 symbolum claudit. Secundo, toto alphabeto in tres classes diviso, quarum prima est unitatum, ab *α* prima unitate usque *ι* decimam unitatem porrecta, hac tamen nota ϛ pro senario usurpata. Secunda est denariorum a litera *ι* usque *ρ* procedens, interiecto itidem hoc signo ϟ pro nonagenario. Tertia est centenariorum, a litera *ρ* usque ad finem sua serie protensa, sed pari modo, hac nota ϡ pro nongentesimo addita. Singulis his literis pariter et notis si virgula toni acuti nota subscribatur hoc modo ͵*α*, prima quidem classis millenariorum monadas: secunda millenariorum decadas: tertia millenario-

rum centurias significabit. Secundi autem modi sit huiusmodi formula.

*Primus octonarius.*

α. β. γ. δ. ε. ϛ. ζ. η. θ.
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

*Secundus octonarius.*

ι. κ. λ. μ. ν. ξ. ο. π. ϟ.
10. 20. 30. 40. 50. 60. 70. 80. 90.

*Tertius octonarius.*

ρ. σ. τ. υ. φ. χ. ψ. ω. ϡ.
100. 200. 300. 400. 500. 600. 700. 800. 900.

Mille autem per α′, cum virgula superposita sive supposita designatur, et sic deinceps per alios numeros ex ordine millium numerum reddimus. Est ergo nunc annus ab incarnatione salvatoris α′φλα. In superiore modo, quo magis proceditur, hoc literae numerum grandiorem significant, sed quae altius tolluntur, sinistre non videntur, sive in partem sinistram tendere. In posteriore autem modo (qui tertius est usus literarum in numeris) quom plures iunguntur, sinistra numerosior fere est, sic:

12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 31. 41.
ιβ. ιγ. ιδ. ιε. ιϛ. ιζ. ιη. &c. λα. μα. &c.

Id quod quum a Graecis magistris tradatur, Pythagorici Graecos reprehendunt, quod in huiusmodi numeris momentum literarum omnino putaverint esse positum. Quid autem Pythagorici in numeris literarum momenti latere voluerint statim explicabitur. BRISS.

254. *tollere*] augere, extollere. BRISS.

ib. *altius*] Id est, *numerosius*. BRISS.

256. *valent*] Supple literae. BRISS.

ib. *docent*] Supple Pythagorei. BRISS.

257. *Referre*] interesse. BRISS.

ib. *Referre putant*] i. e. *differre*. Arbitror ego esse nostra aetate neminem qui hos numeros sciat, quam rem quoque vanam esse recitat Codrus, cuius verba haec sunt in sexto eius sermone. "Pythagorici quoque asserebant certam nomina propria habere numerorum summam ex literis ex quibus constabant. Et si duo in pugna collata essent, palmam illi favere,

quod maiorem habuisset summam. Exempli gratia dicebant Patroclum novem confici literis, quarum summa octingentos sexaginta unum colligebat; ideo fuisse ab Hectore interfectum, quod Hector quinque literis quibus constabat MCCXXV comprehendebat maiore Patrocli summa: eadem ratione Hectorem ab Achille superatum quoniam Achillei numeri summa maior Hectoris fuisset CCLXXVI colligere deprenditur. O mendacium latissimum. Nam si ita fuisset, Achilles Parim quoque interfecisset, non autem ab illo interfectus fuisset, cum summa Paridis minor sit Achillea. Sed utinam sic esset. Nam ego cui Antonio nomen est multos Hectoras et multos Achilles superarem: meus enim numerus MCCCCLXXXI comprehendit: qui vocantur Antonii tantisper hac victoria gaudeant, si modo verum gaudium ex mendacio potest exoriri. Hanc insaniam tetigit Terentianus his versibus." PETR.

257. *sedes*] Id est, locus ubi unaquaeque litera fingitur. BRISS.

260. *Gamma penitus*] Versus est de genere illorum quos Diomedes libro III. [c. 17.] vocat mutilos, seu truncos &c. Hic enim ectasis committitur, qua corripienda syllaba producitur, et γάμμα pro spondeo usurpatur, quum trocheus esse debeat: nam teste Gaza libro tertio [ ] in μα desinentia neutra brevi finiunt, et omnino quae ultimam habent ancipitem, corripiunt eandem ancipitem. Terentianus [v. 1369], ubi ait de pedibus, ectasi etiam usus est, sed praemunitionem licentiae adhibuit, ibi, *pariambus nanque dicunt* &c. hic autem licentiam non praemunivit, sive quod id exciderit, sive quod fere ab aliis fit, semper excusare non curaverit. Quantum enim authoritas nonnunquam et necessitas leges metri violet liciteque contemnat, lege Bedam [p. 2373] in libello de ratione metrica. Sed omittendum non est in aliis exemplaribus ταῦ legi, non γάμμα, sed nullo sensu idoneo. Similiter ubi βῆτα legitur, ἄλφα corrupte legebatur. Adde quod ubi πῖ legitur, φῖ alias, alias χῖ legi deprehendi, sed πῖ reponendum mihi visum est propter cognationem tenuis et aspiratae. Quibus immutandis vir undecunque doctus Mainus authoritatem suam interposuit. BRISS.

264. *fingere*] Aiunt inquam Pythagorei. BRISS.

265. *sequi*] Aiunt inquam. BRISS.

266. *habere*] Aiunt supple Pythagorei literas. BRISS.

267. *peracta*] Connexa. BRISS.

269. *Quandoque subibunt*] Hic genus quoddam theologiae, quod apud Aegyptios et Hebraeos valuit, significatur caballae nomine expressum. De quo paucis dicere vel nimium fuerit. Portio igitur maxima mirandarum rerum numerorum potestate constare a Magis creditur. Dicuntur enim quodammodo substantiis separatis et insiti et permisti, maximam, ut ipsi aiunt, cum ideis in mente divina commissionem habere, a quibus vis mira cooriatur. Asserunt enim Magi, omnia quae sunt atque fiunt certis numeris et esse et effici. Tempus, motus, item actio, et quaecunque actioni, tempori, motuique subiecta sunt, numero constant, ut astruunt philosophi Arabes. Quod animadvertens Pythagoras, qui cunctis fere barbaris Graecisque mysteriis initiatus fuit, ut ait Laërtius [VIII. 2.] numerum dixit esse quo cuncta constarent, distribuitque singulis singulas virtutes, de quibus disserere longum esset. De his autem apud Capellam [s. 743 sqq.] apud Caelium, apud commentarios Stephani Aquei super lib. XXX. Plinii disputatur, ita tamen ut vix huius contextus velut mysteria hinc videantur illustrari. Sed quum Pythagorici libri non extent, non erunt e Pythagora quae hic attinguntur petenda. A Codro tamen Urceo Pythagoricae sententiae velut quaedam vestigia deprehendes, quae ad hunc locum pertinere videbuntur, idque sermone sexto. "Pythagorici," inquit, "asserebant nomina propria certam habere numerorum summam ex literis ex quibus constabant. Et si duo in pugnam collata essent, palmam illi favere quod maiorem habuisset summam. Exempli causa, dicebant Patroclum novem confici literis, quarum summa (ut ait Codrus) octingentos sexaginta unum colligebat: ideo fuisse ab Hectore interfectum, quod Hector quinque literis, quibus constabat, 1225 comprehendebat majore Patrocli summa. Eadem ratione Hectorem ab Achille superatum, quoniam Achillei numeri summa maior Hectoris fuisset (1)276, colligere deprehenditur, ait Codrus, qua supputatione Ἀχιλλεύς comprehenderet 1501 (sic). Ista consentanea sunt his quae dicit Apuleius Florid. lib. II. [15.] *Fama celebrior obtinet sponte Pythagoram petiisse Aegyptias disciplinas: atque ibi a sacerdotibus cerimoniarum incredendas numerorum potentias didicisse.* Hos autem versus Codrus

citans legit, ita, *Sic et Patroclon Hectorea manu perisse.* Alibi autem constanter legitur, *Sic Patroclon Hectorea manu perisse.* Neutro sane modo recte. Propterea sic legendum nobis visum est, *Sic Patroclon olim Hectorea manu perisse.* BRISS.

ibid. Addunt Pythagorici, quod si duo in pugnam collati fuissent, palmam illi favere, qui maiorem possederit numerorum summam. Hinc Patroclem dicebant novem confici literis, quarum summa 871 colligeret. Ideo fuisse ab Hectore interfectum, quod hic quinque literis quibus constat apud Graecos 1225 comprehenderet maiorem utique Patrocle summam. Pari ratione Hectorem ab Achille devictum et superatum, quod Achillei numeri summa maior fuisset Hectorea, nempe 1276. Pet. BUNGUS de Myster. numeror. p. 528.

| | | |
|---|---|---|
| π = 80 | ε = 5 | α = 1 |
| α = 1 | κ = 20 | χ = 600 |
| τ = 300 | τ = 300 | ι = 10 |
| ρ = 100 | ω = 800 | λ = 30 |
| ο = 70 | ρ = 100 | λ = 30 |
| κ = 20 | —— | ε = 5 |
| λ = 30 | 1225 | υ = 400 |
| ο = 70 | —— | σ = 200 |
| σ = 200 | | —— |
| —— | | 1276 |
| 871 | | —— |
| —— | | |

274. *Haec sunt quoniam*] Haud mirum esse dicit si tantam rerum subtilitatem versu consequi aut satis digne explicare non possit: immo rem bene habere si haec recondita ac nimis obscura ita tractavit, ut non etiam illis caliginem ac tenebras addiderit, quas interdum soluta oratio solet offundere rebus nimium obscuris dum eas nititur illustrare. PETR.

275. *tenues*] Id est, *subtiles*, quas parvas res mox deinde *minutas* dicit. BRISS.

278. *occupasse*] Detinuisse. BRISS.

ib. *nugas*] *Nugae* proprie significant mundum muliebrem, hic pro traditione futili, quam de Pythagoreis decerpsit, ponitur. BRISS.

279. *Syllabas*] Quintil. [I. 1, 30.] *Syllabis*, inquit, *nullum*

*compendium est, perdiscendae omnes, nec, ut fit plerumque, difficillima quaeque earum differenda, ut in nominibus scribendis deprehendantur &c.* Capell. lib. III. [s. 764 sqq.] diligenter hunc locum executus est. Tortelius fusissime. Diomed. lib. II. [p. 422] non praetermonstravit. Priscian. lib. II. [init.] non tantum primam manum adhibuit. Ne sit igitur nobis pudori, sequendo tam claros duces animum ad syllabarum rationem adiungere. Plato in Sophista [p. 252 E.] *Ferme,* ait, *idem rebus aliis, quod et literis evenit. Nam quaedam ex literis invicem copulantur, quaedam minime. An intelligit unusquisque quae literae quibus congruant, vel arte opus est ut recte id fiat? arte: qua? grammatica* &c. BRISS. Carmen est trochaicum, quod ita feritur: *sylla* – ⏑ *bas quae* – – *rite* – ⏑ *metro* – – *congru* – ⏑ *unt he* – – *roi* – ⏑ *co* caesura. Constat enim in locis imparibus trochaeo, i. e. in primo, tertio et quinto aut in septimo; in paribus autem sc. secundo, quarto, et sexto, spondeo vel tribracho. Sed notandum est, quod semper in his carminibus quartus pes finit partem orationis, et est nomen vel verbum, ut inferius dicitur ibi [v. 309.] *Nominis verbive fine comma primum terminet.* Scribit autem hoc opus author ad Bassinum filium et Novatum generum, dicens se velle tantum tractare ea quae in arte videntur dubia, et ea versibus, quia levitas sonora modorum, i. e. elegantia carminum, levabit fastidium et taedium rei humilis quam docet. Admonet insuper ipsos Novatum et Bassinum ut opus ipsum corrigere debeant, scrutantes, an in eo quod erroris et mendae invenire possint: idque castigare non ut opus patris et soceri, cujus fortasse aliquam haberent rationem, sed ut hominis nullam cum eis necessitudinem habentis: quia sic non vincentur ab amore, qui saepe claudit oculos mentis. Notandum est etiam in hujuscemodi dactylum et anapaestum admitti resolutione, verum illud quod solis constat trochaeis dignius habetur. Attende quod in ordine literae illud, *intueri vos oportet,* requiritur usque ad carmen, *Quo supersidens.* Mandat demum, ut dispiciant an stilum ita inter nimis reconditum aut exquisitum dicendi modum ac vulgarem moderatus sit, ut illius carmen carminis nomine atque honore sit dignum, an potius simile sit cantilenae rusticorum rudi atque incultae, qua torcularis gyros canendo recensent. PETR.

280. *disputatas*] Elucidatas, tractatas. BRISS.

281. *modorum*] Versuum. BRISS.

ib. *quo sonora levitas*] Quintil. lib. III. [1, 4.] tradit Lucretium praecepta philosophiae carmine esse complexum ut hco ipso quod iucunditate ducti iuvenes allicerentur ad cognitionem eorum quae necessaria studiis arbitrabatur, ne ieiuna atque arida traditio averteret animos, et aures raderet. Lucretii verba sunt haec ex libro I. [934.] *Ac veluti pueris absynthia tetra medentes Quum dare conantur, prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore, Ut puerorum aetas improvida ludificetur Labrorum tenus, interea perpotet amarum Absynthi laticem deceptaque non capiatur*, &c. Quo exemplo ductus Terentianus siccitatem et ieiunitatem rerum iucunditate carminum constituit edulcare. Nec vero ea solum ex versibus, quam dixi, proficiscitur utilitas, sed, ut ait Quintilianus, libro XI. 2. [39.] facilius *versus ediscimus, quam prosam orationem, sicut prosam vinctam, quam dissolutam.* BRISS.

ib. *levitas*] Id est, suavitas, translatione facta a sensu tactus ad auditus sensum. BRISS.

282. *styli*] Per metalepsin. Stylus hoc loco pro scribendis rebus seu materia usurpatur, cum fere alibi aliud notet. BRISS.

ib. *sublevaret*] Alias *levaret* legebatur, sed corrupto metro versus, licet salva sententia. BRISS.

283. *Bassine*] Crinitus libro V. de Latinis poëtis filium Terentiani (si non exemplaria emendata sunt) Bassum nomine fuisse dictum ut, inquit, ex eius carminibus colligitur, sed Bassinum potius lego, maxime metri lege persuasus. Novatemum autem fuisse Terentiani generum, Crinito facile assentiar, unde in contextu *Novateme* lego, non ut in aliis exemplaribus *Novatemi:* quanquam dubitari posset *Novate mi* ne legendum esset duabus vocibus: nam Seneca tres libros de Ira Novati nomine inscripsit. At illum [*alium* voluisse Brissaeum putat Lennep.] saltem fuisse, cuius hic meminit Terentianus, arguit forte ratio temporum: tener enim Nero traditus est in disciplinam (ut ait Suetonius) [c. 7.] Senecae. A Nerone Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus pater, Vespasianus filius imperaverunt ante Domitianum: cuius temporibus viguit

Martialis, et eisdem Terentianus, ut indicat Martialis libro primo Epigrammaton. BRISS.

284. *Perpolite*] Putate, excolite. *Limula*] lima deteri superflua, aut inutilia, aut invenusta et indecora manifestum est. Vnde metaphorice limulam pro diligentia et ingenii acumine posuit, quibus mendae et labes librorum tergentur. BRISS.

285. *Non pater tanquam*] Plato in Legibus lib. V. [p. 731 E.] *Occaecatur*, inquit, *quippe circa amatum, qui amat;* et Quintilianus lib. VI. cap. 3. [VI. 2, 6.] *Et sicut*, inquit, *amantes de forma iudicare non possunt quia sensum oculorum premit amor, ita omnem inquirendae veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus, aestu fertur, et velut rapido flumini obsequitur.* Vnde non obscurum esse debet cur Terentianus moneat et filium et generum ne affectu ullo necessitudinis, sed quasi lectores extrarii et alieni expendant, bene ne an secus sint omnia digesta. BRISS.

287. *nativitas*] Id est, origo et deductio, de quo in sequentibus. BRISS.

289. *scrupulose*] *Scrupulus,* inquit Donatus [Terent. And. V. 4, 37.] *a scrupo,* lapillus est, qui in calceo latens laedit. Hinc metaphorice dicitur in animo anxietas quaedam et religio, hic *scrupulose,* id est, *curiose.* BRISS.

ib. *vis*] Id est, momentum, effectus, natura. BRISS.

290. *quantum differat*] Quanta differentia et discrimen nascatur, si consonans quaedam huic vel illi literae praeponitur: de quo in processu sermonis. BRISS.

291. *Vna vocalis duabus praedita est si consonis*] Supple, quantum differat. BRISS.

292. *Ne parum*] i. e. parum ne. PETR.

ib. *expresserim*] Supple, intueri vos oportet. BRISS.

293. *Quanta quae sit comparatur pedibus hinc diversitas*] Supple, intueri vos oportet. BRISS.

294. *Sermo*] Id est, tractatus. BRISS.

ib. *planus*] Id est, aequalis aut apertus. BRISS.

ib. *pedestri se tenet modestia*] Id est, continetur modo et finibus modorum. BRISS.

295. *tenorem*] Id est, viam et rationem. BRISS.

296. *appetita*] Id est, accersita, affectata. BRISS.

ib. *nec remota plurimis*] Sc. hominibus. PETR.

296. *remota*] Id est, exoleta, vetustissima. BRISS.

297. *communis usus*] Id est, usitatae consuetudinis. Est autem *consuetudo*, inquit Quintil. I. [6, 3.] *certissima loquendi magistra: utendumque plane sermone, ut numo cui publica forma est.* BRISS.

ib. *non obvia*] Id est, quae non protrita sunt usu vulgi. BRISS.

ib. *obvia*] Trita. PETR.

298. *Carminis servant honorem*] Id est, dignitatem, decorem. BRISS.

ib. *iacentis cantici*] Id est, humilis et infimi canticorum seu cantilenarum generis, supple, intueri vos oportet. BRISS.

ib. *iacentis*] *Rustici*. PETR.

299. *Quo super*] Id est, *super quo*: legi posset etiam, *cui supersedens* &c. ut apud Suetonium in Nerone, [c. 11.] *Eques elephanto supersedens per catadromum decucurrit.* Servius sub finem II. Georgicorum [v. 519] tractat hunc versum, cuius verba sunt haec, *Trapetis, id est, molis olivaribus: et declinatur trapetum sicut templum, (trapetos tamen dixit Cato et trapetas Varro). Terentianus, Quo super insidens trapeto signa gyris temperat. Quod metrum aptum est olivam terentibus.* Hactenus Servius. Sed *sedens* legendum est, non *insidens*, propter metrum. Qui versus totus est allegoriae commistus; aliud enim verbis, aliud sensu ostendit. Cuius sensus est, *super quo trapeto sedens*, (supple *honos carminis*) *temperat* &c. id est, quo stylo scribendique modo praeditus temperat, et aptat verba rebus moliendis et conscribendis. BRISS.

300. *Sufficit vitare labes*] Imminuens et attenuans author arrogantiam suam in hac parte commemorat qualis debeat esse character sui carminis, dicens nihil referre etiam si careat illis figuris ac pigmentis poëticis, quibus legitimum poëma solet exornari, dummodo ab omni vitio remotus sit, suoque congruat argumento, atque ex ipsa potius inculta simplicitate quam ex nimio ornatu laudem sibi comparet, dum tamen commode explicet ea quae tractanda suscepit, quae adeo minuta sunt ut vix digne queant explicari sermone pedestri. Huius autem carminis lex est, ut quartus pes finiat partem orationis. Adhortatur praeterea Bassinum filium ac Novatum generum ut non segniter ac remisso sed acri iudicio ac perti-

naci cura opus ipsum examinent, quandoquidem non prius est illud in lucem editurus quam illi pronuntiaverint num sit futurum usui an omnino inutile, cum illorum censuram ac iudicium sit per omnia probaturus. PETR.

ib. *labes et—sordes*] Pro vitiis orationis dixit, vel pro humilioribus verbis, quae velut maculam in dignitate carminis inurerent. BRISS.

301. *Pro statu rerum*] Cicero in perfecto Oratore [c. 21]. *Quam enim indecorum*, inquit, *de stillicidiis, quum apud unum iudicem dicas, amplissimis verbis et locis uti communibus, de maiestate vero populi Romani summisse et subtiliter?* hoc est toto genere peccare. Quintil. libro VIII. [3, 18.] *Quod*, inquit, *alibi magnificum, tumidum alibi: et quae humilia circa res magnas, apta circa minores videntur: et sicut in oratione nitida notabile est humilius verbum; et velut macula, ita a sermone tenui sublime nitidumque discordat, fitque corruptum, quia in plano tumet.* Ad quorum sententiam alludit Terentianus, quum ait, *pro statu rerum*, id est, conditione et ratione. BRISS.

ib. *domare*] Supple, sufficit. BRISS.

ib. *domare lineam fandi parem*] Id est, versum et stylum fandi aequabilem et aptum. BRISS.

302. *Liberam scholae nitore*] *Nitore*, id est, floribus et splendore scholae, id est, sophistarum qui rhetoricen in scholis profitentes, et panegyricos ut fecit Isocrates multique alii facientes, flores omnes persequuntur, delectant, concinnas sententias exquirunt, verba apertius transferunt, eaque ita disponunt ut pictores varietatem colorum, paria paribus referunt, adversa contrariis, saepissimeque similiter extrema definiunt, quam formam orationis Cicero quasi nutricem eius oratoris, quem informare velit, affirmat. Haec ex perfecto Orat. Ciceronis [c. 11.] BRISS.

ib. *vatis*] Id est, poëtae: *A poëtis enim*, inquit Quint. lib. X. 1. [27], *et in rebus spiritus, et in verbis sublimitas, et in affectibus motus omnis, et in personis decor petitur:* scite igitur Terentianus, *stola vatis exutam lineam fandi dixit*, pro ornatu orationis sublimi. BRISS.

ib. *vatis exutam stola*] *Stolas* pro vestibus sacerdotalibus accipi declarat Beroaldus in XI. de Asino aureo [p. 138. ed. Oudend.]: Est etiam stola vestis matronalis, ut ibidem decla-

ratur, unde *stolatus pudor*, pro matronali: stola igitur quum vestis sit honesta minimeque illaudabilis, vestisque ad corpus se habeat ut ornatus orationis ad orationem, hic stola pro superbo et magnifico orationis ornatu dicitur. Id autem quod dixi verum esse manifestum fiet ex Bruto Ciceronis [c. 75], qui de Commentariis Caesaris referens, ait, *Commentarios scripsit valde quidem probandos, nudi sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste, detracto* &c. BRISS.

303. *Quae tropos omnes* &c.] Quis nescit tropis et schematibus attolli orationem et erigi? BRISS.

ib. *superba*] Id est, *ornata, elata, sublimia.* BRISS.

304. *Negligens ut semet*] Cicero in perfecto Oratore [c. 23.] *Est,* inquit, *quaedam negligentia diligens. Nam ut mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum deceat, sic haec subtilis oratio etiam incompta delectat.* Quintil. VIII. 3. [87.] *Sunt multi,* inquit, *et varii excolendae orationis modi: nam ipsa illa ἀφέλεια simplex et inaffectata habet quendam purum* (*qualis etiam in foeminis amatur*) *ornatum* &c. quo aspirat et tendit Terentianus, quum ait, *Negligens ut semet* &c. BRISS.

305. *rebus minutis*] Res parvas, tenues, *minuta acumina* intelligit. BRISS.

ib. *pedum liber*] Id est, solutus sermo, oratioque prosa. BRISS.

306. *offensa sine*] Id est, sine obscuritate, vitioque notabili. BRISS.

307. *Labili versu*] Id est, ancipiti lege metri, et lubrica. BRISS.

ib. *ministret in retusos exitus*] Id est, in tomen seu caesuram saepius repetitam. *Est autem tundere*, ait Donatus in Hecyra [I. 2, 48], *saepius idem repetere; translatio a fabrorum malleo,* unde *exitus retusi* dicuntur &c. Cuius sententiae etiam versus sequentes proxime nos admonent, qui interpretes sunt retusorum exituum. BRISS. *Retusos exitus* eleganter dixit καταληκτούς. LENNEP.

308. *servans*] Supple *sermo.* BRISS.

ib. *ut*] Id est, *ita quod.* BRISS.

309. *comma*] Caesura, incisio, sectio Latine dicitur, Graece autem κόμμα et τομὴ, estque decora terminatio in medio ver-

suum, sed alia aliis, de quo differenda est in suum locum disputatio. BRISS.

311. *modum*] Id est, *regulam*. BRISS.

ib. *competenti*] constanti, consentaneo. BRISS.

ib. *ductu*] processu. BRISS.

312. *proviso*] proposito. BRISS.

ib. *cessit*] successit. BRISS.

ib. *affectus labor*] Non inepte *affectus* legetur, licet ante *effectus* legeretur. Nam teste Gellio III. [16.] *affecta ea proprie dicebantur quae non ad finem ipsum, sed proxime finem progressa ductave erant.* Manus summa huic libro quum nondum esset adhibita, quum suos adhibuit emendando libro, *affectus labor* mihi magis quadrare videtur, quam *effectus.* Nam ut ait Donatus in Andria [III. 4, 16.] *facere* est in opere esse, sed *efficere* perfectionem denotat: quid autem perfectae rei desideratur? BRISS.

313. *Acrius vos pendite*] *Improbe facit* (ait Martialis in praefatione libri primi) *qui in alieno libro ingeniosus est.* Amor caecutit, livor perspicit, ut apud Plutarchum scriptum est. Malignus semper advigilans observat quae agas, et ansam captans calumniae lustrat ac circumspicit undique, ut quasi *mimum omnem*, ut ait Suetonius [Oth. c. 3], id est, dicta factaque omnia divulget in invidiam aut contemptum vocando. Terentianus tamen iniungit filio generoque ut exacuant magis animadversionem in corrigendis mendis perfodiendisque erratis, si quae sunt, quam vel improbis vel malignis sit in more. Sensus est igitur, quantumlibet maligni sint acres in emendando, vos eos censura superate. BRISS.

314. *Hoc*] Opus. BRISS.

ib. *nosci*] vulgari. BRISS.

316. *nobis*] Id est, *a nobis*. BRISS.

ib. *inanis*] cassa. BRISS.

ib. *aut*] Alias *an*, sed quod non constabat versus mensuris suis, supposui *aut*. Sensus est, opera, *ne* supple, nobis haec inanis? *aut* in usum *ne* sit impensa? Ita enim fere fit ut particulas quasdam necessitas versus non ferat, quae detractae afferunt aliquid obscuritatis, ob id in sensu reddendo suppleo quasdam particulas quae deesse sententiae videbantur. Cicero in II. de Nat. Deor. [c. 29.] *Vestra solum legitis, vestra amatis,*

*caeteros causa incognita condemnatis*, ubi quid Cicero reprehendat, apertum est. Idem in I. de Finibus [c. 8.] *Certe, inquam, pertinax non ero, tibique, si mihi probabis ea, quae dices, libenter assentiar*. BRISS.

316. *in usum*] Id est, *ad utilitatem*. BRISS.

317. *ferendus*] tolerandus, patiendus. BRISS.

318. *cursim*] Id est, *raptim, properanter*. BRISS.

ib. *remisse*] languide, oscitanter. BRISS.

319. *morosa intentio*] Id est, assidua, instans, et fixa permansio, seu animadversio. BRISS.

322. *e latebris scalpsimus*] Scalpere, excludere, extrahere: metaphora a caelatoribus sumpta, qui in caelando, quasi sulcos ducendo, excidunt et extrahunt materiam. BRISS.

ib. *scalpsimus*] i. e. *extraximus*. PETR.

323. *Ardui laudem expetentes*] Christophorus Longolius in quadam epistola Budaei et Erasmi expressit ingenium, sed Budaei, id est reconditissimae eruditionis viri, eiusque non simplicis, ingenium hoc versu referre mihi videtur Terentianus. Budaeus enim omnia utilitati, nihil fere delectationi tribuit, pugnat cura, gravitate, dignitate, non tam stipatus choro Gratiarum, quam Palladis afflatus numine. Non tam omnium rationem habet, quam paucorum theatro contentus est; denique doctis mirum in modum placet, non imperitis studet placere: ita Terentianus non ex obviis favorem et velut auram popularem ex salibus aut facetiis seu dictis expetit, sed ardui laudem, id est, reconditae cuiusdam institutionis. BRISS.

324. *hinc*] Id est, de meo labore. BRISS.

325. *Non ero stulte repugnans*] Terentianus longe dissitus est ab ingenio Suffaeni Catulliani [XXII. 14.] qui *inficeto fuit inficetior rure*, qui quum poëma scribebat, tam gaudebat in se, tamque se ipse mirabatur, ut idem nunquam aeque beatus esset, quam cum multa non quantivis pretii, sed quanvis pretii scripsisset. Apud eum tam philauton non patebat locus emendatori, sed vertere mavult Terentianus delictum quam defendere, seque suaque solus non amat sine rivali: quemadmodum Quintilio Vario placuit, ut testatur Horat. in Poëtica [v. 438.] *Refellere enim sine pertinacia, et refelli sine iracundia*, (ut Cicero in secundo Tusculanarum Quaest. [c. 2]:) paratus est. BRISS.

327. *Literis autem Latinis*] Quia in sequentibus origines literarum traditurus est Latinarum, et Latinae quaedam a Graecis non distant figura, quo distent alio docebit. BRISS. Literas esse nonnullas ait Graecas quae et figuram et sonum habent communem cum aliis Latinis, ut epsilon omicron cum *e* et *o*. Quanquam enim illae Graecae sint, tamen propter figurae et soni similitudinem Latinae possunt existimari, sic vicissim Latinae pro Graecis accipi. Sic *i* Latinum et *iota* Graecum. Rursum aliae figurae tantum habent similitudinem, soni nequaquam, ut *c* Latinum cum sigma Graeco nonnunquam convenit. Aliae interdum in altero, interdum in utroque conveniunt, ut *a* Latina vocalis cum minuscula est parum distat ab *α*, alpha Graeca, cum vero maiuscula proxime accedit ad Λ, h. e. labda Graecum. At si quando accidit has literas in carmine recenseri, non figurae tantum ut *α*, sed earum integra nomina plerunque ponuntur, ut *ἄλφα*, et ita omnis tunc tollitur ambiguitas. PETR.

ib. *formula*] Id est, *figura*. BRISS.

328. *statim*] Mox in sequentibus. BRISS.

329. *Indices—nominum primas notas.*] Appositio est, estque sensus, prima vestigia discriminis, vel primas differentias posui, scilicet indices nominum, id est, appellationes nominum. Nam *ἄλφα* Graece, *a* Latine, *ἰῶτα* *i*, &c. diximus. BRISS.

330. *Quando Graece γάμμα*] Id est, quia literae Graecae *γάμμα* superius reddita est litera sua, id est propria, Latinis, *g* scilicet, quae a *γ* nomine ipso distat, idque in aliis plerisque factum est. BRISS.

331. *K vel Q*] Alias legebatur *c* vel *o*, sed nullam potui coniecturam probae lectionis augurari, nam *c* vel *o* non legendum esse indicio est, quod statim *e* vel *o* subsequitur; *c* vel *q* non legendum argumento est, quod *c* non est litera Graeca, neque figurae Graecae, nisi pro *σ* ponatur, ut mox significabitur, sed istud ineptum est hoc loco. Quare *k* vel *q* legendum puto, idque dictante Fabio. Fabii verba sunt haec ex lib. I. [4, 9.] *Et* q, inquit, *quae et ipsa quorundam nominum nota est, et* k, *cuius similis effectus speciesque, nisi quod paulum a nostris obliquatur*, &c. Unde dubitationem dicit Terentianus inferri posse *k* vel *q* Graecum ne sit an Latinum; nec iniuria, quum effectus speciesque idem sit utriusque. *Effectus*, id est potestas, species,

id est figura, quae si non eadem prorsus, minimum tamen a figura *k*, *q* deflecti debet, teste Quintiliano, quamvis Priscianus lib. I. in varia figura et vario nomine omnino esse ponat *k*, *q*, *c*. BRISS.

333. *utrinque bina*] Id est, ex utraque lingua *k* et *q*, *e* et *o* quae possint parare et inducere haesitationem. BRISS.

337. *credi et C potest*] Passim apud authores occurrunt figurae *s* simillimae *c C*, aut saltem fuerunt veteribus. Quintil. lib. I. [7, 11.] significat apud veteres non similes quas hodie habemus literas fuisse; hic igitur pendet Terentiani sententia, qui veterem magis quam hodiernam literarum figuram videtur hic spectasse. Plin. [N. H.] lib. VII. cap. 58. *Veteres Graecae fuerunt eaedem pene quae nunc Latinae*. BRISS.

338. *Versibus sed quum loquamur*] Vocales per se prolatae apud Latinos nomen suum ostendunt, ut *a e*, semivocales ab *e* incipientes in se terminantur, praeter *x*, quae incipit ab *i*, ut *f* et *n*, mutae a se incipientes in *e* desinunt, ut *b*, *c*, *d*, &c. praeter *q*. Terentianus igitur eo spectat ut nemo culpet si aliquot literas Graecas syllabis scripserit, et Latinas solis figuris, nam lege metri coactus est. BRISS.

342. *Artium parens*] Possit aliquis, nec omnino iniuria, quaerere, cur Graecia dicatur parens et altrix literarum? Non enim antiquitas illud deferet Graeciae, si Eusebio credimus, qui in Praeparationis Evangelicae lib. X. [c. 5.] volens ostendere literas primum ab Hebraeis inventas esse, quarum inventum Phoenicibus gloriae tribuitur, *Primus*, inquit, *qui literas Graecis dedit*, *Cadmus*, *ex Phoenicia erat. Multi Syros literas primum comperisse asserunt*, *Syrii autem etiam Hebraei sunt. Nam Judaea in Syria semper a scriptoribus habita est*, *et Phoeniciam etiam apud priscos appellatam esse constat, quae nunc Palaestine Syriae dicitur*. Ex hoc Eusebii loco ait Budaeus in 4. de Asse, coniiciendum relinquitur, multa Hebraeorum gesta aliarum gentium nomine posteritati esse tradita. Iosephus lib. I. contra Appionem Grammaticum, [c. 2.] *Primitus*, ait, *satis admiror eos qui existimant oportere de rebus antiquis Graecis tantummodo fidem habere*, *et ab eis consulendam esse veritatis integritatem: nobis autem et aliis hominibus non esse credendum, sed ego omnia in his contigisse video. Quapropter decet non varias opiniones inspicere, sed ex ipsis rebus iustitiam*

*ponderare. Omnia siquidem Graecorum nova et verius (ut ita dicam) nuper facta cognovi. Apud Aegyptios autem atque Chaldaeos et Phoenicas res gestae antiquissimam et permanentem habent memoriae traditionem.* Plato in Timaeo [p. 21 extr.] *ad Aegyptum Solon profectum se honorifice acceptum fuisse referebat, et cum de vetustatis memoria ab illis sacerdotibus qui in hac re caeterorum peritissimi erant, quaesisset, expertum se esse dicebat, neque se ipsum neque alium Graecorum quenquam cognitionem antiquitatis ullam habere: quandoque vero coram sacerdotibus ut eos ad sua narranda provocaret, de antiquissimis illis Athenarum historiis verba fecisse, tunc ex sacerdotibus quendam grandem natu dixisse, O Solon, Solon, Graeci pueri semper estis, nec quisquam e Graecia senex. Cur istud diceret percunctante Solone, respondisse sacerdotem, quia iuvenis semper est vobis animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, nulla cana scientia.* Nec forte etiam diligentia hanc laudem Graecis conferet, nam, teste Fabio libro X. [1, 109.] *Marcus,* inquit, *Tullius quum se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis per mihi videtur: nec vero quod in quoque optimum fuit studio consequutus est tantum, sed plurimas vel potius omnes ex seipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. Non enim pluvias, ut ait Pindarus, aquas colligit, sed vivo gurgite exundat* &c. Ad haec Plutarchus [p. 863 A.] in Vita Ciceronis testis est, Apollonium Molonem postquam declamasset Cicero dixisse, Te nempe Cicero et laudo et admiror, sed Graecorum fortunae me miseret, quum videam eruditionem et eloquentiam, quae sola bonorum nobis relicta erant, per te Romam accessisse. Quid quod Cicero in libris de Oratore luculentos errores Graecorum in re rhetorica profert? Quid quod omnia plenius et amplius se traditurum profitetur in perfecto Oratore quam a Graecis unquam? *Ita ego sic existimo,* ait idem in Claris Oratoribus [c. 36.] *hos oratores,* (de Antonio et Crasso loquitur) *fuisse maximos, et in his primum cum Graecorum gloria Latine dicendi gloriam aequatam.* In primo item de Finibus Bonorum et Malorum [c. 3.] *Non modo non inopem sed locupletiorem esse Latinam quam Graecam linguam sentit.* Idem in praefatione de Natura Deorum [c. 4.] *Quo in genere tantum profecisse*

*videmur*, inquit, *ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur.* Sed excedam modum si omnia quae possum afferre contenderim. Sed habeo gratiam Ciceroni, qui quum re tum patrocinio potentiorem facere linguam Latinam studuit. Priscianus in praefatione lib. I. *Omnis*, inquit, *eloquentiae doctrinam, et omne studiorum genus, sapientiae luce praefulgens, a Graecorum fontibus derivatum, Latinos celebrasse invenio, et in omnibus eorum vestigia liberalibus consequutos artibus video.* Budaeus in Asse, *Mihi autem videtur*, inquit, *lingua Graecorum ad Latinam relata, poëtae, id est tragici authoris aut comici, rationem habere: Latina autem actoris tantum scenici, qui fabulam a poëta inventam, et emodulate scriptam, in theatralem consessum profert. Quid enim aliud et poëtae et oratores nostri quam poësi et orationi civitatem Romanam dederunt?* Lege Codrum Urceum in sermone 10. in laudem Graecorum aedito, ubi fusissime diligentiam Graecam et humanitatem commendat. At Cicero his obstrepit, dices. Ingrati profecto animi et obnoxii arguitur Cicero, qui quantuscunque fuit ex Graecis fuit, qui si partes Graecorum tuendas suscepisset, multo vendibiliora prompsisset quam nephanda prompserit. Quintilianus igitur libro XII. [10, 27.] Lingua Latina, inquit, discipula et imitatrix linguae Graecae, quum se totam ad praescriptum parentis suae componere effingereque instituisset, in ea parte artis oratoriae, a qua eloquentia nomen accepit, imitationem implere non potuit. Plinius libro VII. [c. 57.] author est Cadmum sexdecim numero literas in Graeciam attulisse, quibus Troiano bello Palamedes adiecit quatuor, totidem post eum Simonides. Has sexdecim, teste Prisciano [p. 542.], primum mutuati sumus a Graecis, deinde *f* et *x* additas ab eisdem sumpsimus, quae si cum veritate contemplari velimus, sermoni Latino sufficient. Non igitur Graecia parens dicitur literarum ob antiquitatem (ut veluti vinculo quodam communi vinciamus omnia) sed ob diligentiam et sedulam curam erga literas, quibus et sonus dulcior et iucundissimae literae, et accentus suavior, si Fabio credimus, libro XII. [10, 33.] quam nobis, et sermo multo nitidior et iucundior, ut nostri poëtae quoties dulce carmen esse voluerunt, illorum id nominibus exornant. Praeclare igitur dixit Terentianus, *Artium parens* &c. BRISS. Graecos diligentissime lite-

rarum artem tradidisse ait, a quibus Latini multa sumpsere veluti parum sibi fiderent ea invenire posse; verum ex his quae sumpserant longe maiorem sermonis copiam sibi pararunt, tanquam ex paucis seminibus aliunde acceptis largiorem frugum copiam sibi comparaverint, quam illi ipsi unde acceperant. Cum igitur in tractandis syllabis literarum origo repetenda videatur, se Latina cum Graecis collaturum profitetur, ut magis fiat perspicuum quae Romanae linguae scriptores a Cecropia mutuati fuerint, quaeque ipsi invenerint. Ac demum repetit penes Graios esse artis initia, sed linguam Latinam latius patere: quod colligi potest etiam ex Cicerone, qui in Tusculanis Quaestionibus Graeci sermonis inopiam quodammodo deplorat. Verum Terentianus videri potest linguam Latinam Graecae aequare potius quam praeponere, quum ait *illam parasse fandi non secundam copiam.* PETR.

344. *polivit usque finem ad unguis extimum*] Id est, ne minimas quidem particulas literarum Graeci neglexerunt, et ad usque minutissima quaeque rem literariam excoluerunt. BRISS.

345. *Quod Latinus aemulando*] Aemulator non ut imitator eadem dicere studet, aut paria facere, sed melius omnino contendit. Sensus est, Latinus produxit et prodidit fiduciam aemulandi Graecos. BRISS.

ib. *nec satis fidens sui*] "Fidens sui" quomodo et "fidens animi" dicitur, qui ad tempus aliquod fiduciam quandam prae se fert, ut exponitur apud Vergilium [Aen. II. 61.] ibi, *Obtulerat fidens animi, atque in utrumque paratus.* Est itaque sensus, Latinus parum persecutus est fiduciam illam aemulandi Graecos. BRISS.

346. *Exitus nam nostra*] Id est, nostra lingua non habet egrediendi libertates et expatiandi in tot linguas, fictiones nominum, derivationes et compositiones, ut ex Quintiliano colligi potest multis in locis. BRISS.

347. *fandi—non secundam copiam*] Quintilianus libro XII. [10, 34.] *In his,* inquit, *quae denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissime revolvit.* At Graecis non verborum modo, sed linguarum etiam inter se differentium copia est. Id quoque docet abunde Budaeus in Commentariis Linguae Graecae. Sensus est, Latinus non secundariam facul-

tatem Graecorum adsequutus est, sed tantum longo velut intervallo post terga Graecae facundiae relictam. BRISS.

349. *Quod recepi*] Cicero de Oratore II. [c. 24]: *In quo est,* inquit, *illa quidem magna offensio vel negligentiae susceptis, vel perfidiae receptis* &c. Quo in loco Omnibonus interpres ait, *Differentia est inter suscipere et recipere: suscipimus rogati, recipimus sponte:* quod huic loco quadrat; nam dicet postea Terentianus, *Obrepens incepta peregi, Quo vitae dubius vel sic vixisse viderer.* Quibus apparet Terentianum recepisse, id est, sua sponte hoc opus scribendum coepisse. BRISS.

350. *Inde*] Id est, ex Graecia. BRISS.

351. *Et simul quam multa*] Id est, quam in multis paria cum Graecis non faciamus. BRISS.

352. *Quaeque respondent*] Priscianus in tractatu de Carminibus iambicis [p. 1320]: *Romani,* inquit, [mentem potius quam ipsa Prisciani verba dedit Briss.] *solent in multis initium capientes a Graecis ab angusto in effusum dilatare, sicut fecerunt etiam in sexto casu secundum vetustissimos Graecorum grammaticos, quo parce utebantur. Latini tamen eum fere in omnibus casualibus servant. Similiter impersonalia in paucis Graecis accepta apud nos frequentissima sunt. Illi spondaeum vel dactylum in secundo vel quarto loco iambici versus raro posuerunt, Latini vero saepissime* &c. BRISS.

354. *Ergo Graecis*] Tractaturus author, ut praedixit, de literis, primo numerat vocales Graecas, quas septem esse dicit: videlicet α, ε, η, ι, ο, υ, ω, quasque ita dividit; η et ω longas esse docet, ε et ο breves, α, ι, υ, communes, i. e. quae breves et longae inveniuntur, ideo has appellat *dichronas*, i. e. communes vel ancipites bitemporeas. PETR.

356. *singularis*] unius. PETR.

357. διχρόνους] Ὁ καὶ ἡ δίχρονος, τὸ δίχρονον. Id est, anceps et communis. Sed tenendum est δίχρονα dici, non quod pro arbitratu cuiusque modo produci modo corripi possint, sed eo modo quo vocales omnes apud Latinos: nempe in hac dictione omnino produci, in illa corripi. Graeci tamen saepe sequuntur arbitrium non impeditum religione. BRISS.

360. *Porro cunctas*] Latini habent quinque vocales, sc. *a, e, i, o, u,* quas ponunt modo breves modo longas, quo fit ut magna sit syllabarum diversitas, ut ipse author in litera ostendit.

Sciendum igitur Latinos non habere vocalium aliquam quam semper brevem vel quam semper longam dicant. PETR.

361. *Corripit quod nunc easdem*] Priscianus lib. I. [p. 541]: *Vocales*, inquit, *apud Latinos omnes sunt ancipites vel liquidae, id est, quae facile modo produci, modo corripi possunt; sicut etiam erant apud antiquissimos Graecorum ante inventionem η ω. Quibus inventis, ε et ο, quae ante ancipites erant, remanserunt perpetuae breves, quum earum productarum loca possessa sint a supradictis vocalibus semper longis.* BRISS.

362. *et isdem brevibus*] Cicero in perfecto Oratore [c. 47]: *In templis*, inquit, *isdem, probavit Ennius; at eisdem erat verius, nec tamen eisdem opimius, male sonabat iisdem. Impetratum est a consuetudine ut peccare suavitatis causa liceret* &c. Ex quo videas secundum antiquos, *eisdem* ex arte, *isdem* ex suavitate posse dici: id quod semel volumus annotatum. BRISS.

366. *Quia nec illae*] Hae literae Graecae *α ι υ* non semper sunt apud Latinos eiusdem soni. Alpha a Latinis nominatur *a*, iota *i*, tertiam vero, sc. *υ*, non habent, loco cuius *u* ponitur, ut in sequentibus videbitur. PETR.

367. *eosdem semper*] Nam indices nominum sunt notae discriminis, et necesse est mutare sonitum supremum, ut ante dictum est, id est sonitum vocalis cum qua proferuntur Graeca ista nomina literarum. BRISS.

370. *Huius in locum*] Expositum hoc est superius, ubi author ostendit *υ* apud nos non tenere locum, pro quo in dictionibus Graecis ad formam Latinam deductis utimur *u*. PETR.

371. *interim*] Id est, *aliquando*. BRISS. i. e. *interdum*. PETR.

372. *Quando*] Id est, *quia*. BRISS.

373. *Interim*] Id est, *aliquando*. BRISS.

ib. *vocalem*] Id est, *vim vocalis*. BRISS.

ib. *vocalem et ipsum*] Nota quod hic intelligit de diphthongis, veluti est *αὖρα εὖρος*; notatur etiam hoc loco quod *υ* in nostris dictionibus potest et corripi et produci. Cum dicit *Scilicet non consonantem*, intelligitur ut in nominibus *lingua, aqua*, et similibus, ubi *n*, *u* nec vocalis nec consonae vim servat. PETR.

ib. *sumpta propter quod*] Id est, vim vocalis: nam id est, propter quod assumpta est a Latinis, ut vicem vacantis *y*

rependeret. Hyperbaton est, quod iure metrico excusatur, maxime cum non obscuret admodum sententiam. Alias non legebatur *tamen*, sed tum versus imperfectus erat. BRISS.

374. *mutat*] Id est, *pervertit*. BRISS.

375. *Scilicet*] Est particula explicandi, et significat, hoc est, aut velut. BRISS.

ib. *non consonantem*] Id est, vocalem quom nectit vocalis, *u* scilicet. BRISS.

377. *Si prior locetur*] Ut *Venus, vale, video, volo, vultus*, in quibus *u* consonans est. PETR.

378. *Porro vocalem secuta*] Ut in *Iuno*, *Iupiter*, in quibus *u* est vocalis. PETR.

379. *Et sonos utrosque*] Unde diphthongi dicantur exponit, quae fiunt duabus vocalibus simul iunctis. Nam omnes vocales breves habent unum tempus, duae igitur habent duo tempora, et hinc est quod diphthongi omnes sunt longae. PETR.

383. *Sive producto efferantur*] Dixit propter accentum, quare subiungit *Fronte quod prima*. PETR.

ib. In marg. omissum est, Ut in τύπτεται et κύριοι, in quibus cum αι et οι longae syllabae sint, breviter tamen efferuntur. Ad accentum enim respicit, ut etiam infra ubi de Latinis diphthongis disserit. MICYLL. in Corrig.

384. *Fronte—prima*] Id est, statim in principio. BRISS. Dicit author his versibus quod fortasse aliquis prima facie imitari posset diphthongum aliquando correpto sono pronuntiari, sed promittit, ut in litera, ipse enodaturum, cum de pedibus tractatum inchoaverit. PETR.

386. *exequendo*] Id est, *tractando*. BRISS.

ib. *formam*] Rationem pedum et modos. BRISS.

387. *Non minus nanque est Latina*] Diomedes lib. II. [p.464]: *Sed meminerimus*, inquit, *ita de longis brevibusque loquuturos, ut natura tantum non etiam positione longas aut breves syllabas indicemus*. Quintil. lib. I. [5, 18.] innuit brevem positione longari in accentibus. Probus [p. 1396]: *X*, inquit, *litera nominativus finitus licet longam positione semper faciat syllabam, tamen naturaliter nunc corripit, nunc producit. Corripit in hoc: Nox erat &c. Producit in hoc: Hic primum nova lux oculos* &c. Idem [p. 1429]: *Ex*, inquit, *brevis est per naturam, sed longa fit per positionem*. Unde mirum tandem non videbitur

si correpta sit duorum temporum. An non accedit his Cic. qui in perfecto Orat. [c. 48.] ait: *Quid hoc elegantius, quod non fit natura, sed quodam instituto? inclytus dicimus brevi prima litera, insanus producta*, &c. *Consule*, ait, *veritatem, reprehendet; refer ad aures, probabunt* &c. Lege etiam Gellium lib. II. cap. 17. de quo etiam in sequentibus. BRISS.

ib. *Latinas*] Supple diphthongos. BRISS.

390. *Planius quo fiat*] Doceris, candidissime lector, hoc loco, quomodo fiant diphthongi apud Graecos, quas ait creari praeponendo has literas *α ε ο η* et *ω*, his scilicet *ι* et *υ*, hoc modo, *αι ει, αυ, ευ, ου*, et dicuntur propriae: impropriae autem inferius ostendentur. Quae diphthongi sic Latine interpretantur, *αι* facit *ae*, *ει* facit *i*, *οι* facit *oe*, *αυ* facit *au* vel *af*, *ευ* facit *eu* vel *ef*, *ου* facit *u*. PETR.

397. *His enim solis duabus*] Quia solae *ι* et *υ* postponuntur aliis quinque vocalibus supra nominatis. PETR.

398. *Quando et ἄλφα, quod videtur δίχρονον, praeponitur.*] Hic versus alias ponebatur post hunc *His enim solis* &c. Sed cassus mihi videbatur, ob id tanquam subdititium familia summovi. BRISS.

399. *Neutra porro*] Dicit quod iota et *υ*, quamvis praeponerentur aliis vocalibus, nullam tamen vim creandi diphthongos habent, sed erunt duae syllabae, ut his exemplis *Iesus, Iasius, Ionium;* nam *ie, ia, io* sunt duae syllabae. Quare dicit *sed duae voces erunt*. PETR.

402. *Esse diphthongos et alias*] Compertum est apud Graecos has esse diphthongos proprias, *αι, αυ, ει, ευ, οι, ου*: porro et alias impropriae et rariores *ωυ, ηυ, υι*. Id quod innuit Terentianus; in quibus *υ* subditur non ἰῶτα ut in propriis. *ωὐτὸς* pro *αὐτὸς* Iones dicunt. *ηὖδα* id est *loquutus est*, a verbo *αὐδάω* id est *loquor*. BRISS. Diphthongos impropriae ostendit dicens quod quamvis *η* et *ω* longis adiiciatur *υ*, et fiat impropria diphthongus, tamen ipsae vocales *η* et *ω*, quae sunt longae natura et duorum temporum, non fiunt temporum trium, sed habent illam literam *υ* vel *ι*, tanquam adiectionem. Notantur autem sic impropriae diphthongi *α ω υι ηυ ωυ*, *a i o yi if of*, *ηυ* et *ωυ* sunt Ionicae. PETR.

405. *utrasque literas primas*] Id est, *ω* et *η*. BRISS.

406. *Nec fuit longis iuganda vel brevis*] *Vel*, id est, *veluti*.

Sic Terentius in Hecy. [I. 1, 3.] interprete Donato ibi, *Vel hic Pamphilus iurabat* &c. Sensus est: Syllaba, id est υ, quae quodammodo syllaba est sola, nempe abusive, non addita est ω et η longis, ut diphthongus esset trium temporum, sed annexa est sua sponte, ut in primitivis dictionibus, quod declarat contextus. BRISS.

408. *Non ita est*] Affirmatio est repetita superioris sententiae, ut apud Demosth. [p. 241, 16.] *Nihil*, inquit, *esset proditore felicius, sed non est ita, non est.* Idem alibi: [p. 242, 23.] *Nisi forte messores ac caeteri operarii qui conducuntur pecunia amici atque hospites nuncupandi sunt, sed non ita est, non est.* Haec in defensione contra Aeschinem. BRISS.

409. *Vtriusque*] Diphthongi supple ωυ et ηυ. BRISS.

410. *instanti*] Id est, praesenti tempore, αὐδᾷ, id est *loquitur*, tertia est persona verbi αὐδάω, citraque synaloephen legendum est propter metrum, quod et in sequenti proxime versu contingit, ibi, *separatim* ὠυτός. BRISS.

411. *immistum*] Coalitum, compositum, confusum. BRISS.

412. *diphthongo creata*] Id est, propria diphthongo facta in principalibus dictionibus deductae et deflexae dictiones retinent υ, quae erat in principalibus dictionibus. BRISS.

413. *flexa declinatio*] Id est, deductio mutata. BRISS.

414. *Vel*] Abest hic versus in exempl. Francofurt. COMM.

ib. *confusio*] Id est, *commixtio*. BRISS.

415. *Quin et* Υ] Dicit quod υι, sc. υ et ι simul, apud Graecos est diphthongus. Exempla in litera μυῖα musca. PETR.

417. Υἷες] Id est, *filii*. BRISS.

ib. Ἀειλογία μυῖα] Id est, musca obstrepera et perpetuo bombans, estque ἀειλογία epitheton muscae, non exempli loco positum: cuius penult. prod. hic libertate Graecorum, quibus musarum favor praesentior est quam nobis. BRISS.

ib. In aliis legitur, Υες *ut dicunt*,-ακυλα γυῖα, μυῖα *et talia.* Pro ακυλα ἄγυια forte legendum. Nescio quid Brissaeum moverit, ut ex hoc ἀειλογία faceret, et muscae epitheton esse diceret. COMM.

ib. Locus haud dubie depravatus: rescribendum igitur: Γυῖες, *ut dicunt* ἄοιδοι, γυῖα, μυῖα, *et talia.* Leviter corrupta voce ob affinitatem figurarum Γ et Δ, adhaec soni commistione υι cum ι, in corrupta ea quae hactenus tenuit Graecarum

litterarum pronunciatione, et ex duabus una voce conflata. Interpres Gallus non se explicat, sed magis involvit. Verba, si cui libeat videre, apponam: ἀειλογία μυῖα, *id est, musca obstrepera, et bombans perpetuo. Estque* ἀειλογία *epitheton muscae, non exempli loco positum, cujus penultima prod. hic libertate Graecorum, quibus Musarum favor praesentior quam nobis.* Apage sis cum illa *musca obstrepera:* quam ne libertas quidem ipsa, seu deus, sive dea, concesserit. Sed οἴκοθεν μάρτυρα, licet in re clara, fidem faciamus, ne posthac Punica fide laboret Maurus; sic enim alibi: [767] *Non ut V nunc sit Latina, sed magis Graecum sit* Υι· Γυῖα *quum dicunt et* υἷας, *tale quid cui ut sonet, Temporum et per se duorum non requirat consonam.* SCHOTTUS Obs. Hum. IV. I.

418. *Porro diphthongos*] Quatuor tantum Latini diphthongos habent, sc. *ae, oe, au,* et *eu;* quorum primae scribuntur et non proferuntur, sequentes utrunque praestant. PETR.

419. *Quattuor ideo separavi*] Hic simplici *t.* quatuor scribendum propter metrum. BRISS. Contraxit vocem in duas syllabas, quod fecerunt quoque Ennius, Plautus, Ausonius et alii: Vid. Voss. I. de Art. Gram. c. XLIII. p. 150. Wasium in Senar. c. IX. p. 103. SANT.

ib. *separavi*] Id est, distinxi, seposui. BRISS.

ib. *quinta quod sit rarior*] Scilicet *ei.* Priscian. lib. I. [p. 561.] I *quoque apud antiquos post* e *ponebatur, et* ei *diphthongon faciebat, quam pro omni* i *longa scribebant more antiquo Graecorum.* BRISS. Dicit ει esse Latinam diphthongum, sed rariorem, quae in aliquibus dictionibus Latinis scribitur. Verum notandum est, quod haec diphthongus non potest scribi in aliqua dictione Latina neque Graeca, nisi prius praecesserit *e*, ut author inferius declarat, ubi dicit, *Sic oveis, plureis, et omneis scribimus.* Advertendum quoque apud nos iota nunquam subiungi in aliqua diphthongo nisi in ει. Habes etiam quod *a* et *o* apud Latinos semper sunt praepositivae, et *e* est et praepositiva et subiunctiva: *i* autem et *u* semper sunt subiunctivae, licet apud Graecos ι incipiat diphthongum impropriam. PETR.

421. *alteram*] Scilicet *e.* BRISS.

423. *Ἄλφα semper atque ἰῶτα*] Notat quod α et ι iunctae parant nobis eundem sonum quem *ae* diphthongus; οι simi-

liter quem *oe*, consimili modo *αυ* apud Graecos est apud Latinos *au*, *ευ* Graece, Latine *eu*. PETR.

427. *In vicem Graecae*] Alias legebatur, *In vicem Graecae quod* Y *subdita vocalis* u. Sed quod vestigium legis metricae posset observari? propterea syllabis, non tantum figura *u* subdidi, ubi *s* dictionis subdita liquescit. BRISS.

428. *Graeca diphthongos sed* ΟΥ *litteris nostris vacat*] Ostendit Latinos non habere diphthongum *ου* sed vocalem *υ* loco illius. PETR.

ib. *diphthongos ου literis tamen nostris vacat*] Id est, Latinis superflua est. Versus alibi legitur ita, *Graeca diphthongos sed ου literis nostris vacat*, sed lex carminis reclamat. Ultima diphthongos producitur in contextu iure caesurae. BRISS.

429. *hunc—sonum*] Id est, diphthongi *ου*. Priscianus lib. I. [p. 554.] *Ponitur,* inquit, *litera υ in Graecis nominibus, modo loco ου diphthongi, ut musa pro μοῦσα, modo pro ο correpta, ut Homerus pro ὅμηρος, pro eadem producta ut* fur *pro φώρ.* BRISS.

430. E, *deinde*] *Deinde* trisyllabum est, *ἴωτα* disyllabum est. BRISS. Diphthongus Graeca *ει* non semper in syllaba vel Graeca vel Latina longa necesse est scribi, quia *ἴωτα* Graecum et *i* Latinum solum sive *e* in multis dictionibus longum positum; et posuit exemplum Ἴλιον, *fido*, *dico:* unde ait in litera: *Nec tamen nos* e *necesse est post* i *subnectere.* PETR.

431. *Non erit semper necesse*] Priscianus, ut paulo ante dictum est, libro primo ait apud antiquos *ei* diphthongum usurpatam pro omni *i* longa. Terentianus hoc loco docet non necesse nos habere ubi *i* longa fuerit *ei* diphthongum scribere, quamvis enim sit aliquando scribenda, sed duntaxat quum in principali nomine *e* subesse manifestum fuerit. BRISS.

432. *iugetur*] *nectatur.* BRISS.

433. *quod*] i. e. *quia.* PETR.

436. *post*] Id est, *deinde.* BRISS.

427. *Nec potest diphthongus*] Dicit author quod haec diphthongus *ei* apud Latinos et Graecos similiter non fit nisi in dictionious in quibus *e* litera principaliter sit; ut in hac dictione *omneis*, quae habet *e* per se, nam dicitur *omnes.* Non est igitur in hoc nomine posita diphthongus *ei*, sed *i* supposita

est huic literae *e*. Posuit deinde ipse author Graeca haec exempla in litera s. δεῖμος cum diphthongo ει, quia dicendo quis δέμος reprehenderetur: δεῖμος *timorem* significat. Inde Μήδειαν, quia etiam δεῖος dicitur cum ει diphthongo. Nota Medeae nomen compositum esse ex μὴ quod est *non*, et δεῖος, *timens*, quasi *non timens*. Νεῖκος similiter cum ει scribitur: nam est nomen compositum ex νὴ quod est *non*, et εἴκω, *cedo*, quia non cedendo acquiritur victoria: νεῖκος igitur est laus vel victoria ut est in litera. PETR.

ib. *principali in corpore*] Quintilianus [I. 5, 65.] *Voces*, inquit, *e duobus quasi corporibus coalescunt, ut maleficus, nam ex tribus nostrae utique linguae non concesserim.* In quo Quintilianus *corpora* pro *verbis* posuit, Terentianus *principale corpus* primarium verbum et primitivum intelligit. BRISS.

438. *ratio*] Id est, *nativitas*, *deflexio*, vel *etymologia*. BRISS.

440. ΔΕΙμος] ὁ Δεῖμος, id est, *timor*. BRISS.

441. *Inde* ΜήδΕΙαν *oportet, &c.*] Ultima μήδειαν corripitur quidem natura, hic tamen producitur per ectasim, seu producitur per quintum modum communium syllabarum, de quo vide Aldum lib. IV. et Probum in institutis artium [p. 1432 sq.] BRISS.

442. *Quia* δέος, &c.] Sensus est: nam compositio nominis, scilicet μήδεια, non minus demonstrat subesse diphthongum ει. Nam quum sit longa media syllaba, et in principali nomine, scilicet δέος, subsit ε, constat adhibendam esse ει diphthongum, νῖκος τὸ νῖκος, id est, *victoria*: νεικεῖν componitur νὴ, id est, *ne*, et εἴκω, id est, *cedo*.—τὸ δέος, id est, *timor*, unde μήδεια coalescit: nam μὴ, id est, *non*, δέος, *timor*, quasi Medaea significet *sine timore*. In quo nomine media syllaba longa ideo notata est diphthongo, quod in principali nomine *e* subest, sive illud sit δέος, sive δεῖμος, per elisionem aut immutationem quandam literarum. BRISS.

ib. *istic*] Id est, *in* μήδεια. BRISS.

447. *compago*] Id est, *compositio*. BRISS.

ib. *ficti*] Id est, *deflexi*, *declinati*, *facti*. BRISS.

448. *conditum*] *constructum*. BRISS.

449. *Quippe non cedendo*] Protrepticon est, quo aerumnosis animum concitemus, ut non cedant malis, sed contra eant·

audentiores, sive reflatu fortunae, sive studiorum negotio premantur. Plato in Sophista [p. 261 B.] *Qui retro pellitur*, ait, *nunquam, ut proverbio fertur, expugnabit urbem.* BRISS. Voluit hoc Terentianus, in rixando et iurgiis victoriam semper quaeri non cedendo, atque adeo νεικεῖν a νὴ et εἴκειν esse dictum. SANT. Nota quod ubi ait *scribimus siquando νῖκος ἴῶτα solum sufficit*, sic intelligi debet quod istud nomen scribitur per ι quia in eius origine non est ε, νεῖκος vero scribitur per diphthongum ει, loco η vocalis semper longae: *e* autem commutationis vicissitudinem habet cum η, ut ibi, *Litteram nanque* E *videmus esse ad ἦτα proximam, Sicut* O *et* Ω. Ad hoc addi posset quod Aristophanes dicit de ovibus quas ait cum balant edere hanc vocem βη: et sonus est de η, tamen duo tenet tempora licet habeat sonum literae *e*. Quod autem η pro ει diphthongo ponatur docet author Graios vertere ipsam diphthongum ει in η, ut in his dictionibus ἱππεῖς, ἀχαρνεῖς, quae ἱππῆς et ἀχαρνῆς potius nominantur ab ipsis Graiis et levigantur. Μήδειαν similiter mutando diphthongum ει in *e* Latine dicimus Medeam: Penthesileam etiam sic vertimus e Graeco in nostrum sermonem, quod notat cum dicit, *Nomen et regina gessit quod furens Amazonum.* Consimiliter Achaeus, i. e. Graecus, Αἰνείαν dicit, Latine *Aeneam* proferimus mutando ut supra diphthongum ει in *e* longam, unde concludit, *Sic erit nobis et ista rarior diphthongos* ει. PETR.

450. *Litteram nanque* E] η tam vicina est *e*, ut in vertendis Graecis nominibus η fere in *e* mutetur, ut νηρίνη, νηρίνης, Nerine, Nerines: "quanquam," inquit Aldus, libro III. [p. 226], "η duplex ε, sicut ω duplex ο esse existimo, et non *i*, sed *e* sonare debere. Quare dictiones Graecas in quibus est η, perperam nunc pronuntiari ostendemus in fragmentis grammaticis." Non enim aliud η sonat quam *e* longum, unde Eustathius Homeri interpres ait a sono nomen positum esse ovibus μῆλα, et capris μηκάδας, quod hae sonent *me*, quemadmodum primae syllabae nominum sonant. Est hic locus non cursim transeundus, ex quo forte videri possit Aldus, qui Terentiani fuit studiosissimus, sibi persuasisse eundem sonum esse, saltem eandem soni originem η et *e*, quemadmodum eadem est ω et ο, nisi quod productius altera feritur. BRISS.

452. *momenta*] Id est, *spatia*. BRISS.

ib. *soni nativitas*] Id est, *origo*, aut *ortus in ore*, ubi fingitur. BRISS.

453. *hanc*] diphthongon: *ει* supple. BRISS.

454. ἱππEIs] *equites*. BRISS.

ib. 'ΑχαρνEIs] Id est, *Acharnanes*. ἱππῆς et 'Αχαρνῆς nomina sunt fabularum apud Aristophanem. BRISS.

457. *Nomen et regina*] Scilicet *Penthesilean*, quae Graece Πενθεσίλειαν. BRISS.

458. *Achaeus*] Id est, *Graecus*. BRISS.

461. *EItur in sylvam*] *Eo, eis, it, eimus, eitis, eunt*. Et ita totum verbum scribi debere ostendit, cum habeat *e* in prima voce. Sic *oveis, plureis, omneis* scribenda contendit: subdentes tamen *i*, quia *e* litera permanet sicut fuit. Et notandum, quod *oveis, plureis, omneis* et id genus alia hoc duntaxat modo in accusativo plurali scribitur, et non in aliis casibus; quare dicit, *Lector et non singularem nominativum sciet, Vel sequentem qui prioris saepe similis editur*. Hoc etiam tangit Servius super carmine *Treis notus arreptas* in primo Aeneidos [v. 108.] ubi docet diphthongon *ei* esse Latinam, dicens, *Treis Latinum est: genitivus enim pluralis quoties in* ium *exit accusativum pluralem in* is *mittit, ut* puppium, puppis, interponendo *i* post *e* et ante *s* fit *puppeis*. PETR.

463. *Sic ovEIs &c.*] Accusativus a nominativo oves flexus. BRISS.

464. *sicut fuit*] Supple in nominativo. BRISS.

465. *non—sciet*] Non credet, non sibi persuadebit. BRISS.

466. *sequentem*] Id est, genitivum singularem. BRISS.

ib. *prioris*] Id est, nominativi. BRISS.

467. *A V et E V*] Pollicitus est superius author se narraturum diphthongos interim correpto sono proferri: quod hoc loco exequitur dicens diphthongon brevem aliquando prolatione sc. tantum propter accentum, et haud secus intelligi debere. Hoc autem probat exemplis in litera positis, e sacro Maronis poëmate sumptis: ut, *Aut age diversas, et disiice corpora ponto*. Item aliud, *Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi*; quae sunt exempla de *au* diphthongo. *Inde lupi ceu Raptores atra in nebula quos improba ventris* &c. Unum notandum *ae* et *au* esse diphthongos ancipites hac ratione quia

*a* apud Graecos dichronos est: nam apud illos alias brevis, alias vero longa. Posuit etiam carmen illud in exemplum *Ceu duo nubigenae.* Et quia in suo versu non potuit dicere *nubigenae,* dixit *nube nati.* Negari autem non potest quod illae diphthongi non sint longae: quia si pedes considerentur, longas omnino ipsas syllabas invenies. Exempla vero Graeca diphthongorum Graecarum *au* et *eu,* quae longae sunt et proferuntur correpto sono, in litera leguntur. PETR.

468. *salvo modo*] Numero et mensura. BRISS.

470. *ille vates*] Vergilius. BRISS. Æn. I. 70.

ib. *ubi*] Lego *abi.* COMM. Sed v. Georg. IV. 49.

471. *Dixit A Vrunci*] Vergilii verba sunt haec ex septimo Aeneidos [727], *Aurunci misere patres* &c. BRISS.

ib. *barbarum est*] *Barbarismus,* inquit Quintil. lib. I. [5, 6], *fit scribendo et loquendo.* Illud prius fit additione, detractione, immutatione, transmutatione: hoc secundum, divisione, complexione, aspiratione, sono continetur. Unde Terentianus apte dixit barbarum esse sonare, tanquam longam, brevem syllabam. BRISS.

472. *ubique*] Id est, in praedictis exemplis. BRISS.

ib. *lege*] Id est, numero temporum. BRISS.

474. *Et lupi cEV*] Finis est versus ex secundo Aeneidos. [v. 355.] Vergilii verba sunt haec: *Sic animis iuvenum furor additus, inde lupi ceu, raptores* &c. BRISS.

475. *trocheu'*] Id est, *trocheus.* Cicero in perfecto Oratore [c. 48]: *Quinetiam quod iam subrusticum videtur, olim autem politius, eorum verborum quorum eaedem erant postremae duae literae quae sunt in optimus, postremam literam detrahebant, nisi vocalis insequebatur; ita non erat ea offensio in versibus, quam nunc fugiunt poetae novi, ita enim loquebamur, qui est omnibu' princeps, non omnibus princeps* &c. BRISS.

ib. *extima*] extrema. BRISS.

476. *nube nati cEV duo*] Ex septimo Aeneidos [674] translatum est, ubi ita legitur: *Ceu duo nubigenae quum vertice montis ab alto?* Sed Terentianus et ordinem transmutavit, et verbum immutavit propter metri necessitatem. BRISS.

477. AΥ ἔρυσαν] Id est, retro traxerunt, apud Homerum [Il. α'. 459]. BRISS.

ib. AΥτὰρ] Id est, *sed.* BRISS.

478. πΕΥκην] Id est, *piceam*, nomen arboris est. BRISS.

ib. ΕΥνουν] *benignum*. BRISS.

480. *duplum*] Id est, geminum. Nota *duplum* sine ratione aliqua dictum. BRISS.

481. *A V tamen*] *Au* diphthongum in his dictionibus, videlicet, *auspices*, *aurum* Latinis, et *αὔριον* Graeca producte proferri dicit. PETR.

482. ΑΥριον] Id est, *cras*. BRISS.

483. *Mira nec putanda*] Hoc non esse mirum nec videri ait, si cum sint longae aliquando breviter proferantur, quia ostendit alpha apud Graecos sicut *a* apud nos communem sonum praebere, et *au* in aliquibus breviter pronuntiari et in aliquibus producte. PETR.

ib. *alternatio*] Vicissitudo brevitatis et productionis. BRISS.

484. *nostratibus*] Latinis. Quanvis enim Terentianus Latinus non esset natione, secta tamen fuit Latinus. BRISS.

485. *diphthongos*] Supple *au*. BRISS.

486. *EV manet*] *Eu* diphthongum correpte pronuntiari Graeca ratio demonstrat, quia apud Graecos ε semper est brevis: nec tamen pedes suis temporibus fraudantur. Si vero haec litera *a* scribetur ante *eu* diphthongum, non putes esse unam syllabam, quia nulla syllaba invenitur ex tribus vocalibus. Et hoc probat exemplo huius nominis *Aristaeus*, quod quatuor est syllabarum et non trium, quia *u* non iungitur diphthongo *ae*, ut docet author in litera. Et tu, lector, noveris dividendo dictionem in syllabas, *A*, *ri*, *stae*, *us*. PETR.

488. *nequibit esse producti soni*] Propterea quod debet referre originem et nativitatem quam a Graeca ευ accepit. BRISS.

490. *Hanc*] Id est, *ae* diphthongon mox sequentem in nomine *Aristaeum*. BRISS.

491. *Syllabam nec invenimus*] Quintil. I. [4, 10]: *Ex tribus* (inquit) *vocalibus syllaba nequit fieri, si non aliquae consonantium officio fungantur*. Ut in *aquae* et in *quaelibet*, in quibus tres quidem syllabam faciunt, sed aliqua officio consonantis fungitur, scilicet *u*. Nec audiendi sunt qui in his et id genus caeteris putant *u* vim perdere literae. Nam etsi in his *u* ita celeriter profertur ut vix sentiri possit, non tamen omnino supprimitur: de quo proprie in sequentibus. BRISS.

494. *His ita exceptis*] Notandum docet author *o* locatam ante *a* vel *i* vel *u* diphthongum gignere non posse, sed duas esse syllabas. PETR.

ib. *exceptis*] Id est, receptis et positis. BRISS.

ib. *rettuli*] Epenthesis est. BRISS.

497. *duplicem—sonum*] Id est, diphthongon apud Latinos. BRISS.

498. *Caeterum quod E*] Si vero, dicit, *o* erit ante *e*, tunc erit diphthongus ut supra tractavit. PETR.

500. *Diximus rarum esse*] ibi, [v. 415.] *Quin et* u *loco priore ἰῶτα si subiunxeris*, &c. BRISS. Raro *ἰῶτα* post *υ* scribitur; verum si praeponatur, non fit diphthongus ulla ex ipsis duabus literis: nam affirmat author hanc literam *ἰῶτα* aliis nunquam vocalibus ut faciat diphthongum praelocari, quia consonans fit et apud nos et apud Graios, quod hoc versu heroo probare potest *οὗτος ἰῶτα γράφει*, ibi enim *ι* praecedentem syllabam *τος* natura brevem longam reddit posita: quamquam id fieri dicat apud illos quacunque sequente vocali, syllabasque naturaliter breves sequente vocali fieri communes. Ubi notanda est haec regula: quod si apud Graecos in carmine reperiretur syllaba brevis in fine alicuius dictionis sequente vocali, sequens vocalis facit illam syllabam brevem natura ancipitem: ideo dixit, *Pes erit primus trochaeus, sed facit spondion hunc*, verum resolutione vertitur in dactylum. Ex quo saepe invenitur spondeus pro dactylo. PETR.

501. *Verum enim*] *Enim* abundat, neque id praeter artem fit. Priscianus enim libro septimodecimo [p. 1105] tradit coniunctiones tam apud Latinos quam apud Graecos modo deficere, modo redundare. Quintil. item libro nono [3, 18.] figuras ponit verborum ex additione. Ex quibus non absurdum esse ducimus *verum enim* pro *verum*, id est *sed*, poni: quemadmodum etiam *verum enim vero* ponere solemus. BRISS.

506. *Consonans prior*] Ἰῶτα saepe tribus syllabis legitur, sed et duabus legi potest, id quod fit hoc versu [529.], *ἰῶτα queis si praelocetur*, &c. BRISS.

ib. *Graios apud*] Anastrophe est. *οὗτος*. BRISS.

508. *Οὗτος ἰῶτα γράφει*] Id est, ipse scribit. BRISS.

509. *spondion*] Σπονδεῖος Graece dicitur, sed teste Prisciano

lib. II. [p. 587.] ubique pro *ει* *ε* productam vel *ι* ponimus. Unde spondion spondeumque possumus dicere. BRISS.

513. *Quaeque vocalis*] Id est, quaecunque. BRISS.

ib. *supremam*] Supple syllabam. BRISS.

514. *I magis Romana lingua*] Dicit quod *i* nec apud Graecos nec apud nos praeposita aliis vocalibus diphthongum facit: immo est consonans, ut praescriptum est: ut probat his exemplis in textu positis, videlicet, *iacula*, *iecur*, *Iovem*, *iubam:* in quibus *i* est consonans, sequentes autem sunt vocales. Quare dixit, *Quae sequuntur vim tenebunt, quam prius, vocalium*. PETR.

ib. *praemittere*] praeponere. BRISS.

515. *nexilis*] *Nexilis* secundum Vallam idem quod nexa seu iuncta significat: hoc loco, nexilis est quae necti potest. BRISS.

520. *Quin et ipsae*] *I* et *u* consonantes, cum sibi vicissim ac reliquis vocalibus praelocantur, fieri author ostendit, dicens etiam nihil interesse an *u* post *i* vel longa sit vel brevis, quia semper consonans est. Docet insuper *i* ante *u* non posse esse diphthongum Graecam, quia nulla diphthongus incipit ab *ἰῶτα* ut in carmine declaratur [v. 526.] *Quippe* iu *diphthongos:* vel quia illa diphthongus constaret ex tribus vocalibus. Cum enim Graeci volunt scribere *u*, faciunt *ου*: verum apud Latinos vertitur postea in *u*. Quare si *ἰῶτα* praeponeretur his vocalibus *ου*, tres tunc essent simul vocales, ex quibus nequaquam syllaba constare potest [v. 531.], *ἰοὺ ἰοὺ tragoedus Graius et ceryx sonat:* Latinus vero *io* disiunctis syllabis. Noscitur autem quando *i* ante *u* positum est vocalis, ut in hoc nomine *Iulus*, quia hic *iu* sunt duae syllabae divisae, improprie tamen: cum vero dico *Iulius*, *Iuno*, *iustus* et similia, vim vocalis amittens fit consonans, unde *iu* tunc est dumtaxat una syllaba. Quomodo *V* quoque ante vocalem fiat consonans ipse exemplis in litera positis abunde demonstrat. PETR.

523. *An soni prolixioris*] Id est, an longa. BRISS.

527. *implicentur*] Subsint et confundantur. BRISS.

ib. *tribus vocalibus*] Supple implicitis et latentibus. Nam ante dictum est quod sola vocalis *u* complet sonum diphthongi *ου*. BRISS.

528. *et*] Id est, etiam. BRISS.

529. *voculas*] Id est, vocales. BRISS.

531. *ἰού*] Id est, *heu*. BRISS.

ib. *ceryx*] Id est, *praeco*. Budaeus in primo libro Pandect. [p. 137.] *Caducea* appellat *Cerycia*, *Ceryx enim* ait *caduceator est*. Propterea autem Terentianus dixit, Ceryx Graius sonat *ἰού*, quia quemadmodum in comoediis Latinis fere praeco adhibebatur qui faceret populo audientiam, ita et in tragoediis (quae moestae erant) praeco adhibebatur ut *populum*, ut ait Plautus, *auritum* faceret: in quo officio *ἰού ἰού* inserebat. Plautus in Asinaria [Prol. 4.] *Face iam nunc praeco omnem auritum populum*, et in Poenulo [Prol. 11.] *Exurge praeco, fac populo audientiam*. *ἰού* frequens est interiectio apud Euripidem, Sophoclem, Aristophanem. BRISS.

532. *Sic IO matres Latinae*] *Io* apud Latinos dolentis est interiectio. Ovidius in tertio Met. [III. 442.] *Ecquis io sylvae crudelius, inquit, amavit?* Alibi gaudentis est, ut [A. A. II. 1.] *Dicite* io *Paean et* io *bis dicite Paean*, &c. Alibi nomen est proprium. BRISS.

ib. *IVlum*] Iulus divisa *i* profertur, non Iulius, ut significetur effectum nomen Latinum, sicut soboles est Latina. Quod indicat Maro dicens [Aen. I. 288.] *Iulius a magno demissum nomen Iulo*. BRISS.

533. *praedita*] Praeposita. BRISS.

534. *Quas videmus*] Syllabas, scilicet, quanvis abusive. BRISS.

ib. *vocales duas*] Id est, *i* et *o*, vel *i* et *u*. BRISS.

540. *Et sonum mutet priorem*] De hoc in tractatu de Literis [v. 156.] dictum est. BRISS.

542. *Ante consonam V*] Notat hic author, quod *u*, cum ante consonantem reperitur sola, ut in nomine *unus*, vel in syllaba, ut *unde* et *umbo*, et similia, obtinet vim vocalis et est vocalis. Consimiliter facit *i*. PETR.

544. *sicut I quom praedita est*] Id est, praeposita est consonis supple. BRISS.

545. *Quanta vero sit potestas*] Pedes in carmine ostendunt quantitatem harum literarum *i* et *u* consonantum, ut prior quaeque est in dictione. Si velimus examinare tempora literarum, invenimus breves vocales [vocales literae f. del.] tantum unum tempus, et longas duo tempora, consonantes vero medium

tantum: unde duae consonantes faciunt unum tempus, et duplex consonans habet unum integrum tempus. PETR.

ib. *singulis*] Id est, *i* vel *u*. BRISS.

ib. *iunctis sibi*] Id est, coëuntibus: supple, restat dicendum. BRISS.

546. *hoc*] Id est, tali ordine. BRISS.

ib. *discriminant*] Differre faciunt. BRISS.

547. *Scandimus si quando*] Alibi praecedit versus, *Vt prior quaecunque*, ut priore loco legatur, *ut prior quaecunque*, posteriore autem, *scandimus si quando*, &c. Sed parvi, imo nihil refert. BRISS.

ib. *metro*] *Versus* a *metro* differt, quia versus refertur aliquando ad numerum pedum, ut *versus senarius*: *Metrum* vero qualitatem pedum, ut *metrum trochaicum*. PETR.

548. *momenta*] Spatia. BRISS. Tempora. PETR.

551. *compertum est*] Hic non est synaloephe. BRISS.

ib. Negligere elisionem solet. Vid. v. 331. 410, 411, 412. 653. 658. 850. 860, 864. 1328. 1334. 2318. 2370. quod nec refugit Propertius II. XII. 1. ubi v. Burm. nec Prudentius, ad quem v. Heins. Cathemer. H. XII. 131. De hac materia tamen, digna quae accuratius excuteretur, consulendus Schraderus Emend. VI. p. 136. SANT.

554. *Ergo correpta iugatur*] Dicit author quod una vocalis brevis sequente consonante habet sescuplum tempus, i. e. unum cum dimidio, quod quidem fit propter consonantem sequentem, ut esset in dictione *at*. Vnde notandum syllabam eadem ratione extendi posse usque ad quatuor tempora, ut hoc patet exemplo *Rex*, *Xanthus*, et in similibus. (Aldus tamen ait syllabam tantum extendi posse ad tria tempora.) Ratio autem est propter *X*, quae est duplex consonans: nam aliquando pro *gs*, alias pro *cs* ponitur: hoc etiam probatur exemplo pax stetit transtra per et remos. PETR. Postrema mendosa sunt.

556. *Sescuplum*] Sescuplum, quod et sesquiplum, hemiolum significat, estque id quod totum et dimidiam totius partem, ad quod refertur, continet. BRISS.

559. *subiugatur*] Subnectitur. Hicque *sub* significat *ante* in compositione, ut aliquando etiam in appositione, ut *sub noctem*. BRISS.

561. *Hoc sub exemplis*] His exemplis *Iuno*, *vita*, *iuba*, *vigor* author probat quod superius dictum est, sc. quod una vocalis brevis sequente consonante habet unum tempus cum dimidio, et bina consonante sequente habent duo tempora, &c. In his igitur nominibus *Iuno*, *vita*, *i* et *u* consonantes similiter sequentibus vocalibus habent duo tempora et dimidium: quia in *Iuno* *i* consonans habet medium tempus, et *u* vocalis longa habet duo tempora. Ita in *vita*, *u* consonans habet medium tempus et *i* vocalis longa habet duo: quare illae priores syllabae sunt longae. In *Iuba* autem et *vigor* primae literae, id est *i* et *u* consonantes, similiter habent medium tempus, *u* vero et *i* secundae vocales breves habent nisi, quaeque sc., unum, quare *iu* et *vi* syllabae sunt breves. Id vero tantum dicitur habita ratione literarum quae sint in eadem syllaba. Nam et si consonantes sequenti vocali nihil temporis ministrant, praecedentem tantum adiuvant; adiiciunt tamen ipsis vocalibus quibus affixae sunt in eadem syllaba vel brevi vel longa medium tempus suum: ut praescriptis nominibus perspici potest. PETR.

562. *quae parant*] supple nomina. BRISS.

563. *I Vno, VIta, &c.*] Alias hic versus iusto metro destituebatur, propterea sub finem addidi ipsum *vetus*. BRISS.

567. *partem et unum*] Alias *parte et uno*, legitur: sed aptius mihi legitur, *partem et unum*, per appositionem. BRISS.

568. *Pars enim ista*] Id est, *iste semis temporis*, seu *istud dimidium tempus*, quod ex consona sequenti accedit, non protenditur ad sequentem syllabam. Nunquam enim litera iuvat tempore sequentem, sed proxime superiorem syllabam. BRISS.

570. *Syllabam nam iam peractam*] Hic locus continuatur usque ad [v. 590.] *Hinc pedem si coeperimus*. Cuius sententia talis est, ut syllaba brevis in unam consonantem desinens *i* vel *u* similiter consonantibus factis subsequentibus fiet longa positione, quia temporis partem, id est dimidium, retro ipsae, *i* et *u*, subministrant. Et hoc author exemplis probat quibus quod superius dictum est in versibus. PETR.

ib. *nam*] Id est, *sed*, aut *insuper*. BRISS.

576. *paretur*] Incipiat. Dicendo igitur *At Iuno* pedem *at*

*Iu* videbis esse quatuor temporum, quia *a* habet unum tempus, *t* medium, *i* consonans medium, *u* vocalis longa, duo: quae computando quatuor invenies. PETR.

577. *partem—temporis*] Id est, *semissem temporis*, seu *dimidium tempus*. BRISS.

ib. *huc*] Id est, ad syllabam proxime superiorem. BRISS.

578. *Tempori suo ab*] *Ab* hic producitur iure principalis syllabae pedis, ut ante dictum est. BRISS.

ib. *eadem consona*] *t* supple. BRISS.

581. *partem residuam*] Id est, *tempus dimidium*. BRISS.

588. *quippe, bina praestet tempora*] Usitatius diceretur, *Quippe quae bina praestet tempore*, sed versus quum sint astrictiores numeris oportet esse liberiores verbis. BRISS.

589. *duplo*] Id est, *gemino tempore*, et parte, id est dimidio, propter consonam sequentem. BRISS.

590. *Hinc pedem si coeperimus*] Quomodo formari possit dactylus haec tria te doceant carmina. PETR.

ib. *coeperimus*] Penultima longa est a *coepero*. BRISS.

ib. *edere verum* (sic) *dactylum*] Vide anapaestum in trochaico. PETR.

593. *Pes quidem redditur* (sic) *ipse*] Ostendit hic non apparere quonam abierit vis illa temporis consonae, scilicet cum dicimus *Vitaque cum gemitu*. Ut igitur dilucidius probaretur, subiungit dicens, *Non erit prima locanda*, i. e. quod oportet ut ipsa sequatur aliam dictionem, ut in exemplo *ut sit*. PETR.

ib. *reddetur*] Alias *redditur*, sed mendose. BRISS.

594. *cernimus*] *videmus, intelligimus*. BRISS.

ib. *quo cesserit*] Id est, *quo abierit*, et in cuius ius venerit. BRISS.

602. *I sua*] Id est, parte temporis quam exhibet propter vim consonae in quam redacta est. BRISS.

605. *AT VI*] Clarum nanque est *at iu* et *at vi* esse syllabas longas, primas inquam longas, consonantibus sua tempora retro ministrantibus. PETR.

606. *hi pedes*] Id est, *At vi*, *at iu*. Dum tamen *vi* et *iu* priores sint syllabae *vita* et *Iuno*. BRISS.

607. *situ*] Id est, *positione*, et serie consonarum. BRISS. i. e. *positione*. PETR.

ib. *sequens*] Id est, *vi* et *iu*. BRISS.

608. *Porro cum producta*] Declaratur hic quod e converso syllaba quae natura sit longa recipit duo tempora cum dimidio, non autem dimidium et duo, ut superius expositum est; et exemplo Virgiliani carminis probat, *Sol tibi signa dabit.* PETR.

611. *Sol tibi velut poëta*] Vergilius in I. Georgicorum [463.] *Sol tibi signa dabit, solem quis dicere falsum Audeat?* BRISS.

613. *Pars residua*] Ecce quod dimidium illius temporis quod sequitur mediante consonante vacat, ut his exemplis, *Trans mare:* nam in *tra* vocalis illa *a* naturaliter est longa. Ex quo nihil eget auxilio consonantum subsequentum. PETR.

ib. *vel*] Id est, *etiam.* BRISS.

614. *vacabit*] Id est, *superfluet.* BRISS.

615. *Sponte*] Id est, *natura.* BRISS.

ib. *non egent subsidii*] Probus in institutis artium, [p. 1431.] *Saepe,* inquit, *invenitur positio in syllabis natura longis, sed si naturaliter producuntur, positionem superfluam habebunt: illic enim est quaerenda positio ubi longitudo naturae defecerit.* BRISS.

617. *Est adhuc*] His omnibus versibus aliud inter *i* et *u* discrimen docet. Nam *i* positum ante *r* (*lege* inter) duas vocales habet vim duplicis consonantis, ut in exemplis in contextu datis patet: quod si geminetur, ut volunt aliqui, fit consonans, et post vocalem in priori syllaba, et ante vocalem in sequenti: quorum neutrum efficit *u;* nam si ponatur sola inter duas vocales habet vim simplicis consonantis, non duplicis consonantis. Nihil enim adiuvat praecedentem syllabam natura brevem, ut videbis infra in dictione *favor:* quod si etiam geminetur, non ponitur pro geminata consonante, sed prior remanet vocalis: posterior vero propter sequentem vocalem efficitur consonans, ut in dictione *Iuno.* Et ideo sequentes versus a praecedentibus non sunt segregandi. PETR.

618. *hinc et hinc vocalium*] Id est, utrinque vocalibus cincta: adverbia seu temporis seu loci fere genitivum regunt. BRISS.

623. *Vel gemella si locanda est*] Quintil. lib. I. [4, 11]: *Sciat,* inquit, *Ciceroni placuisse aiio, Maiiamque geminata* ii *scribere; quod si est, etiam iungitur ut consonans.* Priscianus libro I. tradit idem veteribus placuisse. BRISS.

624. *Bis tibi vocalis eadem* &c.] Sensus est: *I* in medio dictionis geminata inter vocales, prior cum superiore syllaba iungitur, posterior cum sequente: non aliter quam si *tellus* nectendum sit, aut *pessumus*, in quibus geminata consonans dividitur. Id quod Quintil. etiam innuit loco praedicto non admodum multis manifesto, qui mea sententia sic intelligitur. *Quod si est*, id est, id quod si verum est, *etiam iungetur ut consonans*, id est *i* geminata aptabitur, altera priori syllabae, altera posteriori, tanquam geminata consonans, ut in exemplis Prisciani modo positis videri potest. BRISS.

625. *Ante, vocalem*] Supple posteriorem semel usum praebet consonae. BRISS.

626. *mox*] deinde. BRISS.

ib. *insequenti*] Supple syllabae. Iterum praebet usum consonae. BRISS.

ib. *iure quo fit consonans*] Id est, potestate et ratione qua efficitur consonans. BRISS.

627. *nominum*] Praedictorum scilicet Troiia et Maiia &c. Nam *i* litera non alibi est duplex quam inter has vocales *a*, *e*, *o*, *u*, sibi quomodolibet nexas. BRISS.

628. *valeat*] id supple. BRISS.

630. *V similiter*] Planum discrimen inter *i* et *u* in hac parte demonstratur, cum dicit, *V similiter si collocetur*. Quod autem haec litera *i* habeat vim duplicis consonantis inter duas vocales, ex hoc etiam Alexandri Grammatici versiculo colligi potest in tractatu de Scansionibus, *Dum teneant iotam vocales undique clausam, Consona iota duplex*. PETR.

633. *sicut in verbo IVVO*] In exemplaribus quotquot in manus inciderint, legebatur *vivo*, sed corruptis sensu et metri ratione. BRISS.

642. *Perdere V quia sic*] Ostendit author hac parte, quod Aeoles loco *u* consonantis, quia videtur habere quiddam absonum et sordidum, saepe ponunt digammon: quod tamen eundem sonum habet quem *u* consonans apud nos, itaque mutant una cum sono etiam figuram. Nam digammon habet figuram F, ut dictum est alibi: quinetiam cum Latinis in hoc conveniunt, quod multis dictionibus, quas Graeci a vocalibus incipiunt, ipsi praeferunt digamma, nos a consonanti incho-

amus, ut docent exempla quae in contextu praesto sunt. PETR.

642. *usque*] Id est, semper. BRISS.

ib. *vocalem sonum*] Id est, vocalitatem. BRISS.

644. *Sordidum quiddam*] Quintil. libro duodecimo [10, 28], *in zephyris*, inquit, *zopyrisque si nostrae literae adhibentur, surdum quiddam et barbarum efficient sonum, Graecisque succedunt velut tristes et horridae*: *u* scilicet et *f*, quibus Graecia caret. Quod Quintilianus de vocali *u* quum ita censuerit, non censebit etiam magis barbarum et durum sonum *u* reddere quom in consonantem mutatur? nam nulla consonans literae vocalis vocalitatem seu euphoniam attingit. Ideo Terentianus recte dixit *vita* et *valens* excludere, id est exprimere, absonum quiddam sordidumque sonum, id est crassum. BRISS.

646. *Mutet ut situm*] Id est, habitum, figuram. BRISS.

647. *Nominum multa*] Id est, multa nomina. BRISS.

648. *reformat*] Alias *pervertit* legebatur, sed mendosum erat metrum. BRISS.

649. *Aeolica etiam*] Alias legebatur *Aeolica dialectos autem mista ferme est Italiae*, sed propter quod pedes inesse nothi videbantur, et immutavi et transmutavi. BRISS.

ib. *dialectos*] Διαλέκτους vocat Quintil. libro primo [5, 29.] genera quaedam loquendi. Diog. Laërt. [VII. 56. Διάλεκτός ἐστι λέξις κεχαραγμένη ἐθνικῶς τε καὶ Ἑλληνικῶς· ἢ λέξις ποταπὴ, τουτέστι ποιὰ, κατὰ διάλεκτον· οἷον, κατὰ μὲν τὴν Ἀτθίδα, θάλαττα, κατὰ δὲ τὴν Ἰάδα, ἡμέρη] in vita Zenonis Citiei, dicit dictionem esse, seu locutionem expressam iuxta gentium varietatem. Quintil. libro primo [6, 31.] de Etymologia loquens, *Continet*, inquit, *in se multam eruditionem, sive illa ex Graecis orta tractemus, quae sunt plurima, praecipueque Aeolica ratione (cui est sermo noster simillimus) declinata* &c. Priscianus lib. I. [p. 562, 563.] lib. II. [p. 589.] lib. VI. [p. 709.] aliisque libris docet cognationem Aeolicae linguae cum Latina. BRISS. *dialectos*] i. e. lingua. *Ἶνα vim, ἔαρ ver*. PETR.

ib. *mista*] Id est, *coniuncta*. BRISS.

650. *Hesperum*] Quem dicunt Graeci. Tortelius libro primo de orthographia, *Visum est*, inquit, *primum effugientibus spiritus asperitatem digamma pro aspiratione in quibusdam dictionibus uti, quos antiqui Romani sequentes loco aspirationis ipsum*

*digamma quandoque etiam apponebant.* Vnde quum pro illo postea *u* consonantem subiugarent, etiam nunc ubi illi *ϝespera*, nos *vespera* scribimus et proferimus. Sed primum teste Papyriano *ϝespera* scribebamus. BRISS.

ib. *cognominat*] Gens Aeolica supple. BRISS.

651. Ἑστία] Dores mutant η in α, quae mutatio familiaris est poëtis, dicitur enim ἑστίη ut ἑστία, estque α longum, quod supplet η, ut sit spondeus α *sic*. Alioqui versus non stabit. Gaza enim libro tertio [ ] si recte docet, debet esse brevis ultima ἑστία et similium. BRISS.

653. Ἔαρ] Unde *Earinus* apud Martialem, lib. IX. [xi.] Epigram. inflectitur, qui quod non possit inseri versui, queritur Martialis, vid. Epigram. *Nomen cum violis rosisque natum* &c. Poëtice prima producitur, unde Martialis, *sed tu syllaba contumax repugnas, Dicunt Earinon tamen poëtae.* Hendecasyllabum phalaecum est. Hic ἔαρ etiam primam producit. BRIS.

657. *Et Iolaus*] *Iolaus* filius Iphicli, qui senex ab Hebe restitutus est in iuventam, de quo Ovidius in nono Metam. [399.] et Thucydides libro I. [c. 62.] de Iolao [Maced.] attingit. Est autem nomen compositum ex ἴον et λαὸς quasi flos populi. BRISS.

ib. *VIoleus*] Quotquot contigerunt mihi exemplaria, in his *violens* deprehendi, sed quum Terentianus hoc loco solum agat de praeponendo ϝ dictionibus a vocalibus inchoatis, non potui videre qua ratione ex *Iolaus violens* fieret, et *violeus* maxime quadrare visum est, quod ex Iolao fit praeponenda ϝ et mutando *a* in *e*, quod est usurpatissimum apud Graecos. Ubi autem Cicero hoc dicat, necdum legi; sed si coniectura agendum est, illud esse in dialogis de rep. auguror, idque mihi in mentem venit quod Rufinus apud Priscian. [p. 2721.], ubi tractat de compositione oratorum, citat locum ex dialogis Ciceronis de Repub. non abhorrentem ab hac materia, facile enim inducor Ciceronem disserentem de rebus publicis divertisse obiter in διαλέκτους et quasdam proprietates linguarum. Hi dialogi si quando existant, certius quidem deprehendetur germana huius loci lectio, sed donec melius invenero, quod sensi, sentiam. Expunxi *ille* de versu, subieci *fit*. Ita enim legitur in aliis exemplaribus, *Et Iolaus ille violens crede Marco Tullio.* BRISS.

651. ἴτυς est circunferentia rotae, in qua radii infiguntur. BRISS.

ib. *Achaei*] Plinius libro quarto capite septimo, [141.] *Graecos,* inquit, *Homerus tribus nominibus appellavit. Myrmidonas, Hellenas, Achaeos.* BRISS.

ib. *Achaei, hanc*] Hic aspiratio impedit synaloepham, ut etiam in sequentibus. BRISS.

659. *Aeoliis*] Duo *ii* coëunt hic in unum. BRISS.

ib. A Strabone libro decimo tertio [p. 872=841.] pro regione Aeolicorum dicitur, hic tamen vice adiectivi fungitur, id est Aeolica, ut fere gentilia solent, velut Colchis, Argolis, Thessalis. BRISS.

660. *V Latina*] *I* et *V* quando consonantes sunt, ita inter se etiam differunt quantum ad sonum, quod *i* cognoscitur consonans quodam artificio ac peritia, eo quod illius sonus parum differt ab eo sono quem habet quando est vocalis, ut *iecur, V* vero solo aurium sensu facile cognoscitur propter sonum magis obesum et crassum, ac longe diversum ab eo quem habet quando vocalis est. PETR.

ib. *sic obesa*] Id est, crassa et velut absurda. BRISS.

ib. *sordet*] Id est, iacet, absonat. BRISS.

ib. *a vocalibus*] Id est, prae vocalibus elementis sonoris Latinorum: neque enim putem vocalia proprie sed communiter hic dici, pro consonis etiam quae participant vocalitatem quandam, de quibus statim sub principio dictum est. BRISS.

661. *has utrasque*] Id est, *i* et *u*. BRISS.

662. *Nomen* I *quod consonantis*] Sensus est: *I* gerit nomen consonantis, id est, quom *i* facta est consonans, sonum quidem consonantis Latinae retinet: tum enim tenuiter et leniter sonat, et quodammodo refert sonum *g*, quando scilicet ponitur ante vocales *o a u e* ut *iecit*, ubi tamen non proferendum est quasi dicas *gecit*. BRISS.

ib. *V vicem solam*] Sic absona *u* facta consonans, ut nullius consonantis nomen possit nancisci. Est enim vicaria solum digamma Aeolici. BRISS.

663. *Hanc*] Id est, vicem consonantis quam refert *u*. BRISS.

664. *Illius*] Id est, *i*. BRISS.

ib. *conversionem*] Id est, mutationem in consonam. BRISS.

ib. *arguunt*] Ostendunt. BRISS.

665. *Haec erit lex*] Quae supple praedicta est, scilicet quemadmodum *u* vim vocalis modo retinet, modo vicem consonae. Itemque *i*. BRISS. Aliud est in quo praedictae literae inter se simul sint, quod utraque in principio dictionis nulla praecedente consonante et per se nudam syllabam efficiunt, ut *ibi*, *ubi*. Et cum allis consonantibus, ut *inde*, *unde*, retinent magis tenuem spiritum quam *u*, id est, sonum viciniorem vocali ipsi quam *u*, ut esset *iecur*, *vado*. PETR.

ib. *rettuli*] Pleonasmus est. BRISS.

667. *quaelibet*] Id est, *quaecunque sit*. BRISS.

668. *Nam*] Id est, *sed*, aut *insuper*. BRISS.

ib. *Nam media*] Rursum aliud est in quo *i* et *u* differant. Nam praecedente aliqua consonante et statim *i* sequatur deinde *u*, sive vocalis sive consonans, non erunt ambae in eadem syllaba, ut *pius* et reliqua ostendunt exempla: si vero post consonam priorem locum occupet *u*, deinde *i*, erit unica syllaba ut in exemplo *cui*, quod ipse mox subdit. PETR.

ib. *syllaba una non erit*] Id est, *nunquam erit una syllaba*. BRISS.

671. *ἰῶτα*] Literam. BRISS.

672. *Media porro si locetur* V, *fit una syllaba*] Si inter consonantem *c* et *i*, *u* litera ponatur, unica tantum fiet syllaba, ut *cui*. PETR.

ib. *fit una syllaba*] Id est, est ubi fiat syllaba, ut *cui*, *quis*, *dives*: est tamen et ubi non fiat una syllaba, ut *caluimus*, *debuimus*, *docuimus*, *&c*. BRISS.

673. *Ecce rursum*] Aliam inter *i* et *u* differentiam author docet, ut in hoc dativo *cui*, quem dicit non esse disyllabon nec diphthongum cum habeat consonantem praepositam: et nulla diphthongus incipiat ab *u*, licet non haberet *c* antepositum; neque vult hanc *v* esse digammon, i. e. consonantem, quamvis sit ante *i*. PETR.

674. *Cui siquando, &c.*] Probus [ap. Pierium ad Virg. Geo. II. 204.] "Dativus *cui*," inquit, "interdum ex duabus brevibus constat, ut, *Et cui putre solum*: interdum ex brevi et longa, interdum in sinaloephem cadit." Priscianus libro XIII. [p. 961.] *Quaeritur*, inquit, *in hoc modo declinationis, cum omnis dativus una syllaba minor sit genitivo, ut* illius, illi; istius, isti; ipsius,

ipsi. *An* huius, huic; cuius, cui; eius, ei; *monosyllaba sint accipienda in dativo? quod regula exigit; et plerique poëtarum metris comprobant, ut Vergilius Aeneidos IV.* [213.] *cuique loci leges dedimus, connubia nostra, &c. Idem in I. Georgicorum* [171.] *Huic a stirpe pedes temo protentus in octo. Et ubique hoc servat. Invenitur tamen, sed raro, dissyllaba.* Dicit ergo merito Terentianus, si Prisciano credimus, *Cui siquando dico, non erit dissyllabum.* BRISS.

679. *Nam nisi insequatur*] *Cui* ait semper esse brevem nisi consona sequatur, longamque fieri sequente consonante, quod Virgilianis exemplis probat in litera. Nam sic habentur apud Virgilium [Georg. II. 373.] *Cui, super indignas hyemes solemque potentem:* et, *Cui tu lacte favos, &c.* In quibus *cui super* esse dactylum, et *cui tu* spondeum esse patet: quia tempus breve literae *u* adiuvatur a sequenti consonante *s* vel *t*, quarum unaquaeque addita huic literae *i*, quae item consonans est in *cui*, et facit positionem. PETR.

680. *addita*] Aliqua consonantum supple. BRISS.

681. *Cui super*] Fragmentum est ex secundo Georgicorum. Sic enim habetur in Verg. [v. 373.] *Cui, super indignas hyemes, solemque potentem, &c.* Sed immutavit quaedam ex commodo versus. BRISS.

682. *Dixit*] Vergilius supple. BRISS.

ib. *cui tu favos*] Fragmentum est etiam ex Georg. I. [344.] sic enim legitur versus integer: *Cui tu lacte favos, et miti dilue Baccho, &c.* BRISS.

ib. *pes hinc*] Id est, ex his fragmentis Vergilii: sic enim vel prima dactyli, *cui super,* prior spondei *cui tu* supple. BRISS.

686. *Hanc brevem*] Quoniam proxime dixit hunc dativum *cui* esse unicam syllabam naturaliter brevem, sed tamen fieri longam sequente consonante propter positionem *i*, quae consonans est in ea parte orationis *cui*, et sequentem consonantem, ut in superioribus exemplis: nunc innuit nos tum demum posse cognoscere utrum in hoc dativo *i* consonans sit ultimo loco posita, an *u* praecedens, si prius discusserimus utrum per *q* an per *c* scribi debeat: nam si per *q* scribitur, *i* necessario vocalis est, si per *c*, aut monosyllaba vox erit, et tunc *i* consonans aut disyllaba, et tunc *u* et *i* vocales erunt ut apud Prudentium invenitur. PETR.

687. *quatenus*] Id est, *quomodo*. BRISS.

690. *Ante quod*] Anastrophe est: id est, *quod ante, &c.* BRISS.

694. *constare*] Id est, *manifestum esse*. BRISS.

695. V *prior*] An supple. BRISS.

697. *Tertia his quod implicari &c.*] Nam coire in syllabam duae vocales non possunt nisi diphthongi nomine, et quanvis Quintilianus libro I. [4, 11.] quaerat quomodo duabus in se ipsas coëundi natura sit, quum consonantum coëat nulla, nisi alteram frangat? sed illa quaestio Quintiliani non eo spectat ut duae diversae rationis coëant in unam syllabam, praeterquam quod in diphthongis, sed duae eiusdem nominis; ut doonum, viirus ex more antiquorum, de quo etiam meminit in cap. de Orthographia. BRISS.

701. *Principale*] Id est, *rectum*. BRISS.

ib. *Principale sed videmus*] Ratio exigere videbatur, ut dativus ille de quo agimus per *q* potius scriberetur, cum etiam reliqui omnes casus utriusque numeri scribantur per *q*. (In quo obiter annotandum antiquos scripsisse etiam *quuius* genitivo sing. per *q* et duplicem *u* in priori syllaba). Sed relicta veritatis regula scripsisse per *c* distinctionis gratia ad tollendam ambiguitatem inter dativum singularem et nominativum pluralem, in quo quasi invenere [f. innuere] videtur antiquos scripsisse etiam nominativum pluralem duplici *u*, deinde etiam brevitatis causa ut duas syllabas in unam contraherent. Nam si per *q* scribatur, ut dictum est, disyllabum est; si vero per *c* monosyllabum. Deinde subiungit *q* nihil aliud esse quam *c* et *u*, quam quidem literam *u* ipsum *q* semper ita post se comitem trahit, quaecunque vocalis deinde sequatur; ut potius ipsius *q* tunc portio esse videatur quam vocalis: neque tamen prius *q* perficit syllabam, nisi post *u* alia sequatur vocalis, ut vult exemplis probare inferius; cum *c* sequente tantum *u* sive alia vocali syllabam perficiat. PETR.

702. *ratio*] Id est, *regula, deflexio*. BRISS.

703. *secundus*] Id est, *genitivus*. BRISS.

ib. *quiius*] Authores sunt Priscianus, Diomedes, Donatus, Quintilianus, aliique non pauci medium esse sonum et quasi confusum inter *i* et *u*. *Quando* enim *mediae sunt alternos inter se sonos videntur confundere*, ut ait Priscianus libro I. [p. 539.]

quod dico ne forte videatur esse commenta a me quaedam nova pronuntiatio genitivi quiius. Nam *i* vocalis in medio sonum *u* referre potest. Quanquam Sergius Grammaticus [p 1827] ait *i* et *u* in medio dictionum suos expressos sonos habere quando porriguntur, confusos autem quando corripiuntur. Sed cum Priscianus, et quae paulo post disputabit Terentianus me magis inclinent et evocent quam Sergius, in genitivo *quiius*, *i* sonum confundere cum *u* assentior: quanvis quid discriminis aut calamitatis in rem literariam videatur imminere si non detrectem in genitivo *quiius* expressum suum sonum retinere in priore syllaba? Non igitur abhorrente ratione, occasione ita ferente, dubitavi *quiius* scribere: quae occasio in processu glossae significabitur amplius. BRISS.

709. *Vsque*] Id est, semper. BRISS.

ib. *revelli*] dividi, separari. BRISS.

712. *Et potest plurale*] Hic versus alias legebatur, ut etiamnum legitur, praeterquam quod in imo non legebatur *facile*, qui quod parte ab ima claudicabat, ut ait Terentianus, id addidi quo acatalectus esset. BRISS.

713. *nutante casu*] variante, incerto, dubio. BRISS.

ib. *sensum sequi*] Id est, assequi sententiam. BRISS.

714. *Vsus, ut solet*] Quintilianus lib. I. [5, 64]: *sed authoritatem*, inquit, *consuetudo superavit.* Idem [I. 7, 11]: *Verum*, inquit, *orthographia quoque consuetudini servit, ideo saepe mutata est.* BRISS.

715. *propinquam*] Id est, cognatam. BRISS.

ib. *compendio*] Id est, expeditae rationi, et viae intelligendi. BRISS.

716. *Ergo per C*] Quintilianus lib. I. [7, 27.] de Orthographia loquens, *Nunc*, inquit, *illud melius quod cui tribus quas proposui literis enotamus, in quo pueris nobis ad pinguem sane sonum* quoi *utebantur, tantum ut ab illo* qui *distingueretur:* licet Donatus in Andr. [ ] author sit veteres *cui* per *q* scripsisse etiam sine *o*, uti Quintilianus annotavit BRISS.

719. *Q non constat*] Diomedes lib. II. [p. 420]: *Q*, inquit, *consonans muta ex* c *et* u *literis composita est.* Priscianus lib. I. [p. 560]: *Apud antiquos*, inquit, *frequentissime loco* cu *syllabae* quu *ponebatur*, *et e contrario ut arquus, coquus, oquulus, pro arcus, cocus, oculus*, &c. BRISS.

720. *B velut vel K*] Sensus est, quia vides *q* esse mutam velut *b* vel *k*, quibus proprium est quum a se incipiant vocali terminari, omnibus quidem in *e* desinentibus, praeter *k* et *q*. BRISS.

721. *Q velut sit*] Alias ita legebatur, *velut* q *et* c *quoque et* u, *plenius quod postmodum*, sed illegitime. BRISS.

ib. *plenius quod postmodum*] Id est, quod amplius in sequentibus declarabitur. BRISS.

722. *Sic in unam Q*] Sensus est, *c* et *u* sic redactae sunt in solam literam *q*, &c. BRISS.

724. *habitum*] Id est, *formam, vim, qualitatem*. BRISS.

725. *Nanque Q praemissa*] Non mediocri indigent hi versus expositione, quorum haec est summa: quod nulla dictio scribitur per *q* nisi sequente *u*, et non efficit syllabam nisi sequatur aliqua ex vocalibus: quia si sola *u* restet, *q* non praeponetur ei sed *c*, quare secus scribetur *equos, queraela*, ac similia, secus *curo* et *cupido* et talia, ut videre est in litera. PETR.

735. *CVro cum—dicis*] Alias legebatur *Curo quum vel cupido dicis curro vel custodio*. BRISS.

736. *Vnde nomen qui*] Id est, aliqui. BRISS.

ib. *Vnde nomen qui sequondi rectius scribi putant*] Movet author quaestionem non illepidam utrum hoc nomen *secundus* scribi debeat per *q u* et *o*, an per *c* et *u*, dicens aliquos esse per *q u* et *o* scribendum putant, quia deducitur a *sequor* verbo quod eisdem literis notatur: sed eos ait veritatis regulam non obtinere, quoniam in ipso verbo duae sunt vocales simul in eadem syllaba, quod merito et necessario vult *q* ante *u* et *o* locari. In *secundus* autem *u* sola est in una syllaba, ante quam solam recte *c* ponitur, et hoc modo *secundus* primitivum suum non sequitur in orthographia: cui *u* vocali si tertia vocalis adderetur, necesse esset ut *q* praeponeretur, et esset sola syllaba, ut praedicta te docuerunt exempla. PETR.

738. *Quia seQVOr easdem habebat*] Hic non est ecthlipsis. BRISS.

741. *Et locamus iure*] Alias ita legebatur, *Et merito tunc* Q *locamus exigente syllaba*. BRISS.

744. *Quippe origo prima*] Quintilianus lib. I. [4, 13]: *Praepositio*, inquit, *et declinatio multas afferunt mutationes*. BRISS.

748. *Non tamen prior*] Occurrat forte aliquis in dativo *cui*,

*u* fieri consonam: sed obiectioni iam satisfacit Terentianus. BRISS. Aliam adducit rationem qua ostendit quod *u* post *q* videri non potest consona, verum si praeponatur alteri vocali nuda, i. e. nulla praecedente litera, tunc est consonans, aut cum figuram sumit digammos, ut apud Aeoles: aut saltem sonum ipsius digammos de quo supra. In hoc ergo nomine *secundus u* est vocalis, quae pati non potest *q* ante, sine alia vocali post ipsam *u*. Hoc carmen, *Quando et haec digammos* &c. meo iudicio ab omni metrorum ratione abhorret. PETR.

749. *quia*] Id est, propterea quod. BRISS.

750. *Nuda sed prior*] Id est, sed quum prior *u* scilicet sit nuda, tum fit consonans. BRISS.

ib. *subacta est consonae*] Id est, domita et versa in consonam. BRISS.

751. *Quando non digammi*] Hi versus longe aliter in aliis exemplaribus inserebantur, sed mendose: tamen ut liberum iudicium cuique relinquamus, subieci expunctam lectionem.

> *Quando et digammos sumit et formam et sonum,*
> *Nunc sonus vocalis illi qui solet quum libera est,*
> *Praedita est vel consonanti, nunc enim est vocalis* I.
> *Et tamen videmus illam consonae vim sumere* &c.

BRISS.

752. *Nunc sonus*] Ostendit *u* interdum habere et sonum vocalis et vim consonantis simul et semel, ut in illis duobus exemplis Virgilianis, *tenuia* in Georgicis, et *genua labant* in V. Aeneidos [432]: in quibus *u* tametsi habeat sonum quem semper habet cum vocalis est, tamen tenet vim consonantis; cum praecedens syllaba *ten* et *gen* natura brevis producatur positione, quanquam alii aliter sentiant. PETR.

754. *tamen*] Id est, tandem. Sic Quintil. lib. I. [4, 9]: *Et nostrarum ultima* x, inquit, *qua tamen carere potuimus, si non quaesiissemus*. BRISS.

ib. *videmus illam vim consonae*] Id est, iure poëtico in his *tenuia, genua*, et aliis, ut *ariete, parietibus*, *u* et *i* induunt vim consonae, quum suapte natura vocales sint in his dictionibus. Probus enim in Institutis Artium [p. 1432], ponit modum unum positionis, *si post vocalem subiecta sit consonanti vocalis* i *vel* u, *et correptam vocalem habeat consequentem, ut parietibus:* ubi *quoniam prima pars dictionis correpta est, hoc genere posi-*

*tionis primam syllabam longam efficimus: secundam nanque syllabam resecamus per medium, et praecedentem consonantem primae syllabae conglutinamus. Vocalem autem ad tertiam revocamus, et loco consonantis defigimus, qui modus positionis* apud Vergil. frequens est. Nec unquam aut usquam apud Vergilium proceleusmaticus pes inseritur, quanvis varient sententiae. BRISS.

755. *TenVIa ut dixit poëta*] Ex secundo Georgicorum Vergilii [397] istud decerptum est. Vergil. verba sunt: *Tenuia nec lanae per caelum vellera ferri.* Item [Georg. II. 121.] *Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.* BRISS.

758. *et digammos effici*] Alibi legitur *nec digammos effici*, sed ea lectione proditur Terentianus non sibi constare. Quare loco *nec*, *et* supposui. BRISS.

759. *GenVA quum labant*] Ex V. Aeneidos [432] ductum est istud. Vergilii verba sunt, *Genua labant: vastos quatit aeger anhelitus artus* &c. BRISS.

760. *Nec potest et hoc*] Exponit author quod non satis liquet an *i* in fine istius dictionis *cui* sit consonans an vocalis, licet superius dixit esse consonantem. Nam si *i* in *cui* est consona, pes iste *cui super* erit dactylus, *u* longa existente positione *i* et *s* consonantium sua retro administrantium tempora: dicitque *i* semper esse vocalem consequendo *u*. Hac quoque ratione istud ostendit, quod casus sequentes quales sunt *quibus a quis* vel *a quibus* vocalem esse docent. Immo ait si *u* vocalem putamus, magis *i* subsequentem vocalem iudicabimus. PETR.

761. *paretur ceu duabus consonis*] Id est, tanquam prima pedis cui super efficiatur longa propter duas consonas, scilicet *i* et *s*. Alteram *u* supple, tertiam id est *i*. BRISS.

766. *Nunc quod hanc*] Movetur hic quaestio ab authore utrum ex *u* et *i* fiat diphthongus in *cui*, et *u* non sit Latina litera, sed Graeca, ut in exemplis *γυῖα, υἷας*, ac non adiuvetur a consonante sequenti, videlicet *cui super*, *u* longa non sit posita *i* et *s* consonantum, sed longa natura, quanta est *a* in *trans*, quae semper est vocalis longa in ea dictione, quod patet ex eius compositis, ut *trano*, et nihil iuvatur a consonis sequentibus. Insuper an magis *cuii* per duo *i* scribendum sit, ut *i* habeat hic vim duplicis consonantis, sicut habet in illis

dictionibus *quiius* sive *cuiius*, *Maiia*, cum ipsae dictiones *quius*, *Troia*, *Maia* etiam sint ex tribus vocalibus. Et sic in *cui super*, *u* esset longa sine adiumento propinquae consonae, videlicet *s*, quando in *quuius* *i* facta consonans priorem longam reddit, in quibus dictionibus nonnulli volebant *i* geminari, de qua re ibi atque *i* geminum scribere nos iubent magistri, et reliqua. PETR.

766. *Nunc quod hanc diphthongon*] Terentianus post longam dissertationem syllabae *cui* tandem colligit syllabam unam esse, quasi diphthongon *ui*, *v* et *i* referant in syllaba *cui*. Id quod mea sententia peritissimum simul et reconditissimum est. Γυῖα, γυῖον, membrum omne dicitur. BRISS.

768. *υἷας*] Id est, *filios*. BRISS.

772. *An magis cuii*] Id est, quod me impulit ut *quiius* per duas *i* ante scripserim. Nam unde geminum *i* istuc accerseretur, nisi in genitivo deprehenderentur duo *ii*? quae in dativo perstare dicentur ad subsidium quantitatis, quemadmodum veteres *hicc* gemino *cc* conscribebant exclusa ultima syllaba. Nam pronomen hoc integrum apud vetustissimos erat *hicce*, *haecce*, *hocce*, unde *hocc* duabus consonantibus consequentibus solent poëtae producere ut ait Priscianus lib. XII. [p. 948.] BRISS.

773. *sequens casus*] Id est, genitivus, qui ante secundus appellatus. Quintilianus lib. I. *Sequentem syllabam* appellat *secundam* ibi, [I. 5, 23.] *Aut flexa pro gravi ut a pice piceus circunducta sequente:* quem locum non me fugit vulgo aliter legi, sed sensu tam confuso quam incommodo. BRISS.

775. *Cui super sed*] Alias legebatur *cui super* &c. BRISS.

776. *Quando quiius*] Id est, huius genitivi, *quiius*, prior supple syllaba. BRISS.

ib. *facta cum sit consonans*] Supple *i* posterior, duplex in genitivo *quiius*, ut in *Troia* et *Maia*, quae sive duplex consonans permaneat in dativo *cuii* (id quod non crediderim) sive in vocalem remigret, priorem semper iuvabit uno tempore: unde *cui super* prima syllaba non iuvabitur a propinqua consona, scilicet s. . BRISS.

777. *Haec putavi*] Hactenus Terentianus disseruit de syllaba *cui*, qui diversa quum attulerit, eligendi id quod potius est omnibus integrum relinquit. BRISS.

ib. *Haec putavi colligenda*] Hoc versu notat praescriptas omnes rationes et exempla adhuc esse sub iudice, et apostrophans ad lectorem dicit, Ego collegi haec pauca de *cui*, tu autem sequere quod tua tibi suadeat voluntas. Υι est ypsilon iota subscripto. Γυῖα membra, υἷας sucula stella. PETR.

ib. *sequere*] A sequar, secunda est persona. BRISS.

778. *Nec minus natura*] Consonantium natura non minus varia est quam vocalium; verum magistri non omnia exacte prosequuntur, ne puerilia ingenia supra modum onerentur, sed observant illud Horatii, *Quicquid praecipies esto brevis.* Dividuntur, inquit, igitur ipsae consonantes in mutas novem et septem semivocales: ex novem mutis author tres ut supervacuas vult excipi, videlicet, *k, h,* et *q*, quae penitus supervacaneae habentur. De *k* et *q*, inferius ratio demonstratur. *F* veteres non ponebant in numero mutarum sed semivocalium, sola nominis ratione ducti. Et tamen novem esse mutas dicebant, numerantes *h* inter illas: ex quibus hoc loco Terentianus tres, hoc est, *h, k, q*, abiiciendas dicit. PETR.

779. *Digerunt*] dividunt, discernunt. BRISS. dividunt. PETR.

780. *praegraventur*] Obtundantur, opprimantur. Cicero in tertio de Oratore [c. 23.] *Ista*, inquit, *discuntur facile*, (quanvis in diverso genere constituat, ad hoc tamen deflecti potest) *si et tantum sumas quantum opus sit, et habeas qui docere fideliter possit, et scias etiam ipse discere.* Pueri autem cum iudicio necdum valeant, *instituentibus rudes, non erit inutilis latius primo confusa ratio, et si non statim rectissima linea tensa, facilior tamen et apertior via*, ut inquit Quintilianus, lib. III. [6, 82.] nam quomodo rudes exigent literas esse superfluas (superfluas enim censemus esse quarum sonos aliae complent) quum non sit cuiuslibet auris sonos exigere literarum? Scite igitur dixit Terentianus, Ne praegraventur rudes (qui adhuc ista minuta acumina non capiunt) magistri literas parcius, id est minus, discriminare, id est distinguere, solent. BRISS.

781. *item*] similiter. BRISS.

782. *ordo uterque*] Id est, series et numerus mutarum et semivocalium nota sunt. BRISS.

784. *Vna nam spiramen*] *H* aspirationem omnibus praeponi vocalibus, ut patet in litera, et quatuor tantum consonantibus postponi notatur. Exempla in litera praesto sunt. PETR.

787. *RHamnum*] *Rhamnus* genus est rubi, seu fruticis notissimum. BRISS.

789. *Sola nec vocalis*] Dicit author, quod *h* non est nec vocalis nec consonans; neque syllabae breves ab ea tempus recipiunt: tamen, inquit, quod quoties ista aspiratio duabus his vocalibus *v* et *i*, praeponitur, utpote in *huius* et *huic*, adimit ac tollit vim consonantis, quia non permittit *u* esse consonam: cum necesse sit ipsum *u* ante vocalem locatum semper esse consonantem, si aspiratione careat, ut clarum est his in dictionibus *vigor*, *valens*, *vetus*. PETR.

793. *HVIus aut HVIC*] Id est, harum dictionum. BRISS.

794. *non sinit*] Supple aspiratio, *V* digammon esse nec consonam. BRISS.

795. *quia semper necesse est*] Sensus est, necesse est quom ante vocalem locatur fieri digammon *V*, sed id fit quom caret spiramine. BRISS.

797. K *similiter otiosa*] Sergius Grammaticus [p. 1828.] *K*, inquit, *et* Q *quae nonnullis superfluae videntur, hanc habent rationem, ut* k *tunc praeponatur, quando eam* a *sequitur, sed hoc in paucis nominibus observatur, ut* Kalendae, Karthago. Sergio accedit Diomedes libro II. [p. 417.] *K*, inquit, consonans, muta supervacua, qua utimur quando *a* correpta sequitur; ut *kalendae*, *kaput*, *kalumniae*. Nec solum *k* utimur quando *a* correpta sequitur, dicit; sed quod *k* necessario scribatur, alibi tradit. Quintil. tamen capite de Orthographia [I. 7, 10.] *Nam* k *quidem in nullis*, inquit, *verbis utendum puto, nisi quae significat, etiam ut sola ponatur: hoc eo non omisi, quod quidam eam quoties* a *sequatur necessariam credunt, quum sit* c *litera quae ad omnes vocales vim suam perferat*. Priscianus [p. 543.] Quintil. subscribit. *Nulla*, inquit, *ratio videtur cur* a *sequente* k *scribi debeat*, *&c.* Ita non grammaticis inter ipsos de litera *k* convenit. Sed Terentianus velut per mediam viam ingrediens, necessariam hanc non ponit, quom adnotamus *kaput* aut *kalendas*, sed in usu tantum esse tradit. BRISS. Notat *k*

supervacaneam esse literam nisi cum haec nomina *kalendas*, *kaput*, *kaesones* scribimus, ut in textu. PETR.

800. Q *vacare*] Author ait quod *q* prorsus esset supervacuum, quia *c* loco illius poni posset; nisi probatum esset semel tantum uno casu recte poni, cum edit syllabam duabus vocalibus iunctis, sc. cum sonus pinguior reddendus est, ut superius retulit in dictionibus, *qui*, *quo*, *quibus*, *quos*. Et fortasse melius legitur *simul* quam *semel*. PETR.

802. *Casus*] Id est, *occasio*, *conditio*, *locus*, *eventus*. BRISS.

ib. *semel*] Id est, *semper*, *immutabiliter*. Raphael Regius in Quintil. [l. 2, 24. p. 19. ed. Capper.] ibi, Ne amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet. *Semel*, inquit, *irrevocabiliter*. *Quae enim semel duntaxat fiunt, ea irrevocabilia sunt*. Sic Cicero in Oratione pro Deiotaro [c. 14.] ibi, *Tum de multis amplissimis viris quibus semel a te ignotum esse oportet*, *&c*. lege Vallam libro VI. [c. 20.] BRISS.

803. *syllabam iunctis duabus*, *&c*.] Quintilianus libro XII. [10, 30.] *Duras*, inquit, *et illa syllabas facit, quae ad coniungendas demum sibi vocales est utilis, alias supervacua, ut* equos *aut* equum *quom scribimus*. BRISS.

805. *Nunc loquar natura &c*.] Alias non legebatur *sit*. BRISS. Docet mutas proferri non posse sine vocalibus; ad prolationem quarum mutarum necesse prius est formare syllabam puta *be ce* quam una ex mutis proferatur. PETR.

806. *Nulla iam mutis facultas*] Repete quae dicta sunt in primo tractatu de mutis. BRISS.

810. *Quisque at si &c*] Hic non est ecthlipsis. BRISS.

ib. *resignet*] i. e. *aperiat*, *explicet*. BRISS. i. e. *aperiat*. PETR.

811. *qui*] i. e. *quomodo*. BRISS.

812. *Semivocales videmus oris*] Repete quae sub principio statim dicta sunt de vocalibus, semivocalibus, et mutis. Donatus [p. 1736.] in Arte prima, *Semivocales*, inquit, *sunt quae per se proferuntur, et per se syllabam non faciunt*. Id quod nunc innuit Terentianus quom ait, *semivocales videmus oris exprimi sono vel solas*, *&c*. BRISS. Semivocales habent sonum

qui in ore exprimitur, ut *m n s x*, quamvis vocales suum illis sonum non accommodent, sicut mutis. PETR.

815. *Verum enim*] De hoc ante dictum est, ibi, [v. 501.] *Verum enim nec praelocari sic apud Graios potest &c.* BRISS. Duae mutae in eadem syllaba non simul iunguntur in principio dictionis, nisi *ct* et *pt*, atque hae non nisi in Latinis mediis et ultimis syllabis. PETR.

ib. *binae ligari non queunt*] In una syllaba supple, nam in diversis possunt. BRISS.

817. *cuius quae*] Id est, quae consonae alicuius nominis, &c. BRISS.

ib. *tenent primordia*] Id est, principalem locum verbi, capita verborum. BRISS.

818. *modo*] Id est, *tantum*. BRISS.

822. *Semivocales oportet*] Diligentius et maiori cura semivocales separari oportere scribit; quas quia versu notari non posse iudicat, dicit se eas *sinopide*, i. e. *rubro colore*, signaturum numero ut per titulum innotescant. PETR.

823. *indi*] Id est, *inseri*, *imponi*. BRISS.

825. *Titulus*] Hic prima producitur, licet fere dicatur praeter naturam primitivi (quod est tutor) corripi. BRISS.

ib. *sinopide*] Hoc ante explicatum. BRISS.

826. *Prima mutas*] Priscianus lib. I. [p. 541.] magnopere contendit *f* inter mutas, non semivocales referendam esse, et libro II. [p. 569.] Terentianus tamen cum Donato, Diomede, aliisque grammaticis inter mutas collocat. BRISS. Tractatus de semivocalibus primam earum quae est *f* dicit in nulla dictione simplici duplicatam poni posse, nec in principio nec in medio, sive utcunque sit, sed tantum in dictione composita, ut *suffero*: ita tamen ut *f* non esset in priori dictione, videlicet *sub*: sed *b* ita sonum suum confundit, ut quasi ex duobus sonis sc. *b* et *f* sit factus unus, ac *b* in *f* coaluerit. Immo, quod magis est, haec litera *f* non potest praecedere nec subsequi ullas ex mutis. PETR.

830. *Et prior non haec eadem &c.*] Nam prior pars est *sub* praepositio. BRISS.

831. *Sed sonum confundit ipsa partium conlisio*] Id est, *coagmentatio*, *constructio*, qua sonus quidem prioris partis frangitur. Quintilianus tamen lib. IX. [4, 37.] *Et s*, inquit,

*ultima, cum* x *proxima etiam sibi si collidantur, stridor est* vastus, &c. *si collidantur*, id est, si post *s* finalem, sequatur *x* et contra, ut interpretatur quidam commentarius non indoctus: quae interpretatio huic loco non etiam prorsus absonat. BRISS.

832. *Quattuor post hanc locatas*] Quare *l m n r* udae a Graecis vocentur, a Latinis liquidae dicuntur, versibus his author ostendit: dicens lubricam naturam illis inesse quia syllabam naturaliter brevem post mutas hae *l* et *r* positae communem faciunt: tollunt discretionem pedum cum post mutas positae efficiant ut praecedens syllaba brevis sine ambiguitate ponatur vel brevis vel longa: ministrant vero usum consonantum cum ipsam syllabam brevem efficiant longam, usum autem vocalis cum eandem syllabam brevem etiam brevem relinquant. Adde quod hanc dictionem *melos* in versu Persiano, *Cantare credas Pegaseium melos*, Aldus nec mutari nec amoveri voluit, quod liquida *l*, in ipso nomine, sicut [*a*] labda etiam apud Graecos, hanc vim habet, ut sola possit producere praecedentem syllabam brevem. PETR.

832. *Graecus udas nominat*] Graeci vocant mutas ὑγρὰ, nostri vero *udas*, nam quasi humide fluunt et labuntur (quantum ad potestatem) in dictionibus. BRISS.

833. *alternus vigor*] Id est, modo vis illis inest tempus unum, modo semissem temporis exhibere. Quod eo intellgigitur etiam, quom dicitur, *Nunc vocalis usum, nunc ministrant consonae*. BRISS.

835. *vel hinc*] Id est, secundum usum vocalis. BRISS.

ib. *vel inde*] Id est, secundum usum consonae. BRISS.

838. *Atque item fratrem, frugem atque frondem nominas, et talia*. COMM.

839. *Non item potest secundam*] Rationem affert quare *f* ante *m n* non ponatur, quae est quod haec litera *m* emittit sonum caecum et absconditum in ore, *n* vero in dictionibus Latinis ante se *f* poni non patitur. Unde quando puer scribit *Daphnin*, a magistro admoneri debet ne id nomen cum *f* ante *n* scribat, quia Latini siquando φ Graecum exprimere volunt loco illius ponunt *p* et *h*, ut *phosphoron*, *phrigas* et *philum*. PETR.

840. *Quia secunda mugit*] In pronuntiatione literarum dictum est satis de sono *m*. Quintil. etiam lib. XII. [10, 31.]

*Quid quod pleraque nos illa quasi mugiente litera cudimus* m? *Qua nullum Graecum verbum cadit.* BRISS.

846. *Cuius a Graeca recedit*] De sono *F* leni atque hebete, id est, remisso et quasi oppresso, satis retro dictum est. BRISS.

847. *PHosPHoron PHrygasque nam vel dysphilon*] Alias legebatur *philon*, sed non constabat carmen. BRISS.

848. *Consonans autem*] Pollicetur author se breviter dicturum quomodo consonantes inter se coniungantur, et quae cuique vel praeponatur vel postponatur, ut obscuritas omnis tollatur qua pedum regula turbatur et metra laeduntur. PETR.

850. *visum est*] Hic non est ecthlipsis. BRISS.

851. *In breve ut redacta sylva*] *Sylva* apud Quintil. lib. X. cap. 3. [17.] est quicquid ex tempore aeditum est, nec lucubratione ulla limatum. Acron in secundo sermon. Horat. [ ] *schedium* appellat. Alioqui pro copia seu materia ponitur apud Ciceronem in De Orator. [III. 24.] saepius: *Rerum*, inquit, *est sylva magna.* Et alibi, [Orat. c. 3.] *Omnis ubertas et sylva dicendi* &c. Cicero in I. De Inventione [c. 24]: *Veruntamen non incommodum videtur*, ait, *quandam sylvam atque materiam universam ante permistam et confusam exponere omnium argumentationum* &c. Hoc loco pro copia seu multitudine seu materia syllabarum ponitur, quas omnes perdiscendas Quintilianus acriter exigit, ut ante dictum est. BRISS.

ib. *caliginem*] Id est, *confusionem*. BRISS.

852. *Neu subesse praeter istos*] *Putetur* supple. BRISS.

ib. *casus*] Id est, *eventus, occasiones*. BRISS.

ib. *alios*] Alias *plures* legebatur sic, *Neu subesse praeter istos quos loquar casus plures;* sed septimus pes erat nothus. BRISS.

854. *Praeter udas ergo*] Dicit quod *f* in nulla dictione poni potest sequente una ex mutis, nec ex semivocalibus nisi *l* et *r*, ut exemplis superius patuit. PETR.

856. *Quattuor post hanc*] Ait quattuor praedictas semivocales nunquam alias praeponi mutis in dictionibus: veluti si ante *b*, et (c.) poneretur aliqua semivocalium: sed priorem et extremam ipsarum quattuor, videlicet *l* et *r*, postponi multis mutis quas recenset, exempla vero tantum de *l* subiungit. PETR.

858. *conditae*] positae, structae. BRISS.

860. *Primam atque quartam*] Hic nusquam ecthlipsis est: alias ita legebatur: *Primam atque quartam, quod palam exemplis erit.* Ubi non modo pedes nothi, sed et claudicatio syllabarum deprehenditur. BRISS.

864. *D cum hac*] Eandem mutam *l* ait nunquam poni post *d q* nec *t* in principio dictionis, post *t* tantum in dictionibus Graecis, ut *Tlepolemus*. PETR.

866. *TLepolemus*] Apud Capellam lib. III. [s. 256.] pro simili exemplo Tlepolemus etiam legitur: in exemplari tamen vetusto eoque manu scripto Tleptolemus, apud Priscianum similiter libro I. [p. 564.] si modo emendata sint exemplaria, sed Tlepolemum legi malo, nam Graece τληπόλεμος apud Homerum legitur: ubi penultima brevis est, hic tamen longam esse ratio metri postulat. Est hic igitur aut ectasis, aut fecit Terentianus quod Graecis fieri solet, apud quos non solum muta cum liquida facit vocalem praecedentem indifferentem, sed et liquida sola, de quo lege Aldum lib. IV. in titulo De primis syllabis. Unde intelliges penultimam Tlepolemi posse produci a liquida *m* sequente. BRISS.

ib. *ATLas*] Hic *s* liquescit, quod fieri posse Priscianus lib. I. [564.] docet. BRISS.

867. *Vda quarta*] Docet author quod *r* praeter quatuor literas *b*, *c*, *g*, *p*, etiam *d* et *t* potest adiungi. PETR.

869. *PRocas*] Ita apud Eusebium [Chron.] legitur: apud Livium [I. 3.] aliosque *Proca* sine *s* legitur. Tu quod voles, sequere: nam teste Prisciano lib. I. [p. 557.] *in nominibus Graecis* as *vel* es *terminantibus plerunque tollitur* s *quum sint primae declinationis:* et Quintil. lib. I. [5, 61.] quem dicimus *Aeneas, Pelias, Hermagoras*, &c. dici interim *Aenea, Pelia, Hermagora*. BRISS.

870. *TRossulus*] Quid sit, abunde explicatur apud Persium Satyra I. [82.] ibi, *Trossulus exultat tibi per subsellia laevis.* BRISS.

ib. *iam sex habemus ante mutas aeditas*] Id est, *iam habemus sex mutas ante exhibitas:* quae quibuscum liquidis iungantur patet. Hactenus expositum sit de mutis, nam de tribus reliquis quid attinet disputare, quae usum non praebent syllabis? BRISS.

871. *Caeterae quia tres*] Scilicet *h k* et *q*. De *k* et *q* ante disertum est an praebeant usum syllabis: *h* syllabas non constituere manifestum est, sed spiramen tantum addere. BRISS. Declaratur plane hoc versu mutas esse dumtaxat sex, videlicet, *b c d g p t*, *r* vero et *q* supervacaneas, et *f* semivocalem. PETR.

872. *Semivocalis quod una*] Hic versus vicem quandam anacephaleosis refert. Nam ante dictum est quod semivocalis *f* praeficitur primae atque quartae liquidae. BRISS. Habes, lector, quod sola semivocalis *f* praeficitur liquidis solis *l* et *r*. Dicit deinde author quod *r* quarta litera non ponitur sub aliis consonantibus praeter istas sex mutas, de quibus posuit exempla: ibi *Brutus*. PETR.

873. *praeter istas*] Id est, sex mutas ante dictas. BRISS.

874. *Et secunda*] Inquit author quod haec litera *m* fere semper vocalibus adiungitur sive sit prior in syllaba ante vocalem sive sit post vocalem. Et hoc probat exemplis in textu positis. PETR.

877. *Tertiam udam*] Dicit *m* adiungere sibi *n* in eadem syllaba, sed tantum in secunda syllaba, neque duas diversas liquidas praeter supradictas: scilicet *m* et *n* coniungi posse in eadem syllaba quamquam unaquaeque liquida possit geminari, verum id in diversis syllabis, ut exemplis probat. PETR.

881. *quum gemella*] Id est, *quum* vel *quando*. BRISS.

883. *Nec secus*] Docet mutas pari modo geminari, sicut etiam liquidas supra. PETR.

885. *Hanc tamen*] In Graecis duntaxat dictionibus *n* supponitur *m* in eadem syllaba in principio dictionis, quod Latinis in dictionibus fieri non potest. Hoc in ultimo versu exempla demonstrant. PETR.

887. MNήμην] Id est, *memoriam*. BRISS.

ib. MNᾶσθαι] Id est, *meminisse*. BRISS.

ib. MNεσθέα] *Mnestheus*, nomen viri proprium, de quo apud Verg. lib. V. [184.] ibi *Sergesto Mnestheoque Gian superare morantem*, et alibi superius. Vide etiam Herodotum in Vita Homeri. BRISS.

888. *Interim compellit*] Ante *m* in dictionibus Graecis *d* et *t* aliquando praeponi duo haec te docent carmina. PETR.

889. ΔMῶας] Id est, *servos*. BRISS.

ib. TMῶλον] Montem Lydiae. BRISS.

890. *Tertia uda*] In nominibus Graecis ad Latinam linguam traductis *g* praeponitur *n*, ut in exemplis *Gnosios* et *Gnidum*. PETR.

893. *Scribimus praenomen*] Cneum seu Caium. Quintil. lib. I. [7, 28.] *Quid quae scribuntur aliter quam enuntiantur? Nam et Caius* c *litera notatur*, &c. BRISS.

ib. *Scribimus praenomen unum*] Vide *c* literam proferri per *g*, quando est ante *n* in hoc praenomine *Gneus*, quod nonnulli irridere solent. PETR.

895. *Asperum quia*] Rationem reddit quare haec litera *c* proferatur per *g*, cum anteponitur huic literae *n*, dicens sonum vocis leviorem fieri cum proferimus per *g*, praeterea quia *g* figuram *c* habet, ait antiquiores fortasse sic *c* pro *g* scripsisse, cui deinde moderni addiderunt apicem hoc modo, *C*, adde apicem inferius facies *G*, quare legimus hoc praenomen *Caius* pronunciari *Gaius*. Similiter plurimi Latinorum hoc nomen *amurca* proferri per *g* crediderunt, quia gamma, i. e. *g*, in idiomate Graeco habet ante vocalem, ut in versu plene videre est. PETR.

ib. *interpolat*] Id est, *polit, edulcat, levigat*. De sono autem *c* et *g* in tractatu de pronuntiatione literarum dictum est. BRISS. Ornat. *Interpolare* est, ornare, fingere, renovare. PETR.

896. *Vel priores G Latini*] *G* inquit Diomedes lib. secundo [p. 417.] *Nova est consonans, in cuius locum* c *solebat apponi, ut et hodie quom Gaium Caesarem notamus, C. Caesarem scribimus. Ideoque post* b *literam, tertio loco* c *digesta est, ut apud Graecos* γ *posita reperitur in eo loco*, unde Terentianus innuit causam, cur Latini (qui nondum finxerant *g* ab apice, id est, principalem seu initialem) *c* praeposuerint praenomini, et hodie *g* pronuntient, nempe dulcioris soni causa quem apud vetustissimos *g* non poterat reddere, ut quae nondum reperta esset, ut tradit Diomedes, et innuit Terentianus: quanquam Plinius, lib. VII. [          ] in diversa opinione esse videatur. BRISS.

897. *Gaïus praenomen proinde*] Alias *inde* legebatur vitio metri. BRISS.

ib. *Gaïus praenomen inde C notatur, G sonat*] Eadem pagina

ut circa vs. 12. [v. 901.] dubitare possis an menda sit. Ita v. 28. [917] *N* quod in principio versus ponitur *Γάμμα*, et v. 31. [920] pro *σῖγμα*, quod item principium versus est, *δέλτα* meo quidem judicio non inepte legetur. Est enim sententia, Sigma apud Graecos omnibus mutis praeponi praeter δ et γ, quanquam et δ praeponi posse inde pateat, quod ζ duplex litera ex σ et δ constet, et in easdem resolvatur, ut cum pro *συρίζειν συρίσδειν* et id genus alia legimus. MICYLL.

898. *amurca*] Faex olei. BRISS.

900. *γάμμα origo praeferat*] Supple *ut*. Sensus est, plurimi crediderunt *amurcam* proferendam esse per *g*, ut in ea pronuntiatione origo nominis *amurca* significetur, quae Graece ἀμοργὴ dicitur. BRISS.

901. *Ille contra discat*] Eterosis est in numero: nam paulo superius Latinos pluraliter locutus est, et plurali nunc subiungit singularem. *Ille* igitur, id est, Latinus. BRISS.

ib. *discat, unde C notare debeat*] Ante legebatur *dicat* et *sonare*, sed introspicientibus et iudicantibus apparebit commodius legi, *discat* et *notare*: estque sensus, ille Latinus e diverso discat, (quom amurca per *c* scribit,) unde seu quamobrem debeat *c* notare. Nam debet *c* notare ut declaret defectum literae *g* apud antiquos, quemadmodum et in *Cneo* et *Caio* facere videmur. BRISS.

902. *G tamen mox*] Priscianus libro II. [p. 569.] *Est*, inquit, *quando* n *principalis syllabae ante se assumit G, natus gnatus, notus gnotus antique, unde ignotus, nosco gnosco, novi gnovi*, &c. Quod Terentianus etiam declarat. BRISS. Raro ait *g* et *n* alioqui poni in eadem syllaba in principio, praeterquam in his duabus dictionibus *Gnatus* et *Gnarus*. PETR.

ib. *tertia uda*] Id est, *n*. BRISS.

ib. *rarius*] Supple in principio literae *g*, in medio autem non ita raro ponitur. BRISS.

ib. *componitur*] Id est, *coniungitur*. BRISS.

904. *Namque maGNus*] Dicit *g* et *n* in supradictis dictionibus cum sint in secundis syllabis nihil pedibus officere, quod quidem faciunt quoties ponuntur in principio dictionum, ut se ostensurum pollicetur. PETR.

905. *impugnant pedes*] Id est, *violant* aut *laedunt*. BRISS.

906. *Queis iugatis*] Id est, *g* et *n*, de quibus futura est tractatio. BRISS.

908. *Ammonet nunc ordo*] Palam est *s* semivocalem literam crassiorem caeteris esse, hoc est, sonum habere densiorem, idemque apud nos quod apud Graecos sigma existere. Ἀρκτικον ait author ipsam a Graecis vocitari, quod est apud Latinos *initiale*, quia haec litera principiis dictionum adseritur. PETR.

910. *Vivida*] *Fortis* et *valida*. BRISS.

ib. *densa*] *spissa*, seu *multa potestate*. Sed quoniam futurum est ut Terentianus multis epithetis literam *s* agnominet, visum est operae pretium subiungere, quae cuiusque nominis sit ratio. Alibi ἀρκτικὸν στοιχεῖον appellatur: στοιχεῖον Quintilianus libro III. cap. 3. [13.] *elementum* interpretatur: στοιχεῖον ἀρκτικὸν *s* appellatur, quod omnibus fere mutis atque etiam *m* liquidae praeponatur, ut exemplis contextus patet. Vegeta autem vivida atque fortissima dicitur, quia in heroico potest ex trocheo spondeum facere, syllabamque difficilem iuvare, (de qua difficili syllaba meminerit procedente contextu Terentianus) quum id mutae liquidis adiunctae non queant: plures causas addit Aldus libro IV. [p. 289. ed. 1575.] sed haec una fuerit mihi vice multarum. *Densa* itidem dicitur, fortasse quod pro *z* (quae duplex est litera) primitus nonnunquam, ut ait Tortelius, scribebatur, ut *sagunthus* pro ζακυνθὸς, *sethus* pro ζῆθος; sic enim sub simplicis elementi figura duplex elementum capit. Atque haec semel dicta sint de agnominibus *s*. BRISS.

911. Ἀρκτικὸν] ἀρκτικὸς, *inceptivus*. BRISS.

912. *Et probant mutis*] Pluribus exemplis in litera positis apud Graecos ostendit semivocalem *s* omnibus fere mutis anteponi, quod et apud Latinos dubio procul legitur. PETR.

913. ΣΒέσιν] σβέσις, ιος, ἡ, id est, *extinctio*. BRISS.

ib. ΣΘένος] εος, τὸ, *potestas*, *potentia*. BRISS.

ib. ΣΚῆπτρον] *sceptrum*. BRISS.

ib. ΣΠάθας] σπάθα, ης, η, *ensis*. BRISS.

914. ΣΦίγγας] Id est, *sphinges*. BRISS.

ib. ΣΧήματα] *schemata*. BRISS.

ib. *atque udae quoque*] Insuper a Graecis *s* anteponi *m* haec exempla σμῆγμα, σμάραγδον, σμήνιον demonstrant. PETR.

915. ΣΜῆγμα] Id est, *smegma*, id est omne id quod pingat. BRISS.

ib. *secundae*] Scilicet *m*, quae in ordine liquidarum secundum locum possidet. PETR.

916. ΣΜήνιον] *ceram duram.* BRISS.

917. N—*solum*] Dicit author quod haec litera *n* nunquam subditur huic literae *s*. Ratio est quia sonus debet venire a faucibus ad dentes vel labra: quod contra fieret si *n* poneretur post *s* in eadem syllaba. PETR.

918. *excluditur*] *fingitur, exprimitur.* Haec aliter legebantur, sed non puto *rēferre*, *rĕferre*, nisi ut iudicent etiam lectores. Habebant igitur versus sic: *στέμμα dicunt σφίγγας aeque σχήματα atque udae quoque, σμῆγμα si quando an σμάραγδον σμαῖον vel nominant. N solum non videtur posse subdi quia loco &c.* BRISS.

919. *Dentibus σῖγμα*] *Dentibus* supple genuinis. Nam ante dixit Terentianus *ictus ut priori promptus in ore est, agiturque pone dentes.* BRISS.

920. Σῖγμα *quis possit*] Aliud ex his versibus elici non posse mihi videtur, nisi ut intelligamus quod *s* semivocalis non praeponitur huic literae *z*, i. e. *zetha*, quae pro duplici *s* ponitur: quia aliqua dictio in exempli loco minime reperitur. *Nomen* hic pro dictione habetur. PETR.

ib. *adiunctum sonum*] Id est, *associatum, coniunctum*, m literae supple. BRISS.

921. *Cum sonis utrisque constet ζ*] Terentianus in tractatu de pronuntiatione literarum [v. 262.] *si ζῆτα loquor*, inquit, *βῆτα, vel νῦ, vel hispidum ῥῶ, et σῖγμα quod istis parili sede vibratur &c.* Ex quo loco docemur σῖγμα et ζῆτα excludi ab eadem aut parili sede, seu ab eodem oris loco. Adde quod ante docuit Terentianus *s* agi pone dentes, *m* autem intus in ore clauso quasi mugire, atque, ut ait Erasmus [T. I. p. 959.] "mugitum quendam intra oris specum" aedere. Id quod fieri non potest, quin et prope fauces ipsas *m* fingatur loco intimo. Quum igitur finitimum locum habeant *m* et σῖγμα in ore, inde Terentianus arguit coniunctionem et velut nexum quendam in syllabis reperiri inter has literas apud Graecos. Maxime quum *z* (quae Graecis duplex est litera) constet sonis utrisque, id est videatur sonos utrosque referre, quum et

pone dentes, propeque ipsas fauces citet ortum suum, proferatque sonum ad labra usque, quae unà hos sonos habere non posset, nisi possent *s* et *m*, quae pariles locos in ore obtinent. BRISS.

923. *Syllabis sedet*] Quomodo dictiones in quibus est *s* in quadra vel charta scribi debeant in fine marginis notatur hoc loco. PETR.

ib. *sedet*] Capit locum. BRISS.

924. *Versus ut quadre*] Id est, ut ait Cicero in III. de Oratore [c. 49.] *Neque insistat interius, neque excurrat longius.* Beroaldus in Vitam Flavii Vespasiani apud Suetonium [c. 20.] ibi, *Statura fuit quadrata &c. Quadrata*, inquit, id est quae neque longa fuit neque brevis, sed inter utrunque temperata. *Quadrus* autem et *quadratus* idem, unde *versus* (qui vulgo linea appellatur) *quadre resistit, nec propagat terminum*, quando intra fines constitutos clauditur, ut neque longior sit, neque brevior quam ut *lineae* vel *plumbo desectae* [*directae*], ut ait Catullus [22, 8.] aut sinopide finitae, aut plicatione chartae notatae postulant. Cicero in perfecto Oratore [c. 61.] *Itaque postea quam est nata haec vel circunscriptio, vel comprehensio, vel continuatio, vel ambitus, (si ita licet dicere,) nemo qui aliquo esset in numero scripsit orationem generis eius, quod esset ad delectationem comparatum, remotumque a iudiciis forensique certamine, quin redigeret omnes fere in quadrum numerumque sententias.* BRISS.

ib. *resistat quadre*] Hoc est, *consistat in spatio quadrato.* Posuit *quadram* pro eo spatio scripturae quod consistit intra margines, quod quidem spatium formam habet *quadratam*: advertendum igitur esse author ait ne syllaba dividatur in ipsa *quadra*; quod ut intelligatur, haec dictio *Nestoris* pro exemplo datur, prima syllaba cuius si in ultimo loco marginis poni habeat hoc modo notari debet *Ne-storis*, et non aliter, quia *sigma*, i. e. *s*, debet inhaerere huic literae, non autem superiori vocali *e*, ut ibi docet *extimum, sigma versus. Versus* hoc loco sumitur pro una dictionum serie, hoc est, a sinistra marginis usque ad dexteram. Notandum quoque quod non tantum hic intelligitur de *s* in secundis syllabis, sed etiam de aliis literis, ut puta de *c*, ut in dictione *na-ctus*, in qua *c* iuncta est consonanti *t* et non vocali praecedenti *a*, unde si in quadra acci-

deret primam syllabam scribi, sic notaretur, *na-ctus;* et ita in similibus. PETR.

925. *NeSToris si forte nomen*] Quintilianus libro I. [7, 9.] *Est*, inquit, *etiam in dividendis verbis observatio, mediam literam consonantem priori an sequenti syllabae adiungas: Aruspex enim, quia pars eius posterior a spectando est*, s *literam tertiae dabimus: abstemius, quia ex abstinentia temeti composita vox est, primae relinquetur:* sed quia Terentianus huc intulit mentionem de dividendis syllabis, praeceptum quoddam velut catholicum visum est contexere: si dictio composita diversis versibus scribenda est, dabuntur singulis partibus suae literae: at si simplex, illic est dividenda, ubi eadem consonans bis est, dabitur utrique pars sua: sin diversae sunt consonantes, adhaerebunt fere parti sequenti: de compositis exemplum, *aruspex, abs-temius, dis-iicio:* de consona bis posita, *ab-brevio, ad-do:* de diversis ut *o-stendo, Ne-stor*. BRISS.

928. *Nos tribus mutis*] Narrat hic author quod haec semivocalis *s* praeponitur dumtaxat tribus mutis, videlicet, *c p t*, in una et eadem syllaba, ut *scuta, spatia, stamina*, quod nulli ex aliis semivocalibus contingit, ut superius dictum est. PETR.

931. *Et duas*] Subiungit *s* praeponi supra dictis mutis: non tantum quando singulae solae sunt, sed etiam cum post se habent aliam semivocalem, uti exemplis probat. PETR.

934. *Semivocalis suprema*] Palam est quod ultima semivocalis *x*, quae pro duplici consonante ponitur, nunquam praefertur vocali in principio in Latinis dictionibus, sicut nec anteponitur consonantibus. Ratio autem est quia *x* duarum consonantum vim retinet, unicuique vero vocali subditur. PETR.

935. *Praefici in verbis Latinis*] Diomedes libro II. [p. 420.] *X*, inquit, *litera composita in media tantum parte locutionum vocalibus apud nos praeposita, ut* maxime, maximum: *aliquando finiens ut* vertex, frutex. *In peregrinis tantum nominibus prima ponitur ut* Xanthus, Xenophon. Idem testatur Capella libro III. [s. 246.] BRISS.

937. *constet*] *coalescat.* BRISS.

ib. *comparata*] Id est, *composita*. BRISS.

940. *Ante vocales locatur*] Dicit quod *x* ponitur etiam ante

vocales, sed in secunda syllaba: quae ut vera esse cognoscas, exempla patent in textu. PETR. *Ante vocales locatur in sequente syllaba.* MIC. in Corr.

942. *Tantum apud Graecos*] Author dicit quod *x* solum apud Graecos ponitur in principio dictionis ante vocales, ut exempla docent. PETR.

943. *ξένον*] *hospitem.* BRISS.

ib. *ξανθὸν*] *fluvium Troiae* si prima acuatur, si autem ultima, *flavum*, et viri nomen. BRISS.

ib. *ξουθὸν*] *flavum.* BRISS.

ib. *ξενήϊα*] Id est, *dona hospitalia.* BRISS.

944. *Consonis praefertur*] Ait quod etiam haec semivocalis *x* consonanti praeponitur, sed in syllaba divisa ab ipsa consona super quam cadit ipsum *x* in Latinis dictionibus, nominis sc. verbive, ut *expuli, exta,* et similia, ut in litera: quae si syllabicentur *ex*, syllaba divisa est ab aliis, et hoc est quod dicit, *Si dirempta syllaba est. Dirempta*, i. e. *divisa.* PETR.

945. *cuius cum Latinis sermo sit*] Id est, verbi aut nominis quod in sermonem Latinum incurrat. Priscianus libro II. [p. 571.] *X in compositis*, inquit, *integra manere potest sequente* c p q s *ut quibusdam placet, vel* t, *ut* excurro, expello, exsequor, exquiro, extendo. *Sic enim placet iis qui de orthographia scripserunt, quanvis euphonia et ratio supra dicta de literis secundum Graecos abiicit* s *antecedente* x. Haec Priscianus. BRISS.

949. *Muto vel partem prioris*] Mutatur, inquit, haec semivocalis *x* in aliam consonantem quando *ex* componitur cum *fero* et *facio:* quia non pronuntiatur *exfero*, sed *effero;* nec *exficio*, *exfectus*, sed *efficio, effectus*, euphoniae, i. e. bonae sonoritatis, gratia. PETR.

ib. *si fit hirtum, syllabae*] Id est, *si fit syllaba aspera.* BRISS.

950. *Effer ut dicam*] Priscianus lib. II. [p. 571.] *x*, inquit, *convertitur in f* in compositione, *f sequente.* BRISS.

951. *Verba contra*] Quando, inquit, verba separata connectimus, i. e. praeponimus hanc particulam *ex*, per appositionem videlicet, per regimen casus nominibus incipientibus a consonantibus, solemus ponere tantum *e*, ne sit hispidum, h. e. asperum, prolatu, si tres simul consonantes coirent: quia *x*

est duplex consonans: exempli gratia, *e bello, e pago, e foro,* melius sonat quam si *ex bello, ex pago,* et *ex foro* diceretur. PETR.

952. *desinentem*] Id est, *finientem, finalem.* BRISS.

953. *quia duplex*] *Nam* supple. BRISS.

954. *Tres videntur syllabam unam*] Hoc non dicit Terentianus quod ignoret aut abnuat syllabam tribus constare consonis: nam, ut ait Priscianus lib. II. [p. 566.] *Non plus quam tres consonantes antecedere vocalem nec rursus nisi tres consequi possunt.* Sed tamen hoc notandum est, quod si antecedant tres consonantes, non possunt nisi duae sequi vocalem, ut *monstrans:* nec iterum si consequantur tres, possunt antecedere nisi duae, ut *stirps.* Sed Terentianus hoc loco euphoniae rationem habet tantum, ut sit iunctura mollior. Nam si *fuit causa,* ait Quintilianus libro IX. [4, 38.] cap. De compositione *et Servio ut dixi* (quidam tamen interpretes non surdi putant haec verba, et *Servio ut dixi* prorsus inducenda atque delenda) *subtrahendae* s *literae, quoties ultima esset, aliaque consonante exciperetur, ut dignu' loco, serenu' fuit,* ne sonus esset asperior. Quid? Non ultima nostrarum *x* meliore iure detrahetur, quae duarum *c* et *s* asperarum sonum continet? BRISS.

955. *dico et E Bello viros*] Diomedes libro I. [p. 408.] *Ex,* inquit, *et ab praepositiones, si sequens verbum a vocali incipiat, integre efferuntur, ut ex oppido, ab illo: si consonantes sequantur, extremam literam perdunt, ut è foro, à Marco. Similiter si vocalis sequatur consonantis loco posita, ut à Iunone, è virtute. Quae praepositiones, ut et id obiter adiiciamus, non idem significant, nam ex theatro qui dicit se venire, ex ipso theatro venit: qui vero à theatro, non ex ipso theatro, sed à loco qui proximus est theatro,* quod in praepositionibus *ad* et *in* (quanvis in diverso sensu) observandum est: *nam in forum ire, est in ipsum forum intrare: ad forum autem ire, in locum proximum foro. Ad tribunal igitur venit litigator, in tribunal, iudex.* BRISS.

957. *Ast enim Graius*] Notat author his in versibus quod Graeci non ponunt hanc praepositionem *ex* in dictionibus, sive simplicibus sive compositis, id est, per appositionem vel per compositionem, si post *ex* sequatur consonans: sed ipsi vertunt literam *x* in purum cappa, sonus vero *s* literae qui erat in *x* eiicitur. Praesto tibi sunt in textu Graeca exempla. PETR.

958. *Sive in verbo pari*] Id est, gemino. Alias legebatur, *sive verbo pari*, propter metrum adieci *in*, quod non coit in priorem syllabam synaloephe. BRISS.

959. *levi*] In Victorino *leni* legitur. COMM.

960. *vertit hanc in simplicem*] Litera respondens *x* est *k*, quae et simplex eiusdem est, nam *x* capit *c* et *s*. BRISS.

962. ἐΚΠλῆξαι] Id est, *deterrere*. BRISS.

ib. ἐΚΠέρσαι πόλιν] Id est, *destruere civitatem*. BRISS.

963. ἐκ στόματος] Id est, *ex ore*. BRISS.

ib. ἐΚΚεκώφηται] Id est, *obtusi sunt*. BRISS.

ib. ξίφη] Id est, *enses*. BRISS.

964. ἐΚ Πάντων] Id est, *ex omnibus*. BRISS.

ib. ἐΚ Νήσου] Id est, *ex insula*. BRISS.

965. *Litteras autem receptant*] Hactenus de literis: nunc de syllabis tractare incipit, dicens ex syllabis quasdam esse quae tribus literis constant, ut *sto:* quae quatuor, ut in ultima syllaba huius dictionis *sanctus:* quae quinque, sed parcius: quia in omni syllaba una vocalis esse debet, vel duae, quando in ea diphthongus inest. PETR.

969. *Inde rarum est*] Dicit quod raro quatuor consonantes simul in una syllaba iunges, quia repugnat natura: semivocales autem frequentius iungi compertum est: in quibus, ut ante ostensum est, quatuor liquidae *l m n r* computantur. PETR.

973. *Syllaba ergo quando quinque*] Rationem adducit quomodo quinque literae sint in una syllaba, dicens ex ipsis duas necessario esse consonas, et duas liquidas, cum una vocali: quod ut verum esse pernoscas, nomina illa *frons*, *glans*, in textu posita plene docebunt: nam ante vocalem consonans est litera, rursum post vocalem liquida et consonans. PETR.

979. *Est et uda quando sola*] Id est, fit ut detur uda una. Alias legebatur *est uda*, sed corrupte. BRISS. His versibus author declarat similiter quinque literis fieri, ubi est *sola uda*, i. e. *liquida*, ac tres consonae, ut in his exemplis, *stant*, *strix*, clare perspicitur, et *x* ultimam duplicem esse patet. PETR.

981. *Stant enim*] Alias legebatur, *Stant enim, quom dico verbum*, t *secunda*, t *et ultima est*. BRISS.

983. *Porro cum diphthongos*] Simili modo in hac syllaba

*fraus*, ubi est diphthongos, de tribus consonis unam udam, i. e. *liquidam*, quae est *r*, inesse iam tenes. PETR.

984. *Et tribus*] Id est, *etiam*. BRISS.

ib. *videmus unam*] Supple *componi*. BRISS.

ib. *quae est*] Sine synaloephe legendum est. BRISS.

ib. *quae sit uda* COMM.

985. *Nos monemur litterarum*] Alias legebatur, *Nec monet esse literarum syllaba una sex potest*. Sed non Latine loquebatur versus, et mensura discrepabat, licet enim versus non semper exigatur ad *aurificis* trutinam (*stateram*), ut cum Cicerone [de Orat. II. 38.] loquar, sed *populari trutina* examinetur, qua etiam iambicos et trochaicos versus comici fere examinare solent, ut pedes locorum imparium et parium confundant. Non tamen consentanea foret hic illa perturbatio metrorum, quod in praefatione cavenda significatur. BRISS.

ib. *Esse necnon literarum*] Ostendit author hoc loco, quando syllaba in se continet sex literas, dicens quod resolutione alicuius ex literis duplicibus Graecis tunc syllaba erit sex literarum, ut nomina ipsa in textu posita, sc. *scrobs*, et *stirps*, sic esse notant. Nam ψ litera Graeca resolvitur in *ps* et *bs* in dictis nominibus. PETR.

986. *Graeca quum duplex*] Nam ψ solvitur in *bs* vel *ps* teste Prisciano [p. 558.] pro ratione genitivi, ut *Arabs Arabis*, *Pelops Pelopis*. Haec Priscianus libro primo. BRISS.

ib. *nostratibus*] Id est, *Latinis*. Non enim *nostras* ad patriam refertur tantum, sed ad sectam studiorum. BRISS.

987. *Dixerit si forte quidam*] *Scrobs* mihi commode legi ante videbatur, nam pro exemplo syllabae senariae citari videbam. Sed quod *scrobis* legam, et nonnihil versum vertam, (nam ante ita legebatur, *Dixerit si forte quidam scrobs abunde fossa est*,) impellit Servii authoritas, qui in Georg. II. [288.] hunc versum dimidium citat sic: *Abundae fossa scrobis est*. Sed quia claudicare videtur si omnino ut a Servio citatus est perstet, ea vero causa fuit cur nonnihil transmutarim. Istud ex Graccho altero exiisse testatur Servius. Epitheton item *abundae*, ut *scrobis* legatur, monet. Nam si adverbium esset, quorsum dici posset adiectum? Ad haec quid impediet quin pro ratione sententiae *scrobis* genitivus positus satis nos admoneat nominativi qui pro exemplo ponendus erat? ubi

notabis *scrobem* esse foeminini generis, quemadmodum apud Lucanum [8, 756.] ibi, *Exigua posuit scrobe.* Quanvis Servius contendat esse masculini generis, et *scrobiculus* diminutivum nomen idem innuat. Et Capel. lib. III. [s. 302.] scrobis ut mensis masculinum ponat, et scrobis quidem in nominativo. BRISS.

988. *disertus Gracchus*] Cicero in primo de Oratore [c. 9.] docet Tiberium et Caium Gracchos [Sempronios] *disertos fuisse, et omnibus vel naturae vel doctrinae praesidiis ad dicendum paratos.* Cum autem legatur versus sic, *Stirps velut dixit disertus Gracchus alter, Caius.* In ipso *Caius* fit quemadmodum in ipso *Troia* apud Virg. lib. I. Aeneidos [119.] ibi. *Et Troïa gaza per undas, i* vocalis manet, prima producitur, et utrunque trisyllabum. BRISS.

989. *Graecus hoc casu nequibit*] Graecos inquit non posse huiusmodi syllabam praebere ut sit dictio monosyllaba, ut apud Latinos *scrobs:* neque etiam si ea syllaba sit pars dictionis nisi sit pluralis numeri, atque in eadem syllaba sit diphthongus, ut probat exemplo huius dictionis *αἰσχροὺς*, cuius posterior syllaba est sex literarum, videlicet *σχρους*, licet quinque tantum sonent literae: et hoc per diphthongum quae duas habet literas sed unicum sonum. PETR.

ib. *hoc casu*] Id est, *nominativo*. BRISS.

990. *seorsam et residuam*] Hic non est sinaloephe. BRISS.

991. *Atque diphthongo*] Alias legebatur, *Aeque diphthongo.* BRISS.

992. *αἰσχροὺς*] Id est, *deformes*. BRISS.

996. *senariam*] Id est, sex literis constantem. BRISS.

997. *Nunc per ipsas ire pergam*] Quid dicturus sit in sequenti tractatu his versibus admonet, dicens, pergam ire per syllabas quae scrupulum, hoc est dubium, versificatoribus movent, eosque suspectos reddunt, nisi rite cognoscuntur in quantitate. PETR.

998. *Scrupulum—movere*] Id est, anxietatem et difficultatem ingerere. BRISS.

999. *Sed quoniam exemplis*] Aptius inquit et magis commodum est, posteaquam exemplis carminis heroici usurus est, carmine etiam heroico de syllabis tractare, ne, si alio carminis genere uteretur, pagina discolor, hoc est, duorum generum

confusionem pareret. PETR. Quod de glossematis candidissimo huic Mauro infarctis initio diximus, placet nunc alio insigni quoque exemplo proponere clarius. Cum nonnulla alia versibus Sotadeis explicuisset, tractaturus de metro Heroico, eo se usurum etiam significat, ne dissimilia metra inhonestam speciem pariant, cum omnino exemplis hexametro ligatis sit res exigenda. Nihil in eam rem clarius his versibus, *Sed quoniam exemplis heroi carminis uti Res monet, ut pedibus sistat sua regula iustis, Aptius est nobis simili decurrere norma.* Hic sciolus, imperfectam sententiam ratus quia cum iustos pedes nominarit, non etiam contrarios dicat, intrusit hunc versum tertii loco, *seu vitium incessit metri ratione probemus.* Quo admisso sententia viva vegetaque flaccescit. BARTHIVS Adv. XV. 2. p. 794. Hunc versum pro glossa a sciolo intrusa habet Barthius, non ego. Vitium quidem, quod incesserit, metri ratione probat Terentianus v. 1122 et 1165. SANT.

1000. *sistat*] Id est, *stet.* BRISS.

ib. *iustis*] Legitimis, in aliis enim metris non est ratio tam certa perpendendorum pedum, quam in heroico, quum fere non tam sint certi pedes in aliis metris. BRISS.

1001. *incessit*] Invasit. BRISS.

ib. *metri ratione*] Id est, *lege, praescripto.* BRISS.

1002. *decurrere*] Id est, *procedere.* BRISS.

ib. *norma*] Regula heroici carminis. BRISS.

1003. *Discolor*] Diversa. BRISS.

ib. *alternos*] Diversos, rei parum consentaneos. BRISS.

ib. *pagina*] Id est, *compositio, compages, contextus.* BRISS.

1004. *Spectandis*] Id est, *appendendis, comprobandis.* BRISS.

ib. *Spectandis pedibus*] Omittenda sunt quae sunt nimis trita et manifesta pueris: quia non necesse est narrare syllabas quae longae sunt natura, aut quae positione, aut quae diphthongo: *obvium* dicitur quod tritum est vel facile inventu. PETR.

ib. *mittam*] praeteribo. BRISS.

1006. *plana ratione*] i. e. diphthongo. PETR.

1007. *promptum est*] Id est, *proclive est.* BRISS.

ib. *occurrere*] In mentem venire, *succurrere.* BRISS.

1008. *Nec mihi Graecorum*] Ait author se nolle persequi

omnes syllabas quas Graeci habent communes: quoniam Latini non semper easdem habent communes, propterea Martialis *Nobis non licet esse tam disertis.* Κοινὰς Graece, Latine *communes.* PETR.

ib. *ratio*] Id est, *consilium, propositum.* BRISS.

ib. *κοινὰς*] Id est, syllabas communes quibus Graeci videntur abuti. Nam ut res monet, aut potius ut voluntas suadet, syllabas versibus solent inserere: eoque Martialis libro nono [11.] conqueritur quod Earini nomen non possit inserere suis versibus.

*Nomen,* inquit, *nobile, molle, delicatum*
*Versu dicere non rudi volebam.*
*Sed tu syllaba contumax repugnas,*
*Dicunt Earinon tamen poëtae,*
*Sed Graeci quibus est nihil negatum,*
*Et quos ἄρες ἄρες decet sonare:*
*Nobis non licet esse tam disertis,*
*Qui musas colimus severiores.*

Ubi Martial. licentiam Graecorum videtur notare. Vnde dicit Terentianus, *Nec tanta in pedibus venia conceditur uti.* BRISS.

1010. *Nec tanta in pedibus*] Istud fortasse dictum est a Terentiano, quia Latinis tantum licentiae non est in carminibus condendis quantum Graecis. Habent enim hi et acephalum versum et miurum, quale apud nos esset *Fluviorum rex Eridanus.* Nam acephalus dicitur versus, qui prima syllaba deficit; miurus vero cuius hexametri extremi pedis prior brevis est, ut apud Lucretium in tertio, sive aliud quodvis potius coniunctius ei: et apud Iovianum Puntanum ad Cinnamam de eius clementia, *Ecqnem lacrymulis impones Cinnama modum.* PETR.

1011. *E brevibus quotiens*] Ait se breviter ostensurum quod momenti habeant consonantes geminae sive in principio, sive in medio, sive in sequenti pede. Non enim parvi refert quae consonae sint in principio sequentis dictionis, ut in illo, *Pro segete spicas,* et in illo, *Ponite spes sibi quisque.* Propterea id esse diligenter versificatoribus dispiciendum. PETR.

1012. *Versificatorem*] Versificandi verbo et versificationis etiam utitur Quintilianus libro nono [4, 143.] ne forte

versificatorem respuamus: poëtam esse quam magnificum sit, ex Horatii Poëtica notatur: notatur et ex secundo de Oratore [c. 46.] ubi ait Cicero, *Saepe enim audivi poëtam bonum neminem (id quod a Platone et Democrito in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, et sine afflatu quodam quasi furoris*, quare, inquit in Oratione pro Archia Poëta [c. 8.] *Suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur.* Poëta natura ipsa valet, mentis viribus excitatus, et quasi divino quodam spiritu afflatus, bestias immanes, saxa, solitudines flectit. At versificatorem Valla [ ] contumeliosum nomen putat, reprehenditque Antonium Raudensem quod summum poëtarum Latinorum versificatorem appellarit. Non igitur aliud est versificatorem esse, quam versus complere metris, atque velut ex definito legis versus facere, quod vel pueris concessum est. Poëtam esse facit orbis ille humanitatis non secretus a philosophia, iudicium non obesum, tandem genius quidam. Quintilianus lib. X. [1, 89.] *Cornelius*, inquit, *Severus etiamsi versificator quam poëta melior*, &c. BRISS.

1014. *discordantes*] Literas, non nexiles in versu propter pervicacem vim literarum qua de iunctura solet alia aliam detrudere. BRISS.

1016. *Pes proximus*] i. e. *sequens*. PETR.

ib. *mutatis vincere verbis*] Id est, *subigere*, *detorquere*, *cogere* in alias voces, in quibus legitimo nexu cohaereant. BRISS.

1017. *Quam dubias*] Id est, *quantum*. BRISS.

ib. *figuras*] *formas*, *habitus*. BRISS.

1019. *Syllaba prima brevis*] Syllaba positu duarum consonantium tribus modis protrahitur: aut ambae consonantes sunt in eadem syllaba, aut divisae in duas syllabas, aut ambae in sequenti syllaba, quod ipse exemplis demonstrat. PETR.

ib. *generabit*] Id est, *inchoabit*. BRISS.

1021. *pariter iunctae*] Id est, *in eadem syllaba compositae*. BRISS.

ib. *suberuntve*] Id est, *subsequentur*. BRISS.

1022. *Seu sunt divisae*] Id est, sive altera finem, altera principium seu dictionis seu syllabarum obtineat. BRISS.

1024. *prior*] Id est, syllaba, scilicet post. BRISS.

ib. *est—adiuta duabus*] Id est, *s* et *t* iunctis, supple cum vocali *o* in eadem syllaba. BRISS.

1027. *Dactylon haec eadem*] Dactylum prima longa positione et ceteris duabus brevibus fieri quis nescit. PETR.

1028. *brevem mediam*] Id est, *vocalem secundam*. BRISS.

1030. *Vda etiam*] Liquida sive sit sola in praecedenti syllaba, dummodo sequatur consonans in syllaba sequenti, ut *arma*, sive iuncta sit consonanti in eadem syllaba, ut *agrestis*, facit positionem. Adde quod *l* sola in syllaba, i. e. non iuncta consonanti, ut in nomine *melos*, syllabam producit. PETR.

ib. *seu subdita detur*] Id est, *cum alia iuncta*. BRISS.

1031. *Libera*] *seu*, id est, *seu sola*. BRISS.

1033. *Si sit longa prior*] Non semper creatur spondeus prima existente longa, si sequatur syllaba in vocalem brevem desinens, etiam si geminae consonantes post ipsam vocalem sequerentur, ut, verbi gratia, si quis diceret *arma stimulant*, et *arma* esset trochaeus et non spondeus. Quia si trochaeum sequeretur syllaba quae natura esset brevis, etiam si haberet in principio vel *sc* vel *st* vel *sp*, ut inferius videbis, spondeus haud quaquam fieret. PETR.

1034. *resistens*] Id est, *posita* vel *remanens*. BRISS.

1035. *exorta*] Id est, *inchoata*. BRISS.

ib. *sonoris*] Id est, *consonis*, id quod *ex his quae sequuntur significari magis, quam ex ipso nomine apparet*, ut ait Quintilianus lib. III. [6, 46.] de dictione συντελικῇ, quam ex contextu Athenaei coniecturam magis significare colligit, quam ipso verbo. BRISS.

1037. *Quia mutas ita coniungi*] Duae mutae, inquit, in eadem syllaba non possunt simul iungi in Latinis dictionibus: nec liquidae insuper apud Latinos in eadem syllaba mutis anteponuntur. Immo quod plus est, etiam si esset muta cum liquida, quia ante vocalem brevem natura liquidae subiectae mutis in principio dictionis non ministrant retro sua tempora. PETR.

1041. *superest igitur quid*] Docet hic author quod si de trochaeo fieri debeat spondeus, oportet ut mutae sive consonantes sint divisae, id est, una sit in fine praecedentis syl-

labae, altera vero in principio sequentis; quia in una et eadem syllaba duae mutae non iunguntur, ut dictum est supra, ut in his duobus exemplis in litera positis, *Et quis cuique, &c. Postquam:* nam *quis* natura brevis est: similiter *quam*, sed ratione consonantis sequentis producitur. PETR.

1048. *Ergo ut vocalis*] Uno duntaxat modo de trochaeo habente in fine vocalem brevem natura et terminantem partem orationis fiet spondeus; videlicet, si pes qui sequitur trochaeum nascatur certis consonantibus, quas debet habere, modo litera fortissima, quae est *s*, sit in capite verbi, i. e. dictionis. PETR.

1051. *sonoris*] *consonantibus.* PETR.

1053. *Haec quae sit iam scire*] Superius author dixit de litera *s*, quam appellavit fortissimam: hic autem clare determinat quae sit ipsa litera, dicens eam esse semivocalem in sexto loco semisonantum, i. e. semivocalium, positam, et propterea ab authore *par* ipsa dicitur, quia in pari loco, i. e. in sexto locata sit. Praeposita igitur haec litera tribus his mutis, videlicet *c p t*, quibus dumtaxat anteponitur, ut *scutum, spuma, stamina* in principio dictionis praecedentem trochaeum spondeum efficiet, ut inferius videbis. PETR.

1052. *fortissima littera*] Id est, *s*, quae, quare *vivida, densa, vegeta, fortissima,* ante expositum est. BRISS.

1056. *parque*] Id est, *duplex*, ut paulo superius, *verbo pari* dixit, de qua deinceps intelligetur cur animo haerere eam Terentianus moneat. Non me praeterit Aldum lib. IV. quom citat hos versus legere *parsque*, sed semper illud Ciceronis ex perfecto Oratore [in fine] fideliter continere meminero, *quum ipsum illud verum in occulto lateat, nihil quicquam adhuc inveni firmius quod tenerem, aut quo iudicium meum dirigerem, quam illud quodcunque mihi quam simillimum veri videretur.* Cur autem par litera dicatur, repete hinc, ubi causam reddidimus cur *densa* diceretur litera *s*. Licet autem posset videri Terentianus inferre sermonem literae *x*, quom dicit *parque*, non tamen ita putem. BRISS.

1058. *Quae sibi tres &c.*] Illa supple vivida semivocalis. BRISS. Hanc quaestionem post Aldum Manutium, Micyllum, aliosque, uberius tractavit Justus Zinzerlingius in Diatribe

subiuncta libello, cui titulus, *Justi Zinzerlingii Thuringi Criticorum Juvenilium Promulsis, Lugdun.* 1610. pp. 208. 12mo. quam statim subiiciam.

" An ultima dictionis in vocalem natura brevem desinentis " syllaba debeat vi positionis, si vocabulum sequens a duabus " his consonis, *sc*, *sp*, *st*, inchoetur, produci, controversia est " non ignobilis. De illa visum est inpraesentiarum agere; " ita tamen, ut ansam magis dem aliis, quid sequi debeamus, " decidendi, quam ipse id dissidium componam. Atque hanc " equidem viam insistam, ut quid Grammatici, aliique viri " docti, hac de re senserint, primo indicem; postea exempla " ex veteribus poëtis petita in utramque partem subiungam.

" Affirmativae sententiae caussam, ut Graecos taceam, de- " fendunt principes, Diomedes, Priscianus, et Terentianus " Maurus; quibus nostro seculo calculum adiecit maximus " Germaniae nostrae vates, et Franciae suae gloria, MELIS- " SUS, qui in carminibus suis studiose hoc semper servavit, " aliosque uti servarent monuit. Paria cum hoc fecit Taub- " mannus, quem disserentem vide praefatione suorum Melo- " daesiorum. Neque abhorrent ab hac opinione Lipsius et " Gruterus, duo eruditorum lumina; quorum illum vide in " notis ad Senecae Medeam v. 393. hunc in notis ad eamdem " v. 111. ad Theb. 448. et Hercul. Oet. v. 1038. Uti et " Giphanius in notis marginalibus ad Lucretium.

" Abeunt vero ab his Jul. Caes. Scaliger in Poëtica sua, " ubi Catullum, quod Graecos hac in re imitari amaverit, re- " prehendit; Raderus in Comm. ad Martialem V. 66. vanum " vocans Terentianum, quod secus senserit; et novissime, " Henningius Rennemanus IC. clariss. amicus noster singu- " laris, in problematis prosodiacis. Atque hos videre con- " tigit, huius dissidii meminentes. Jam spatiemur per " amoena poëtarum viridaria, et quod in hanc rem ibi est " inventu, enotemus. Praemoneo vero, me, quamquam her- " ciscundus mediam insistam sententiam, ut talismodi sylla- " bam et produci et corripi posse autumem, modo parce fiat, " paullo tamen in affirmativam partem esse procliviorem, cum " deprehenderim haut paucis locis corruptis alteram fulciri, " quibus nonnulla hoc capite fiet medicina.

" Principem locum teneat princeps Latinorum poëtarum, " in quo uno tantum, qui certus sit, loco utraque sententia " nititur. Prior illo, lib. IX. 37.

" *Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.*

" Quamquam auxiliatores non defuerunt, qui languere sibi " visum pedem voluerunt vigori suo restituere: aliis *et* infar- " cientibus, *adscendite* scribentibus aliis. Cui addatur alter

" versus, ut est ex emendatione Scaligeri in Castigat. Catul-
" lianis Aen. VI. 687.

" *Venisti tandem tuaque spectata parenti,*

" aliique, in quibus caesurae hoc adscribitur, non positioni.

" Posterioris sententiae fundus est in isto loco Aen. XI.
" 309.

" *Spem si quam accitis Aetolum habuistis in armis*
" *Ponite: spes sibi quisque.*

" Videri poterat et iste versus pro correptione syllabae stare,
" qui in quibusdam edd. vitiose ita scribitur, Aen. V. 143. et
" VIII. 690.

" *Convulsum remis rostrisque stridentibus aequor.*

" Sed iamdudum explosa est haec lectio ab Erythraeo, et *tri-*
" *dentibus* repositum, ipsa in altero syllabae initialis quantitate
" hoc postulante. Succedat huic ingeniosissimus Naso, in quo
" etiamsi nullum productae syllabae nostrae exemplum nota-
" rim, praeter unum quod ex MS. erutum alibi indicavi in his
" libris, plura vero correptae: illa tamen, paucis exceptis, talia
" sunt, ut non valde movere possint dehinc alios, si has meas
" ad ea notas inspicere fuerint dignati. Met. VII. 440.

" *Occidit ille Scinis, magnis male viribus usus.*

" Sed *Sinis* fieri debet, MS. et Plutarcho poscentibus. Idem
" Art. II. 671.

" *Aut mare navigiis, aut vomere scindite terram.*

" Sed ora ed. Bersmanianae refert in quibusdam esse *findite*,
" quod in nostris etiam servabatur membranis. Neque haec
" variatio hoc solum loco est. Est et in Ep. Medeae XII. 94.

" *Et solidam iusso vomere findis humum.*

" Uti et ibi in margine vides. In Trist. V. 2, 62.

" *Et Scythicum profuga scindere puppe fretum.*

" Membranae: *findere puppe*. Neque ideo quidquam huic rei
" disconducit iste versus, quod non antecedit syllaba brevis.
" Eo enim dico, ut constet de varietate harum vocum. Eadem
" ipsa quoque est in Sen. Herc. Fur. 335. ubi Delr. Lucret.
" p. 17. et Claud. I. 454. in Eutrop. ubi in MS. *Elysias findis*
" *Serrane novales*. Prudentius etiam maculatus tali macula,
" in cujus Psychomachia alicubi legitur [v. 760]; *quia scissa*
" *voluntas*, quo loco membranae veteres eodem modo abibant,
" legendo *fissa*. Sed pergo in Nasone Art. III. 726.

" *Oraque fontana fervida [a] spargit aqua.*

[a] Codd. plerique apud Heinsium, MS. Bodl. et Ed. Pr. habent *pulsat*. Duo Heinsiani *lavit*. Wakefieldus ad Lucret. iv. 77. de hac re consulendus, legendum censet *mulcet*.

" MS. cum illis facit, qui habent *fervida pulsat aqua*. Quod " quo altero remotius, eo certius est mihi, prae illo glossemate " suo damnatum.

" Eod. libr. 741.

" *Nomine suspectam mihi spiritus exit in auram.*

" Et hic MS.

" *Nomine suspectas jam spiritus exit in auras.*

" Lib. II. de Ponto II. 34.

" *Saepe creat molles aspera spina rosas.*

" Sed hic versus una cum proxime antecedente videtur mihi " suppositititius. Maxime, quia alii duo, in quorum sedem hi " forsitan suffecti, diu exsularunt; quos emendatos reddidi " in Promuls. c. 45. quo vise[b].

" Eod. libr. Eleg. 10. 28.

" *et olentia stagna Palici.*

" Membranae, *et olentis stagna Palici*. Epist. Oenones V. 2.[c]

" *Ista Mycenaea litera scripta manu.*

" Uterque MS. *litera facta manu.*

" Epist. Ariadnes, X. 106.

" *Strataque Cretaeam bellua stravit humum.*

" Non abit hic MS. quem inspexi. Ubertinus tamen notat " quosdam legere *tinxit*. Diversitas sane permagna inter haec " duo. An fors fuerat *lavit*, cujus expositio sit *tinxit?* Haereo. " Pugnat pro recepta lectione exemplum Pedonis Albinovani " in obitum Mecaenatis:

" *Membra nec in strata sternere discat humo.*

" Quem certum est Nasonem expressisse in suis carminibus, " ut evincunt isti versus:

" *Caussarumque triplex vaticinatur opus.*

" *Altius et vitiis exseruisse caput.*

[b] Pont. II. 2.

" *Qui rapitur fatis, quid praeter fata requirit?*

" *Saepe creat molles aspera spina rosas.*

" *Qui rapitur spumante salo, sua brachia campi*

" *Porrigit ad spinas, duraque saxa manus.*

" Duo sunt in his versibus quae " haut dubie cuivis legenti scrupu- " lum injiciunt. Repetitio cum initii, " *Qui rapitur*, tum vocis *spina*: et " dissolutio versus quarti. Ego " praeter laudatum librum duos a- " lios sequioris bonitatis hoc loco " consului; quorum alter omnino " cum Bersmani editione consentit, " excepto quod pro *campi* habet " *nanti*. Alter inepte,

" *Qui rapitur ventis, quid praeter fata reliquit?*

" Di quanta ista variatio! vera lec- " tio est in tertio, bonitate primo, " libro;

" *Qui rapitur spumante freto, sua brachia cauti*

" *Porrigit, et spinas duraque saxa capit.*"

[c] Ejusdem epist. 26. *Est in qua nostri litera scripta memor.* Et sic MSS. quos inspexi, omnes. Burmannus tamen ad v. 2. hic etiam *litera facta* multos codices exhibere affirmat.

"Uti quidam etiam hoc argumento permoti Ovidio tribuerint "ejus Elegiam in obitum Drusi. Idem igitur potuit et hic "esse factum. V. Trist. 12. 35.

"*Carmina scripta mihi sunt nulla.*

"Ita plane etiam membranae. Sed suspecta est mihi haec "vox, cum viderim illam alia etiam loca occupasse in mem-"branaceis libris, germanis extrusis. Qualia sunt IV. Trist. "El. II. 20. *Oppida scripta leget,* ubi recte ex aliis editur, "*capta leget.* V. Trist. I. 7. *laeta et juvenilia scripsi,* ubi *lusi.* "I. de Pont. El. V. 2. *Ut sua scripta legas,* ubi *verba.* Quod "si hoc non accidit huic versui, suspicio tamen esse potest de "transpositione, ex qua simile quid natum nobis Metam. III. "66. ubi Ciof. legit,

"*fixum lentae curvamine spinae*[d],

"Cum recte edatur *lentae spinae curvamine fixum,* quod in "optimis membranis ita ad apicem expressum vidi. Tale est, "quod in membranis inveni apud Claud. in Ruffin. II. 230.

"*Quorsum audet ferro leges imponere stricto.*

"Ubi recte impressum, *leges vibrato imponere ferro.* Alia "praetereo, quae sana in vulgatis libris in unis alterisque "membranis depravata inveni. De illo exemplo, quin genui-"num Ovidî sit, nullus dubito, in Art.

"*Altera Scylla maris monstrum.*

"[vide Heinsium ad I. 332.] An plura talium in ejus scriptis "inveniantur, nescio[e]. Certe in ejus lectione, (sed attendi ad "hoc,) non observavi. Ego scopum praefinitum mihi tetigisse "jam videor, cui animus fuit fidem plerorumque exemplorum "dubiam facere, quae poterant in illam partem adduci ex "Nasone. Lucretius paullo amplius favet isti parti. Hos "enim in illo habes versus.

"*quam lecti mollia strata.*
"*Quidque superbia spurcitia.*
"*Libera sponte sua.*
"*Speluncasque velut saxis pendentibus structas.*
"—— *guttis manantibus stillant.*

[d] MSS. Bodleiani vel *medio lentae spinae curvamine fixum,* vel, *Quod lentae medio spinae curvamine fixum.*

[e] In Metam. I. 38. Edd. Pr. cum MSS. Bodl. exhibent,

*Addidit et fontes et stagna immensa lacusque.*

Met. IV. 280. Libri vett. cum Stephano Byzantino, *Sithon.*

Met. XII. 438. MS. Bodl. Auctar. F. 4. 22. *Et exprimitur per multa foramina densus.* In duobus aliis MSS. ejusdem Bibliothecae (F. 1. 17. 4. 30.) hic et alter versus deest.

Art. 'Am. III. 289. Edd. priores et MSS. *ridet.*

Amor. III. 3. 6. *Ante fuit,* MS. Bodl. et sic editi ante Heinsium.

Fast. VI. 305. legendum, *scamnis considere longis,* ut Neapolis, et unus MS. Bodl. In tribus aliis (Auctar. F. 4. 24.) *longis—flammis.* (F. 4. 29.) *flammis* in textu, *scamnis* pro v. l. et *sedilibus* pro gl. Sed (F. 4. 28.) habet *scamnis.*

" *Tenuia sputa minuta*, &c.
" *Atioque est altera nata*
" *Endo statu.*

" Memoria igitur lapsus fuit olim vir doctus, perpetuo hoc " vitatum Caro adserens.

" Nec desunt tamen apud eumdem, quae in contrarium pos" sis adducere. Qualia sunt haec:

" *Exspiretque foras in aperta promtaque caeli.*
" *plurimaque plus*
" *Montibus in summis vestigia cernimus ignis.*
" *Hinc illa primum Veneris dulcedinis in cor*
" *Stillavit gutta.*
" *En hoc usque mare speluncae*, &c.
" *Nilus in aestate crescit*, &c.
" *Complere spatium.*

" Quod tamen postremum est ex conjectura Gifani: variant" que in uno atque altero libri. Et hoc si, ut vides, admissum " in muta, cui liquida subjungitur, magis aedepol in geminatis " mutis nostris admittetur, quae potentiores.

" Catullus omnino stat ab illorum parte, qui producunt; " quod haec produnt exempla:

" In Phaselo:
" *Propontida trucemve*, &c.

" Ibid.
" *Et inde tot per impotentia freta.*

" Et Priapeio ad Coloniam,
" *Si pote stolidam repente excitare veternum.*

" In Mamur.
" *quod comata Gallia*
" *Habebat unctum et ultima Britannia.*

" Ad Fundum Tiburtem,
" *Nec deprecor jam si nefaria scripta*
" *Sexti recepso.*

" In Galliambo,
" *Ut apud (miser) ferarum gelida stabula forem.*

" In Nupt. Pelei,
" *Nulla fugae ratio, nulla spes.*

" Estque unicum, quod his opponi possit, in Nuptiis Pelei,
" *Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri.*

" Sed quod ipse etiam Homerus insuper habuit, Il. β'. 495.
" ἐς πεδίον προχέοντο Σκαμάνδριον.

" et ibid. 467.
" ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ.

" Quum tamen constet Graecos magna religione contrarium

" servare. Adfinxit alterum Catullo, qui substituit in lacunam " carminis ad Cinnam,

" *In pede stans fixo carmina ructat hians.*

" Sed ab illustri castigatore, ut debuit, acceptum.

" In Horatî Odis et Epistolis pro neutra quidquam invenias " sententia. Quod data opera factum, vix est ut negari possit. " In Satiris sex locis brevi syllabae cursum suum permisit, " non inhibentibus consonis istis sequentibus. Opinari possis, " ut frena sibi indulsit in alios invehendi, ita etiam in versu " quamdam sumsisse licentiam, quam alibi sibi non permitte- " bat. Quin satirographi esse, ut quandoque in haec et similia " impingat ex ipso Horatio et Chrysippo pulcre docet Casaub. " ad Pers. Sat. I. ver. 111.

" Juvenalis contra quater longam facit hanc syllabam, bre- " vem ne semel. Uti neque Tibullus, qui tamen et ipse scripsit,

" *Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.*

" Propertius quater[f] corripuit, produxit nunquam. Stati " Papini haec sunt in hanc rem loca Theb. II. 700. VI. 551.

" *Tela nova, fragiles aevo circumspice muros.*

" *— agile studium et tenuissima virtus.*

" Pro adversa parte, (Achill. I. 348.)[g]

" *sparsosque studet componere crines.*

" Possis et istum versum adducere Theb. VII. 733.

" *fas et mihi spernere Phoebum,*

" sed noris MSS. habere, *fas et me spernere Phoebum.*

" In Silio haec adnotavi exempla: III. 111.

" *gelidosne scandere tecum*

" *Deficiam montes.*

IX. 576.

" *Immane stridens agitur.*

" Ult. 551.

" *arva*

" *Diversa spatio.*

" Sed et hic unum abit: XIV. 259.

" *Mille Agathyrna dedit, perstataque* [h]*Strongilos Austris.*

" In Valerio Flacco ne vestigium quidem horum videas. " Idem de Claudiano dico; nisi illud adferas de Bello Gil- " donico v. 136.

" *rescissae vestes, et spicea sparsim*

" *Serta jacent.*

[f] Propertii sex loca, quorum memini, sunt, III. ix. 53. [IV. 11. 53.] *Brachia spectavi.* 67. *Nunc ubi Scipiadae.* xvii. [IV. 19.] 21. *Tuque o Minoa venumdata Scylla figura.* IV. [V.] i. 41. *Jam bene spondebant.* iv. 48. *Tu cave spinosi.* v. 17. *Consuluitque striges.*

[g] " Non contemnendus liber, " *Sparsosque tumet componere crines.*" Gronovius.

[h] Sed hic ex MS. Coll. Regin. Oxon. et duabus edd. vetustioribus *Trogilos* edidit Drakenborchius.

"Attamen hoc tanti nondum fuit aestimatum, ut dignati fue-
"rint contextu: in ora enim haeret ed. Delrianae. Saepeque
"variatur in his dictionibus. Tale illud Senecae in Theb.

"*Mea membra sparsim spargite.*

"Ubi et nostrae et Palat. membranae *passim*. Quamquam
"falsitas hujus lectionis, absque etiam libris esset, auribus se
"prodit. Apud eundem hujus generis aliquid repertum fuit
"olim in Troad. v. 31.

"*Tuosque manes, quodque stetit ante Ilion.*

"Dactylum enim quarta gressio spernit, necessarioque tri-
"brachys faciundus, absque bellissima Lipsi e vet. lib. emen-
"datione esset, *quo stetit sante Ilion.*

"In Manilio hoc unicum vidi correptae exemplum,

"[1] *Tertia forma stetit summo jam proxima caelo.*

"Productae in Martiale duo II. 66.

"*Ut digna speculo fiat imago tuo.*

"V. 70.

"*Quid gladium demens Romana stringis in ora.*

"Nullum correptae.

"Atque hactenus ex poëtis illos lustravimus, quos atten-
"dens ad hoc mihique talia enotans legi. Jam ex aliis pauca,
"quos adeo non nuper inspexi, neque oculis hujus rei curiosis.
"Memini tamen quorumdam adhuc. In Terentio illud legi-
"mus Prolog. Hecyrae:

"*Quia sciebam dubiam fortunam esse scenicam.*

"Martian. Cap.

"*Crinale spicum pharetris deprome Cupido*
"*Libens capillum solvere.*

"Prudentius saepissime producte extulit, sed dum hæc scribo,
"non est ad manus: quamquam idem semel alicubi in Ha-
"martigen. corripuit. Ex Lucano pro syllabae productione,
"si recte memini, quaedam adferri solent: quem denuo, uti
"et alios, hujus causa peragrare nec licet nunc, nec libet:
"qui vix tumultuarie haec temporis inopia concipio. Faciat
"hoc alius, et rudibus his lineamentis colores addat.

"Ego, si mentem meam aperire mihi licet, cum, quia
"Graeci, e quorum poësi plurima hausit Latina, syllabam, de
"qua loquor, producere amant, veteresque Grammatici Latini,
"qui et propius abfuerunt a tempore florentis poëticae, et
"plures, indubieque meliores poëtarum libros habuerunt,
"idem praecipiunt: tum quia contrariae opinionis haut pauca
"fulcra, ope veterum librorum, demolitus sum, illorumque
"exiguus apud paucos invenitur numerus, apud quosdam vix

[1] Manilii, quas vidi, editiones sic habent: III. 604.
*Tertia forma est, et summo jam proxima caelo.*
Et mox in loco Martialis excudendum curavi *Romana* pro *aliena*, quod exhibuerat Zinzerl.

" unum, et ne hoc quidem in Tibulli, Val. Flacci, Juvenalis, " Claudiani, Senecae Tragoedi, Horatique (praeter Satiras) " versibus: vereor ut regula in hanc partem firma constitui " possit, et exceptio pauciora, ex Catullo praecipue, Juvenali, ' Silio, Statio, aliisque habitura sit exempla. Neutrum igitur " improbem, si parce fiat; utrumque si frequenter; quomodo " hodie fere peccatur corripiendo."

Legi porro meretur de hac re disputatio Lennepii in addendis ad Terent. Maur. ed. Santen. p. 411 seqq.

1060. *Haec sola efficiet*] Affirmat author de nudo trochaeo fieri spondeum: nudus autem dicitur trochaeus, cum desinens in vocalem brevem finit partem orationis: quando igitur dictio sequens trochaeum incipit ab hac litera *s*, iuncta uni ex his tribus tantum, videlicet *c p t*, ultima syllaba trochaei producitur propter *s* cum dicta muta sequentem, quia ambae retro ministrant tempus, quamvis non sint in eadem dictione, nam duae consonantes simul semper priori, i. e. antecedenti vocali, tempus suum reddunt. Vt autem quae dicat credas, non modo eo exemplo in textu scripto quod est, *Quisque scire cupit*, sed hoc quoque ex Lucretii carmine sumpto, *Ante stare decet*, (carmen Lucretii sic se habet, *Ante stare autem veterum si facta probabis*,) probat: ubi *quisque* spondeum, quem producta sequente *sc*, et *ante* similiter spondeum et *e* longa sequente *st*, dilucide perspicis: et ne putes *ante stare* esse verbum compositum, dicit *cum separo verbum*. PETR.

1064. *Ante Stesichorum*] Hoc item demonstrat *ante* esse spondeum. PETR.

ib. *separo verbum*] Id est, *segrego, removeo ab exemplo*. BRISS.

1065. *AntE STesichorum*] Stesichorus, bellorum scriptor fuit, cuius Camoenae graves ab Horatio dicuntur lib. IV. Carminum, Ode nona [v. 8.] de quo et Fortunatianus [p. 2672.] *Archebuleus accepit nomen versus, non quod Archebulus eum invenerit, nam Stesichorus antiquior illo poëta, Ibycus, et Pindarus, et Simonides usi sunt eo.* Fabius lib. X. [1, 62.] Stesichori meminit. Diomedes lib. III. [p. 512.] dicit *Stesichorum invenisse versum angelicum, qui est celeritate nuntiis aptus.* Idem Stesichorus quum coepisset invehi in Helenam caecus factus: is cognita causa calamitatis, palinodiam cecinit, et visus ei redditus est, ut ait Isocrates in Encomio Helenae [p. 218 D.] Unde autem ducantur haec exempla

Terentiani, prompta ne sensu sint authoris, an aliunde, nihil pronuntio, nec Aldus etiam meminit alibi usquam legere, ut testatur lib. IV. suae grammaticae. Profecta esse a sensu authoris vel hoc uno auguror, quod paulo post ait, *Vel tu finge aliud dum talis syllaba detur:* manifestam tamen authoris sententiam demonstrant. Beda in ratione metrica [p. 2353.] huiusmodi carmen ex Sedulio citat, *Adveniat regnum iam iamque scilicet illud.* BRISS.

1069. *Sufficiant*] *ministrent, suggerant.* BRISS.

1071. *Nam cur spondeo credas*] Hoc loco optima ratione quod superius dictum est patet. Nam dicit cur non credetur de trochaeo fieri spondeum sequente fortissima litera *s* cum una ex illis tribus mutis, videlicet *c p t*, cum dactylus finiens partem orationis praedictarum literarum vigore creticus fiat. Creticus vero pes est constans prima et ultima longis, et media brevi. In hoc igitur versu *incipe scire*, vel *incipe scribere*, primus pes erit creticus, *pe* producta propter *sc* sequentes; quia retro tempus praestant. Virgilius tamen dactylum fecit sequentibus *sp*, ut *Ponite spes sibi quisque suas*, et Petronius, [c. 134.] *Quum volo spissatis rarescit nubibus aër.* PETR. In Petronio MS. praebet *siccatis.*

ib. *non reddere*] Literas supple. BRISS.

1072. *obstant*] Ne dactylus aedatur supple. BRISS.

1074. *qui sviribus*] Hic versus citatur ab Aldo [p. 291] apud quem *queis* legitur, sed sensus mihi videtur magis obvius et planus, si sit huiusmodi, gemina consona *quae viribus nocebit subdita praeteritae, cur isdem viribus aeque* &c. Nec vero obstabit quicquam quin quis eundem faciat sensum cum *quae.* Nam ut author est Priscian. lib. XIII. [p. 960.] *Quis communis esse generis putaverunt vetustissimi, sicut apud Graecos τις.* Id quod exemplis et Plauti et Terentii abunde ibidem comprobatur: non tamen contenderim *queis* legi non posse. BRISS.

1077. *Quin mirum magis*] Rationem adducit quare saepe *s* iuncta cum *c p t* non potest, ut supra dictum est, antecedentem syllabam brevem producere, quod est quando illa syllaba, in qua fuerit *s*, est brevis natura, ut in his nominibus *scapula, spatium, stimulus*, quorum primae corripiuntur, quod tertiae in his nominibus, videlicet *a* et *i*, breves sunt natura; unde ait, *Si fuerit correpta nihil praestare valebunt.* Secus

autem est, si vocalis sub *s* et muta producta est; nam tunc praecedens correpta vi ipsius *s* cum una ex illis tribus mutis protrahitur. PETR.

1078. *Semisonans*] Id est, *semivocalis*. PETR.

1085. *Si fuerit correpta*] Tertia vocalis supple, quae subsequitur *s p* vel *c* vel *t*. BRISS.

1087. *Quippe pedem primum*] Si, inquit, solus pes erit, metrum non faciet, sed oratio prosaica dicetur modo progrediatur, quia unus tantum pes nullum metri genus potest effingere. Sermo autem solutus variis fit pedibus, sed nullus tamen pedum ordo servatur. PETR.

1090. *Quia variis*] *Quia* hoc loco monosyllabi loco fungitur. BRISS.

ib. *variis pedibus*] Quintil. lib. IX. [4, 61.] *Et in omni corpore*, ait, *totoque*, *ut ita dixerim*, *tractu*, *numerus insertus est*. Neque enim possumus loqui, nisi e syllabis brevibus et longis, ex quibus pedes fiunt. BRISS.

1091. *fungimur ordine nullo*] Id est, nulla pedum serie praescripta et tanquam necessaria utimur. *In versibus*, inquit Cicero in Perfecto Oratore [c. 58.] ubi docet difficilius uti oratione quam versibus, *certa quaedam et definita lex est*, *quam sequi sit necesse: in dicendo autem nihil est propositum nisi ne aut immoderata*, *aut angusta*, *aut fluens sit oratio*. Et idem in III. de Oratore [c. 44.] *Orator*, inquit, *sic illigat sententiam verbis*, *ut eam numero quodam complectatur et astricto et soluto: nam quom vinxit modis*, *forma et relaxat*, *et liberat mutatione ordinis*. Quintilianus lib. IX. [4, 60.] *Versus*, inquit, *semper similis sibi est*, *et una ratione decurrit*. *Orationis compositio nisi varia est*, *et offendit similitudine*, *et affectatione deprehenditur*. BRISS.

1092. *Adde quod hic primum*] Hinc versus incipit mutare si trochaeus remaneat trochaeus in principio, quod quidem fit si post illum sequatur *s* et una ex illis consonantibus cum vocali brevi: cum ipse trochaeus tantum sextam sedem habere debet in carmine heroico. PETR.

1094. *Cui si dactylici*] Quoniam posset aliquis obiiciendo dicere, si syllaba incipiens ab *sc* vel *st* vel *sp* habeat vocalem brevem naturaliter post ipsas consonantes, ergo de trochaeo spondeus non fiet, ut author docuit illo versu, *Si fuerit cor-*

*repta;* ad hoc ipse in his versibus respondet, dicens quod similiter trochaeus fiet spondeus *sc* vel *st* vel *sp* sequentibus, quamvis tertia, id est vocalis, sit brevis natura, modo post ipsam vocalem sequantur duae consonantes, ut his in dictionibus *scissa*, *spissa*, *stagna*, in quibus tertiae, id est vocales videlicet breves natura, producuntur positione duarum sequentum consonantum, quae retro semper ministrant sua tempora. PETR.

1095. *ortus*] Id est, *inchoans*. BRISS. *Ortus* exquisite pro *incipiens*. Sic Cicero III. de Or. s. 83. Or. s. 218. Similiter supra v. 143. conf. v. 1067. licet mox v. 1099. *pedis efficit orsum*. SANT.

ib. *cui sit quoque tertia longa*] Supple vocalis post sonoras praedictas. BRISS.

1099. *pedis efficit orsum*] Hoc est, *principium*. Nam *orsus*, *us*, *ui*, ab *ordior*, quod est *incipio*, derivatur. PETR.

1103. *SCissa coma*] Capella libro III. [s. 278.] sic effert, *unde spissa coma*. BRISS.

1107. *Dactylus in brevibus*] Quia dici posset, si muta et liquida dactylum finientem partem orationis sequerentur, ut in dictione *gleba*, est ne tantum potestatis ipsi mutae et liquidae ut possit praecedentem syllabam finalem dactyli brevem natura producere? Respondet author, quod non, dicens, quod si consona muta et liquida incipient pedem subsequentem, ille dactylus incolumis manebit, ut in illo *tendere glebas:* verum si ex ipsis duabus consonantibus prior est *s*, ille dactylus, quamvis sit solutus, id est quamvis sit in una dictione per se et separatus sit a pede sequente in cuius principio sit litera *s*, sentiet accessum temporis syllabae sequentis: et hoc probat exemplo huius carminis, *Ante supinatas Aquiloni ostendere strages*. In quo carmine hic dactylus *tendere* augmentum ab *s* et *t* sequentibus dictionis *strages* recipit, et Creticus fit. PETR.

1108. *resistet*] Id est, *ponetur*. BRISS.

1110. *vegetus*] *integer*. BRISS.

1115. *momenti*] Id est, *spatii*, *temporis*. BRISS.

1118. *stendere*] Alibi *tendere* legebatur, sed ex paulo superiore adnotatiuncula de dividendis syllabis, clarum evadit *stendere* legendum esse. BRISS.

1120. *Syllaba si contra veniat*] Quod ut dilucidius docearis, dicit dactylum vitiari, i. e. creticum fieri, si dictio sequens incipiat ab *s*, quae sit iuncta uni ex tribus vel *c* vel *p* vel *t*, ita tamen quod tertia vocalis producta sit natura. PETR.

1122. *Ante supinatas Aquiloni*] Versus est integer ex II. Georgic. BRISS.

1123. *Tertia sic longa*] Alias legebatur, *Tertia si longa*. BRISS.

1124. *Sed nullam invenies*] Nulla, inquit, syllaba talis invenietur, nisi ea habeat hanc literam semivocalem *s* in principio. Quam insuper ipsam esse ostendit, cum dicit, *Quae sexto proscripta* (sic) *loco;* quia in titulo, ubi descriptae sunt semivocales, *s* sexto in loco posita est. *Dimidium vocis*, quia semivocales. PETR.

1127. *Dimidium vocis*] Id est, quas diximus esse semisonantes. BRISS.

1128. *Syllaba difficilis*] *Syllaba* hic pro pede usurpatur, ut etiam in sequentibus, ubi de arsi et thesi agetur, fiet. Et ita apud Capellam, ut testatur commentator qui in divi Victoris bibliotheca extat, libro IX. [s. 978.] *duplum*, inquit, *incipit a trisemo:* 10 *et* 8 *autem syllabas in finem usque deducet,* ubi de genere epitrito loquitur. Est autem *syllaba difficilis* quae difficulter iuvatur iusto tempore a sequentibus sonoris. BRISS. Quomodo ex trochaeo finiente partem orationis subsequente dictione, cuius prima sit correpta, dactylus creatur potius quam spondeus, perspicue tibi ex istis versibus patet; et ex primo Georgicorum Virgilii sumpta sunt exempla. PETR.

1131. *sermo*] Id est, *dictio, verbum.* BRISS.

1132. *Destituens*] Id est, *denudans, spolians, consonis,* supple. BRISS.

ib. *in dactylon ire*] Id est, *dactylicum fieri*, quemadmodum apud Quintil. lib. II. [10, 5.] *in corpus ire* dicitur quasi corpulentum fieri atque pinguescere. BRISS.

1133. *laxare*] Id est, *solvere,* de solutione autem syllabarum in sequentibus amplior mentio fiet. BRISS.

1134. *dare dactylon ex se*] Id est, ex sua ipsius secunda syllaba soluta in duas breves. BRISS.

1135. *sola*] Id est, sine alia syllaba, aut consona quae coëat in dictionem eandem. BRISS.

1135. *in imo*] Id est, *in fine*. BRISS.

1136. *abscissa*] Id est, *secreta, separata*. BRISS.

ib. *aliam comitemque*] Id est, duas consonas. BRISS.

1139. *primum*] Supple librum Georgicorum. BRISS.

1140. *Liber et almA Ceres*] Haec partim plena, partim imminuta ex I. Georgicorum decerpta sunt, quae in aliis exemplaribus corrupte et parum accommodate pro scopo Terentiani legebantur, qui instituit proferre exempla unum et viginti, non supra trochaeorum, quae difficilem habent syllabam. Nam septemdecim tantum poterant ante colligi, quom ad exemplum exemplarium contextus istud legebatur: in quo Aldus levavit mihi laborem, qui haec exempla tractans libro IV. [p. 282.] suae grammaticae emendavit diligenter: in 2 versu quidem nonnihil ab Aldo discedo, quod versus Vergilii, ut contexui, sit integer, in Aldo non videam unde sit accersitum *et studium:* quanquam non magni refert. Subiiciam versus priores, ut libera lectoribus iudicandi sit copia.

*Liber et alma Ceres, et ferte simul Dryadesque*
*Munera vestra cano, et studium cui prima frementem.*
*Ipse nemus tunc dique Deaeque atque arva tueri,*
*Quidve novas, et quidve satis et teque sibi mox,*
*Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,*
*An ne novum nunc ipse tibi plus parte relinquit?*
*Vere novo gelidus canis et taurus aratro,*
*Et quid quaeque ferat regio, et quid quaeque recuset,*
*Bis decies unumque supra &c.* BRISS.

1151. *Bis decies, unumque supra &c.*] Id est, *unum et viginti*. BRISS. Haec verba me movent, ut vix dubitem, quin superiores versus ab ipso Mauro ad hunc modum fuerint constituti:

Vel tu ruricolae primum decurre Maronis:
Liber et almA Ceres; vestro si munere tellus;
FertE simul Faunique pedem Dryadesque puellae:
Munera vestrA cano: Tuque o, cui primA frementem
IpsE nemus linquens patrium saltusque Lycei:
DiquE Deaeque omnes, studium quibus arvA tueri,
QuiquE novas alitis non ullo semine fruges,
QuiquE satis largum coelo demittitis imbrem;
Numina solA colunt: tibi serviat ultima Thule,

TequE sibi generum Tethys emat omnibus undis:
AnnE novum tardis sidus te mensibus addas:
Panditur. ipsE tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpios, et coeli iusta plus parte relinquit:
Nec tibi regnandi veniat tam dirA cupido:
VerE novo gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, et Zephyro putris se glebA resolvit:
IllA seges demum votis respondet avari:
CurA sit, ac patrios cultusque habitusque locorum,
Et quid quaequE ferat regio, et quid quaequE recuset.
Bis decies unumque etc.

Unus enim et viginti trochaei, quales dicit Terentianus, et ne unus quidem praeterea, in orationis Virgilianae parte, quae a v. 7. l. I. Georg. incepta in 53 desinat, investiganti occurrent. SANT.

1154. *Nanque*] Id est, *insuper*. BRISS.

ib. *Nanque etiam duplex*] Author locuturus de hac litera *x*, dicit unam ex septem semivocalium numero sibi relictam, quae est *x*, quia nullum verbum Latinum hanc habet in principio, sed solum ipsa vocalibus subditur, ut *pax*, *lex*, *pix*, *mox*, *nux*, dictionum ipsa ait duntaxat Graecarum principium inchoat, ut *Xerxes*, *Xanthus*. Unde si interdum acciderit quod talis dictio in metro ponatur, licet *x* sit duplex consona natura, non tamen valet antecedentem syllabam brevem producere, quod duobus his versibus patet; videlicet, *Pontibus instratis*, et *Sanguine turbatus:* in quibus illorum duorum dactylorum scilicet *litora* quae est *ra* correpta natura, non producitur vigore antedictae literae *x* existentis in principio sequentis dictionis, quae est *Xanthus:* et ita dactylus non laeditur ut fiat creticus. PETR. Duplex, inquit, quae nobis est unica, nempe *X* (nam *Z* non agnoscit pro duplici, quod veteres illius loco geminarent *ss*, ut pro *maza massa*, pro *patrizo patrisso*, etc.) quae nullam apud Latinos vocem inchoat, sed semper sequitur vocalem, ut *exeo*, *axis*, etc. cum Graecum nomen aut peregrinum incidit, apud Latinos jam usurpatur, si dactylus sequatur non reddit praecedentem longam, ut *littora Xerxes*, *littora Xanthus*, est dactylus et spondeus, non creticus et spondeus. Si vero dactylo subiicias duas consonantes *sc* vel *st* vel *sp* morantur postremam syllabam dactyli

et faciunt longam ex dactylo nempe creticum, ut *littora Sciron.* Causam addit: X enim valet κσ non σκ. Nec tendent priorem sequentes duae consonantes, quamvis *st sp sq* nisi illas sequatur longa vocalis et versum inchoet. RADER. ad Martial. V. LXVI.

1155. *Principium verbi quoniam*] Id acute attigit Terentianus ubi dixit, [v. 934.] *suprema duplicis restat soni. Praefici in verbis Latinis ista, nec vocalibus poterit unquam, tantum abest ut praelocetur consonis.* BRISS.

1156. *et tantum vocali subdita currit*] Id est, quod ante significavit illic, *syllaba quacunque sane subditur vocalibus* &c. BRISS.

1159. *Officiet*] Hoc in loco praepositionis suae proprium casum regit verbum *officiet,* quod rarum est. BRISS.

ib. *quod pandere*] Alibi legitur *ostendere,* sed id in nullo pono discrimine. BRISS.

1160. *Pontibus instratis*] Beda [p. 2355.] eundem versum citat, nisi quod *conduxit* loco *coniunxit* adhibet, sed commodius putem legi *coniunxit.* Nam Livius tum multis in locis, tum libro primo tertiae decadis [c. 45.] ait, "His adhortationibus quum utrinque ad certamen accensi animi militum essent, Romani ponte Ticinum iungunt:" et inferius paulo, [c. 47.] "Castra ab Ticino mota, festinatumque ad Padum est, ut ratibus quibus iunxerat flumen," &c. Capella libro sexto [s. 661.] "Xerxes (inquit) Persidis rex aggregatis navibus, ponteque constructo exercitum duxit" transvecto Hellesponto, quae sunt primae angustiae Ponti. Paulo post "Darius Xerxis pater" etiam ante per eas angustias qui Bosphorus dicitur, "copias ponte transmiserat": inter quas angustias interpatet Propontis. De his etiam apud Herodotum in Polymnia, seu lib. VII. [ ] Hos autem versus exempli causa promptos esse et fictos a Terentiano credam, dum unde citentur rescivero. De Xantho multa apud Homerum Iliad. lib. decimo nono [ ] Huic fluvio tribuit sermonem Homerus ad hanc sententiam, [Il. φ'. 218.] Impletur mihi purus alveus cadaveribus, neque prae angustia possum in latum mare profluere, neque adhuc (alloquitur Achillem) cessas: hic fluvius etiam Scamander dicitur. Ex his patet via ad sensum Terentiani. BRISS.

1164. *Pro duplici contra gemina*] Si vero haec litera *s* cum *c* vel *p* vel *t* sequatur post dactylum in principio dictionis sequentis, tunc de dactylo fiet creticus, qui extremis longis et media brevi constat: tanta est vis huius literae *s*, propter quam vim a Graecis meruit appellari στοιχεῖον ἀρκτικὸν, i. e. *inceptiva*, quia non sit aliqua literarum quae sit frequentior quam ista in principiis verborum. PETR.

1168. *Arcticon idcirco stoechion*] Cur ita dicta sit *s* litera, ante expositum est: estque media *stoechion* longa. Nam quom Graece per diphthongon *ει* scribatur, illa diphthongus mutatur in *i* longum ex usu veterum teste Prisciano. BRISS.

1169. *Sed non principium*] Quod ab aliquo obiici posset, nonne, Terentiane, si tanti facis hanc literam *s* quoties est in principio alicuius verbi, sequente alia consonante, etiam *x*, quod valet pro *c* et *s*, est eiusdem vigoris in principio dictionis? Respondet verum esse *x* valere pro *c* et *s*, et non pro *s* et *c*, unde, inquit, "κάππα et σῖγμα facit, non σῖγμα et κάππα secundo": quare non valet, nec tenet illa ratio: quia si mutatur ordo, mutatur etiam vis ipsius literae *x*, ex quo dicit, *Quae cum mutatur, mutatur origo sonandi*. Syllaba igitur quae natura brevis sit, sequente *x* in principio dictionis, produci non potest, ut fit quando sequitur verbum incipiens ab *sc*, *st*, *sp*, quia dicit aliquid plus esse in his quam in *x*, quamvis duplicem praestet consonantem. Hoc autem superius suis est ostensum exemplis. PETR.

1172. *videtur hab.* COMM.

1179. *Imo velim spectes*] His versibus colligitur quod si dictio finierit in vocalem, et tertia syllaba sequatur quae habeat vocalem factam consonam, non valet vocalis illa finalis produci, quod probatur exemplo *Ante Iovem*, ubi dactylus crebro et rarior spondeus existit: si consimiliter media syllaba finiens partem orationis post se habuerit consonantem inchoantem dictionem dactylus utique integer remanet, ut hoc versu clarum fit, *Ante tibi Eoae:* si insuper sola consonans terminabit mediam syllabam dactyli et sequetur vocalis, ipsa syllaba correpta erit, ut hic versus docet, *Venit et Vpilio*. Et pueri haec omnia sciunt. PETR.

1183. *Tertia*] Supple *syllaba*. BRISS.

ib. *hiscere credas*] Quid autem sit *hiscere*, aut hiulcum contextum efficere, id repetas ex praefatione. BRISS.

1185. *AntE Iovem*] Versus est ex primo Georg. [125.] BRIS.

1186. *suscipit*] Id est, *excipit*. BRISS.

1188. *AntE tibi Eoae*] Versus est ex primo Georg. [221.] BRISS.

1189. *mediam*] Supple *vocalem*. BRISS.

1191. *VeniT Et upilio*] Ex decimo aegloga Vergilii [19.] locus est. BRISS.

1192. *Si mediam*] Hic regulam ponit dicens quod si post mediam syllabam dactyli sequatur muta et liquida, illa muta et liquida non potest *vexare*, i. e. de brevi longam facere, praecedentem syllabam, ut in exemplo *Vnde brevis*, et *percussa tridenti*. PETR.

ib. *mediam*] Supple *syllabam*. BRISS.

1193. *vexare*] Id est, *protrahere*, *producere*. BRISS.

1194. *VndE TRemor terris*] Hemistichion est Vergil. ex Georg. II. [479.] Ita enim habet versus, *Vnde tremor terris, qua vi maria alta tumescant*. BRISS.

ib. *percussA TRidenti*] Alterum est hemistichion ex Georg. I. [13.] Vergilii verba sunt haec, *Fudit equum magno tellus percussa tridenti*. BRISS.

1198. *Syllaba si contra*] Sensus est: At si syllaba sermonis *unde* detur, deturque statim fortis syllaba, scilicet *sci*, *spu*, *sta*, &c. ea syllaba, quae antea non producta videbatur, producetur. BRISS. Si, inquit author, litera vivida fortisque *s* sequatur ultimam trochaei terminantis partem orationis, de trochaeo apte et rite fient spondei; ut in exemplo *Vnde scire potes, percussa spumat harena:* nam *unde* est spondeus, *de* longa propter *sc* sequentes: item *cussa* spondeus, *sa* producta ratione *sp*, quia, ut superius satis dictum est, *s* tanti est vigoris quod antecedentem vocalem correptam adiuvat cum praedictis tribus mutis. PETR.

1201. *Nec modo quia verbo*] Muta et liquida non tantum in principio dictionis praecedentem syllabam natura brevem etiam brevem relinquunt, sed etiam in medio dictionis communem efficiunt, i. e. quae possit esse vel brevis vel longa. Nam eadem vocalis in eadem dictione sequentibus iisdem muta et liquida longa est apud Horatium in Sermonibus [II. 2, 122.] *Et nux ornabat mensas cum duplice ficu*. PETR.

1201. *putato sic cecidisse*] Id est, nolito credere ultimam syllabam *unde* corripi, quia in eadem dictione non subiiciuntur muta cum liquida. BRISS.

1202. *sermone*] Id est, *dictione*, *voce*. BRISS.

1204. *Et solem geminum*] Ex quarto Aeneidos [470.] locus est. BRISS.

1205. *Et dVPLices mediam*] Alibi *duplicem* legitur, sed rectius *duplices*: sensus est, et consona et uda non potuerunt reddere longam mediam vocalem verbi *duplices*. BRISS.

1206. *udarum quam vis*] Perspicis inquam quantum nunc fiat vis et vigor udarum inanis et cassus, quom subiectae sunt, id est mutis subiiciuntur, et quodam velut dictionis complexu sese retentant in eadem syllaba. At si liberae sunt udae suique iuris, id est, mutis non colligatae, capiunt vigorem consonae, ut exempla statim demonstrabunt. BRISS.

1208. *Hoc et diversa melius*] Quod superius dictum est de liquidis clarius hic notat, dicens quando vocalis post se habuerit liquidam et tertia syllaba sequens similiter ab eadem liquida incipiat, tunc de trochaeo fiet spondeus, ut probatur versibus, *Attollitque animos*, atque *Et Tyrrhena pedum*. PETR.

1209. *Vocalis mediae*] Supple *syllabae*. BRISS.

ib. *REsidet in unam*] Id est, terminabitur *uda* et claudetur, estque *residet* a *sido* compositum. BRISS.

1210. *Tertiaque accedens*] *Vda* supple. BRISS.

1212. *AttOLLitque animos*] Ex 12. Aeneidos. [4.] BRISS.

1213. *Et TYRRhena pedum*] Ex 8. Aeneidos [458.] versus est. BRISS.

1214. *Nec non vocalis primae*] Quod dixit fieri in secundis syllabis, sequentibus duabus liquidis, in diversis syllabis idem fit in prima carminis syllaba, ut per has dictiones patet, sc. *Pallenen*, *Tyrrhenas*, in quibus duplicatas liquidas perspicis. PETR.

ib. *VOcalis primae*] supple *syllabae*. BRISS.

1215. *Contineat*] Id est, *obtineat*, *capiat*. BRISS.

ib *veniensque*] Id est, *syllaba sequens*. BRISS.

1216. *Praepositam longae*] Id est, *udam positam ante longam vocalem*, quam videmus secundo loco in *attollit* aut *et Tyrrhena*. BRISS.

ib. *AEdi*] *effici*. BRISS.

1217. *PALLenen hunc*] Locus ex 4. Georg. Vergil. [491.] BRISS.

1218. *TYRRhenas, i, sterne*] Ex 7. Aeneidos [426.] locus est. BRISS.

1219. *Si fuerit correpta sequens*] Existente prima producta positu duarum udarum et duabus sequentibus brevibus dactylus procreatur. Exempla dantur in contextu. PETR.

ib. *sequens*] Supple *syllaba*. BRISS.

1222. *PALLADIa*] Ex 2. Georgic. [181.] BRISS.

1223. *PARRHASIo dictum*] Ex 8. Aeneid. [344.] BRISS.

1224. *Cur tantum valeant*] Liquidae geminatae in praecedenti exemplo praecedentem syllabam natura brevem efficiunt longam, quia vim liberam habent neque sunt mutis revinctae. PETR.

1226. *Vtraque complexu alterius*] Id est, in exemplis positis *L* et *R* coniunguntur cum vocalibus, nec tamen currunt subditae, id est mutis non subiiciuntur, cum quibus fere cassae fiunt et liquescunt. BRISS.

1228. *Quattuor udarum*] Varias, inquit, figuras effingi a prima et quarta liquida, i. e. ab *l* et *r*, quia modo brevem modo longam syllabam faciunt: sed ab his differunt *m* secunda et *n* tertia in ordine, quoniam in sermone Latino nulla consonans potest habere *m* post se in eadem syllaba. PETR.

1232. *sicut positum ante tenemus*] Illic scilicet, [v. 839.] *Non item potest secundam copulare et tertiam.* BRISS.

1233. *Tertia non aliter*] Dicit quod haec litera *n*, tertia liquida, nulli mutae subiungitur in prima syllaba dictionis praeterquam uni, videlicet *c*, quando haec nomina scribuntur *Cnaeus, Cnarus, Cnatus:* quia autem aliquis posset obiicere quod in hac dictione *omnis n* posita est post *m*, quod contrarium praedictae regulae videretur, respondet, hoc se intelligere de prima syllaba dictionis, nam in *omnis m* et *n* sunt in secunda syllaba. PETR.

1235. *Syllaba dum primas habeat*] Id est, dummodo syllaba habeat primas, seu in principio, mutam *g*, sive *c*, et *n* liquidam: et *creetur*, id est inchoetur, a geminis istis, id quod in principio rarum est, in mediis syllabis plurimum, ut *magnus, dignus, agnus, signa, pugna*, ut ante positum est. BRISS.

1236. *Has etiam geminas*] Sicut, inquit, *l* et *r* geminantur

et pedes formant, ita etiam *m* et *n* duplices ponuntur, ac similiter pedes formant: et de utraque posita sunt exempla in litera, de *m* ibi, [v. 1238.] *Talia flammato:* de *n* ibi, [v. 1239.] *Non anni domuere decem.* PETR.

1238. *Talia flAMMAto*] Ex primo Aeneidos [50.] versus. BRISS.

1239. *Non ANNI*] Ex secundo Aeneidos [198.] versus. BRISS.

1240. *TAM MVlta*] Ex primo Georgic. [449.] ducitur hoc hemistichium: ita enim habet versus integer: *Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.* BRISS.

ib. *una cum gente tot ANNOs*] Hemistichium est ex primo Aeneidos [47.] BRISS.

1241. *hinc*] Nihil muta. *Hinc*, i. e. ex his geminis. Comp. Santen. ad v. 1056. *ut illic*, i. e. ut iis Virgilii locis. LENNEP.

1242. *QuEM MEA*] Ex tertia Aegloga [22.] Vergilii. BRISS.

1243. *ANNVVS exactis*] Ex quinto Aeneidos [46.]. BRISS.

1244. *Nec non et mutas*] Mutae consimiliter geminantur ut liquidae, et positionem faciunt. Exempla in contextu. PETR.

1247. *Vda igitur nunquam*] Palam est quod *uda* alicui literae subiecta potestatem non habet producendi syllabam praecedentem, praesertim si talis syllaba fuerit in alia dictione, ut in exemplo superius dicto, *ostendere glebas.* Verum si fuerit in uno et eodem verbo, tunc ipsa liquida subdita poterit antecedentem syllabam brevem (producere), ut haec duo verba demonstrant, videlicet, *replet*, *Atlas*, quae positu mutae et liquidae primam longam habere cognoscuntur. PETR.

ib. *nunquam praebebit subdita*] Id est, *sequens in alia dictione cum muta.* BRISS.

1249. *uvida*] Id est, *uda.* Epenthesis est: quemadmodum in *navita* pro *nauta*, et *navis* pro *naus*, *i* post *u* addita, transit *u* in consonam ait Priscianus libro primo [p. 555, 562.] ut *gaudeo, gavisus, ναύτης navita, ναῦς navis:* unde sine figura loquendo *nauta* et *naus* dicemus vertendo Graecas literas in Latinas. BRISS.

1251. *Vda secunda utinam*] Ingemere videtur author quod *m*, quae est secunda liquida, non subiiciatur ita frequenter ut *l* et *r*, tamen dicit aliquando inveniri, sicut etiam *n* aliquando

invenitur, quod exemplis probat prolatione harum dictionum *Pyracmon* et *Cycnus*. PETR.

ib. *sic voce sederet*] Id est, locum haberet in vocibus, ut prima atque quarta uda, quae sunt plurimum nexiles consonantibus. *M* autem, teste Capella [s. 242.] *solam s subsequitur, ut Smynthius:* ante *m* invenitur *c d g t* ut *Pyracmon*, *Alcmena*, *agmen*, *dragma*, *dmois*, *Admetus*, *Tmolus*, ut ait Priscianus libro I. [p. 565.] BRISS.

1252. *qui dixit membra PyraCMon*] Verg. 8. Aen. *Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon*. BRISS.

1253. *et quarta frequentior his est*] Dicit quod *r* frequentius quam aliae liquidae mutis subiicitur. Omnibus exempla patent in litera. PETR.

1255. *FaBRicium dixit*] Vergilius libro VI. [845.] Aeneidos, *Fabricium vel te sulco Serrane serentem?* BRISS.

ib. *saCRum*] Vergilius in XII. Aeneidos [770.] habet hunc versum, *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum*, &c. BRISS.

ib. *qui, limite quaDRet*] Vergil. in II. Georg. [278.] *Arboribus positis secto via limite quadret*. BRISS.

1256. *AGRicola*] Vergilius II. Georgicorum [513.] *Agricola incurvo terram dimovit aratro*. BRISS.

ib. *vePRes*] Ex VIII. Aeneidos [645.] *Per sylvam et sparsi rorabant sanguine vepres*. BRISS.

ib. *dixit saliere per uTReis*] Ex II. Georg. [384.] *Mollibus*, inquit Verg., *in pratis unctos saliere per utres*. Fragmenta sunt versuum haec omnia, quibus Terentianus declarat *r* subiici omnibus mutis et ita iuvare tempore vocalem praecedentem. Quod tamen ante negaverat illic, *Et duplices mediam non possunt reddere longam*. Certum est tamen quando non deprehenduntur in eadem dictione cum vocali, ut *unde tremor terris*, &c. cassas fieri. BRISS.

1257. *Tempora sic praebent*] Hoc modo ait liquidae vim habent producendi syllabam, cum subiiciuntur in una sc. et eadem dictione. PETR.

1258. *Si pars sermonis*] Id est, si portio seu pars dictionis. BRISS. Eandem vim habent duae mutae modo sint in eadem dictione, ut demonstratur verbo illo *rapti*, et similibus, ut *captus*, ubi prima syllaba brevis est natura, sed longa fit

sequentibus *p t*. Brevem posuit Plautus non inelegans Comicus Epitaphio suo, cum inquit, *Postquam est morte captus Plautus comoedia luget.* Hic versus hexameter est, et sic feritur *Postquam est* – – *morte ca* – ᴗ ᴗ dactylus, quia *ca* correpta est a *capio* quod prima brevi constat. Et ipsa syllaba *ca* duabus sequentibus simul mutis longa poni potest, sic et muta ac liquida fieri solet. PETR.

1258. *perstat*] Id est, *contexitur*, *posita est*. BRISS.

ib. *nec fine trochaei finitur*] Id est, *si nec pars illa sermonis est in fine*. Nam tum difficilis esset syllaba, nec adiuvaretur facile tempore iusto ut longa fieret, maxime si destitueretur consona: de quo ante dictum est. BRISS.

1259. *geminae praebebunt tempora mutae*] Vt *obba*, *tucca*, *agger*. BRISS.

1260. *ut diximus ante*] Illic, *Necnon et mutas geminas componere possis*, *obba et tucca*, &c. BRISS.

1261. *Si qua*] Syllaba supple. *Si qua* et *si quae* promiscue dicitur. BRISS.

1262. *Sermonis*] Id est, *dictionis*. BRISS.

ib. *dixi*] Illic, *Si fuerit correpta, nihil praestare valebunt, quom scapulam, spatium stimulum subiungo trochaeo*, &c. BRISS.

ib. *pedis*] Supple *heroici*. BRISS.

1263. *Quom prior est*] Id est, *si aliqua syllaba prior est correpta*, sermonis quidem illa syllaba principium est, non tamen pedis heroici. BRISS.

1264. *Et genus invisum*] Ex Vergilio [Aen. I. 28.] haec decerpta sunt, *Et genus invisum*, inquit, *et rapti Ganymedis honores*. BRISS.

1267. *Quam facile &c.*] Ex Vergilii Aen. XI. [721.] BRISS. Quoniam author superius dixerat quod *x* litera duplex vim non habet producendi syllabam praecedentem quando non est in eadem dictione, et probaverat illo exemplo, *Sanguine turbatus miscebat litera Xerxes:* his modo versibus inquit quod si ipsa litera duplex erit in una et eadem dictione, tunc illam potestatem habebit quam duae consonae simul iunctae; et hoc probat exemplo huius dictionis *saxo* in versu, *Quam facile accipiter saxo*. PETR.

1271. *sermo incolumis*] Id est, *dictio integra*. BRISS.

1272. *Vivida nec praesto*] Nec, inquit, *s* praesens est in dictione toties quoties vocalis brevis est producenda sequentibus consonis, saltem in eadem dictione, nam in diversis oportet, (si Terentianum sequimur,) *praesto* esse *vividam*, si brevis vocalis nuda praecedentis dictionis est producenda. BRISS. Dicit de *s* litera quam appellat *vividam* et *vegetam* et *fortissimam*; quia posita ante *c p t* facit antecedentem syllabam finalem brevem esse longam, ut in supradictis notatum est. PETR.

1273. *At quotiens correpta*] Dedit prius exempla quomodo duae consonantes vel duplex consonans ut *x* et *z* praecedentem syllabam quae sit prima in eadem dictione natura brevem producant. Nunc vero affert exempla quomodo idem efficiant positae post secundam syllabam eiusdem dictionis, quia dixit supra, *Si qua prior vel posterior correpta locatur.* Sermo manere dicitur quando integer est, scilicet una et eadem dictio. PETR.

1276. *Efficit obiECTu laterum &c.*] Ex I. Aeneidos [160.] versus est. BRISS.

1277. *Nunc illa excEPTum*] Fragmentum est versus cuiusdam, sed cuius, adhuc quaero. [Aen. XI. 684.] BRISS.

ib. *correptas cernimus ambas*] Id est, videmus secundam *obiectu* brevem esse, sed produci propter tertiam syllabam quae constat geminis sonoris. Ita de *exceptum*. BRISS.

1281. *nulloque est fine recisus*] Id est, *concisus, divisus.* Multi grammaticorum greges familiaeque Terentiano minime videntur subscribere in his quae de litera fortissima attulit: qui quoddam velut firmamentum citant hunc locum Vergil. in XI. [309.] *Ponite, spes sibi quisque sed haec quam angusta videtis.* Item illud Horatii ex satyra quinta libri primi Sermonum [5, 35.] *Linquimus insani, ridentes praemia scribae.* Ad haec illud Ovidii, [conf. N. Erythraei Indicem Virgil. ad verb. *ponite.*] *Vivere spe vidi qui moriturus erat.* Sed in exemplis non est immorandum, quae vulgo sunt plurima: in quibus *ponite* si verum est, quod ait Terentianus, pes erit creticus, qui videtur abesse seu alienus esse ab heroico versu. Itidem *praemia* apud Horatium, et *vivere* apud Ovidium. Haec fortissimum sunt quae alios grammaticos impellant fateri non esse *s* tam vegetam quantam posuit Terentianus. Sed

Terentianus non negat et Bacchium et creticum posse inseri versibus heroicis ad exemplum Graecorum, *Dum*, inquit, *laevia carmina pangas:* raro tamen in carminibus maioris momenti, aut ponderis inseri debent: qui si aliquando in magno opere acciderint, non est notandus unus in tot millibus, et, ut ait Horatius in Poëtica [359, 360.] *quandoque bonus dormitat Homerus: Verum operi longo fas est obrepere somnum.* Id igitur in versu heroico vitium ducit Terentianus, non quidem quod id non fiat aliquando, sed quod raro. De arte enim ille scribit, ait Aldus [lib. IV.] non de licentia. Itaque vulgus grammaticorum parum admodum his, horumque similibus, urgebit Terentianum, aut coget de sententia dimoveri: Priscianus item Terentiano videtur assentiri, qui libro I. [p. 557.] s *in metro,* ait, *apud vetustissimos vim suam frequenter amittit.* Vergilius libro XI. [309.] *Ponite spes sibi quisque &c.* Quo in versu non video cur Priscianus dicat *s* vim suam amittere nisi insit ea vis quam Terentianus praescripsit, et putet *ponite* creticum esse, nisi *s* vim amittat: sed creticum in heroico Terentianus conlocat, id quod alii non admittunt. Non inficias ibo apud veteres *s* saepe vim suam amisisse, tam sequente vocali, quam non sequente: Lucilius, ut citat Gellius libro I. [c. 16.] *Campanus sonipes succussor nullus sequetur.* Ennius, ut citat Gellius libro XII. [c. 4.] *Doctus, fidelis, suavis homo, facundus suoque contentus &c.* Vergilius [Georg. II. 196.] *Aut ovium foetus, aut urentes culta capellas.* Nec profecto istud, ut ante attigi, mirum videri debet, ita *s* vim suam amittere, inquit Priscianus libro I. [p. 557.] *Adeo enim cognatio est huic literae cum aspiratione, ut Boeotes* muha *pro* musa, *quemadmodum contra ipsa pro aspiratione saepe invenitur posita, ut* semis, sex, septem, *pro* ἥμις, ἕξ, ἕπτα. Sed quae Terentianus tradit, acuta sunt: et de litera *s*, vim suam pertinente, traduntur. De litera *s*, hactenus dictum sit. BRISS.

1282. *Forsitan hunc aliquis*] Hactenus tractavit Terentianus quomodo de trochaeo spondeus fiat, hic autem dicit fortasse aliquem fore qui hunc librum ut verbosum damnabit, alium qui ingenio praestantior putabit pauca ab ipso authore dicta et reperta, quia ab eo plura inventa fuerint, alium demum qui desidia et impatientia dicet inventa a Terentiano esse nimis obscura quae intelligi non possint. Hos dicit se

non curare: quoniam varium ait non modo sui sed cuiusque libelli esse fatum, prout captus scilicet vel iudicium erit lectoris in cuius manus pervenerint. Nam si nacti erunt lectorem praestantem ingenio, qui facile plura possit congerere, dicet libellos esse diminutos et imperfectos: contra, qui erit infelicis et tardi ingenii appellabit eosdem libellos verbosos, quippe qui longe plura contineat quam ipse possit invenire: at qui erit ignavus et ad ea percipienda, quae scripta sunt, minus idoneus obscuros causabitur, unde ait, *Pro captu lectoris habent sua fata libelli.* PETR.

1284. *Pauca reperta putet, &c.*] Tandiu servanda sunt inventa doctorum, donec inveniantur meliora, ait Bessario [ ] in libris quos scripsit contra Platonis calumniatores: quem morem doctissimi quoque servavere Pythagorei et Plato in exquirendis naturae principiis, quod enim compererunt tandiu servandum censuere, donec melius aliquod occurreret. Plato in Sophista [p. 165.] scribit ad hanc sententiam, Vel reprobare debet qui minus credit, vel si reprobare non valet, eousque credere, quousque contradicere nequit: deinde, qui haec non approbat, cogitare debet, ut meliora quam haec inducat. Scitum est quod ait Martialis libro I. [ep. 62.] ad Laelium. *Quum tua non aedas, carpis mea carmina, Laeli, carpere vel noli nostra, vel aede tua.* BRISS.

1286. *Pro captu lectoris*] Genius, *Deus est*, ait Censorinus in opusculo de Die Natali [cap. 3], *cuius in tutela ut quisque natus est, vivit: sive quod ut generemur curat, sive quod una gignitur nobiscum, sive etiam quod nos genitos suscipiat ac tueatur.* At eorum quae gignuntur et a nobis in vitam non metaphoricos aeduntur, cum his quae componimus et conscribimus, apta similitudo perhibetur; inde foetura partusque dicitur compositio: Genius etiam compositioni hanc ob rem accommodatur, ut et habere genium dicatur aeditio nostrarum commentationum. Sed quis? aut quomodo? Platonis in Ione [p. 534.] docebit institutio. Quamdiu quis mente valet, ait, neque fingere carmina, neque dare potest oracula, quasi non arte praeclara haec canant, quae tu de Homero refers: sed sorte divina id quisque efficere possit, ad quod musa quempiam incitavit, hic dithyrambos canit, laudes alicuius iste, ille choreas, alius carmina, alius iambos, in aliis vero illorum quisque rudis et

ineptus est. Non enim arte, sed divina vi ista dicunt: Deus illis mentem surripiens, ipsis tanquam ministris utitur, ut nos qui audimus, percipiamus non eos esse qui tam digna referunt, quum suae mentis compotes minime sint, sed haec deum loqui, et per istos nobis haec inclamare. Cuius rei potest esse argumento Tynichus Calcideus, qui ante poëma nullum memoria dignum composuerat, hymnum autem in Apollinem, quem omnes cantant, omnium fere cantilenarum pulcherrimum musarum inspiratione invenisse se dicit: in quo deus ostendisse videtur, nobis dubitandum non esse, quin praeclara ista poëmata, divina deorumque potius, quam humana, hominumque sint opera. Musa igitur divino instinctu furoreque (est autem divinus furor, ait Ficinus [in Ionem] illustratio rationalis animae per quam deus animam a superis delapsam ad infera, ab inferis ad supera retrahit) poëtas concitat. Poëtae conciti alios corripiunt, manatque vis illa divina, pertinetque per multos, qua affectus quidam consertus, magnifice de rebus existimat. Non igitur sufficit ingenium ut liber vivat, sed musa seu deus aliquis pro genio debet esse libris ut vivant, quae si librum generari curarit, habebit liber genium, vivet, eritque suum nomen indelebile, alioqui non vigebit liber, quod notat Martialis libro sexto:

*Ingeniosa tamen Pompili scripta feruntur,*
*Sed famae non est hoc mihi crede satis.*
*Quam multi tineas pascunt blattasque diserti,*
*Et redimunt soli carmina docta coci.*
*Nescio quid plus est, quod chartis secula donat,*
*Victurus genium debet habere liber.*

Ubi Calderinus *genium* pro gratia nativa et lepore interpretatur, item pro deo famae libro VII. [ep. 11.] id quod mihi tortuosum videtur. De quo sit aliorum iudicium. Baptista Pius in Annotationibus Poster. [cap. xciv.] *Genium* pro Latini sermonis proprietate dicit. Si quis, ait, secus sentit, genium ac proprietatem Latini sermonis ignorat. Sed ut ad rem redeamus, per *fata libelli* non aliud intelligi puto, quam fiduciam, indicaturam, seu existimationem, qua vivit liber, estque in ore multis, si magnifica est, abortivus, et ut ait Plautus in Pseudolo [I. 1, 36.] *quasi solstitialis herba* (quae paulisper est, repente exorta, repentino occidit) si maligna: quam de sensu

captuque lectorum proficisci significat Terentianus, non a Genio, sensibus inspirari. Videtur itaque Terentianus Platoni, velut e regione, ut ait Cicero, occurrere. Desides et laboris impatientes lectis vix paginis duabus ἐσχατοκωδικὸν spectant, id est, ultimam paginam, et finem libelli, et, ut ait Martialis [lib. I. 6.] quum currere debeant bovillas, iter iungere quaerunt ad Camoenas: hi *gaudent inventiunculis, quae excussae risum habent, inventae facie ingenii blandiuntur*, ut ait Quintilianus [8, 5, 22.] Seria, difficilia, eademque gravia negliguntur, aut levissime attinguntur ab his qui, velut horrida et confragosa vitantes, amoenioribus locis desident, neque aliter quam hi qui a poëtis traduntur gustu cuiusdam apud Lotophagos graminis, et Sirenum cantu deliniti, voluptatem saluti praeferunt: illud non perpendentes *ubi tuber, ibi uber*, ut ait Apuleius in Floridis [n. 18. p. 85.] illud inquam non perpendentes, quod in his scandenti circa ima labor est, caeterum quantum processeris, mollietur dives et laetius solum. Quid tandem igitur? *nunc tantum quisque laudat, quantum se posse sperat assequi*, ait Cicero, [Or. c. 7.] BRISS.

1287. *Sed me iudicii non poenitet*] Voluit Terentianus subire iudicium Bassini filii et Novatemi generi, atque referre ad eos feliciter an secus impendisset operam in perducendo hoc tractatu, quod amplius ante significavit. BRISS. Bassinum filium et Novatum generum, quibus amorem pariter et prudentiam inesse dicit ac laborem in studiis, admonet quod iudicii huius ipsum non poenitet, quoniam ut superius haec illis corrigenda commisit, et eorum subtili examini reliquit ac mandavit. PETR.

1290. *in vestro satis est examine cautum*] Id est, satis providi ne quid praecipitarem quom in vestro examine appendi, et de iudicio vestro pendere meam operam permisi. BRISS.

1291. *Haec ego cum scripsi*] Declarat quod cum decem menses aeger fuisset ambiguum corpus habens, quia dubius erat an sanus ex ipsa aegritudine evaderet, an moreretur, se hoc opus scripsisse et composuisse, et quamvis propter infirmitatem vix posset complere, tamen omni nisu, ne videatur vitam suam silentio veluti pecora transisse, incoepta peregisse. PETR.

1292. *Pendebam ambiguum*] Allegoria est scita pariter et

docta, cui deinde velut obscuriori lumen adhibet, ut pervideri possit. BRISS.

1292. *Pendebam corpus ambiguum*] Id est, quodammodo in aequilibrio vitae mortisque componebam corpus ambiguum, id est anceps, quo inclinaret. BRISS.

1293. *nutans alterutrum*] Id est, vicissim varians, quorsum, id est ad vitamne an ad mortem, diverteret. BRISS.

ib. *neutro pondere sidens*] Id est, neque descendens, neque depressum oppugnante morte, vitaque repugnante: quae, velut commissa pondera, certabant altera alteram elevare et pervincere, id est utrinque, velut ponderibus examinatum, in neutram partem corpus inclinabat. Apud Horat. in Epistolis [I. 18, 63.] legitur *donec Alterutrum velox victoria fronde coronet.* Apud Ausonium in Epigrammatis [129, 6.] *Alterutrum videas, ut sit in alterutro.* Apud Priscianum libro VI. [p. 693.] *Alteruter, idem quod alter et uter valet.* Quae significata non quadrant huic loco: quare *alterutrum* vicissim interpretabor, nihil dubitans nasum Vallae [3, 59.] qui ridet, qui alterutrum vicissim interpretatur. BRISS.

1299. *Quo vitae dubius*] Id est, vivere mentis impotibus, atque his quidem qui haud multum haeredem adiuvant, quod ait Terentii Pamphilus de Phania [Hec. III. 5, 11.] *sibi vero hanc laudem reliquit, vixit dum vixit bene.* Aut ut Antonius Heliogabalus qui subinde iactitabat, *quid melius quam ut ipse mihi haeres sim, et uxori meae?* ut refert Lampridius [c. 30.] Sed quod ait Sallustius [Cat. c. 2.] mentis compoti vivere, est alicui negotio intentum praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerere, ne vitam sicuti perigrinantes transeamus. Neque vero id demum vivere est, sed etiam mortuo sibi vivere, ut loquitur Cicero in Claris Oratoribus [cap. xcvi.] Quo sensu Terentianus vixisse vel hoc uno opere voluit videri, de mente scilicet, non ut illi de mensa. BRISS.

1300. *Nulla vox humana*] Septem sunt vocales Graecorum et quinque Latinorum. Graecae sic dividuntur *α ι υ* sunt dichronae, i. e. communes, *η* et *ω* longae, *ε* et *ο* breves. Latinae autem vocales semper sunt communes, quia ponuntur omnes et breves et longae, ut patet poëtas legentibus: nam quando breves sunt habent unum tempus, quando longae duo. Sciendum tamen est vocalem *u* in fine semper esse longam.

Nullam autem humanam vocem constare absque vocalibus nemo negabit. Vocales enim sunt vox, consonantes vero pars soni. Reliqua clara sunt. PETR.

1301. *magistra Graecia*] Id est, quae velut artium liberalium est antistita, (hoc enim verbo Ciceronem usum fuisse testatur Priscianus libro quinto [p. 650.]) de numero autem vocalium satis disserui in pronuntiatione literarum. BRISS.

1303. *Romuli Latinitas*] Ita fere Capella libro tertio [s. 229.] loquitur, *Hincque* (inquit grammatica, nam illic personam loquentis sustinet) *mihi Romulus literaturae nomen adscripsit.* BRISS.

1306. *Caeteras tres quae supersunt*] Hos versus qui sequuntur posuit Terentianus ante, ubi de vocalibus et diphthongis disputavit. BRISS.

1314. *Vna vocalis iugata*] Capella libro tertio [s. 233.] *Vocales*, inquit, *modo solae syllabas formant, nunc consonantes utrinque suscipiunt.* Proprie tamen congregatio est et comprehensio literarum syllaba, ut ait Diomedes [p. 422.] *Nam syllabae dicuntur Graece* παρὰ τοῦ συλλαμβάνειν τὰ γράμματα, id est a concipiendis et connectendis literis. Id quod eleganter Terentianus circumloquitur, quom ait vinculum, nam signat ista congregale dictio *syllaba* supple. Abusive tamen vocalis etiam, quando est pars sermonis, id est, dictionis, una, id est sola seu nuda, syllaba dicitur. BRISS. Grammatici omnes syllabam esse literarum comprehensionem sub una voce et uno spiritu indistanter prolatam: idem hic author dicit, sed clarius. Notandum autem quod ubi dixit *congregale*, intellexit quod significatur per verbum Graecum συλλαμβάνω, quod est *comprehendo* vel *colligo: congregale* ergo *vinculum,* i. e. comprehensionem. Verumtamen sola etiam vocalis per se syllabam facit, ut *a* in *amo.* Sed est impropria. PETR.

1320. *Cum brevis duas habebit*] Tractaturus author de positione dicit quod si vocalis quae et brevis sit post se habuerit duas consonantes sibi adiacentes, tunc erit longa positione, ut in dictione *Est*, sive habuerit copulatas sequenti syllabae, ut in dictione *omnis*, *noster*, sive divisae sint illae consonantes, id est, quod una sit in fine praecedentis syllabae, altera vero in principio sequentis, ut in dictione *vallis collis.* Simili etiam modo hoc accidet cum aliqua ex duplicibus fuerit, ut *x* et *z*,

ut in dictione *faxo, saxum*. Unde ait, *Nec minus longam probamus una cum duplex erit, quia duarum vel gemellis cum iugamus*, id est, cum geminae vocales facerent syllabam, ut in diphthongis: unde ait, *A et e simul iunctae vel cum illa singulae, Quinta quae vocalis est longam creabunt syllabam:* quod est cum *a* et *e* fuerint simul iunctae ut *ae*, seu cum unaquaeque earum fuerit iuncta cum quinta vocali quae est *u*, ut *au eu*, syllaba erit longa. Hoc vero fieri non posse quando *i* et *u* vel *u* et *i* sunt simul, ostendit, dicens, *I et u non hoc valebunt siue praesint alteri*, ut est in *Iuvo*, *vado*, unde, inquit, *vel sibi cum copulantur*, et illico reddit rationem, dicens, quia prior consonans est, et illa quae remansit unum solum habet tempus vel duplum, ut omnis habet syllaba cum producta est. Similiter et *o* cum *e* simul iunctae diphthongum constituunt. PETR.

1320. *brevis*] Supple *vocalis*. BRISS.

1321. *Sive secum*] Id est, in eadem syllaba. BRISS.

1322. *Singulae vel dividentur*] Id est, vel quando altera in priore, altera in posteriore syllaba ponetur. BRISS.

1327. *iure distant temporum*] Necesse est inquam. Cum omnis diphthongus constet duabus vocalibus, necesse est omnem diphthongum habere duo tempora, habet enim quaelibet vocalis minimum, unum tempus quod ab utraque quom velut in medium confertur, geminum coalescere necesse est: unde duo tempora habere minimum diphthongon oportet. Sed quum diphthongus omnis Latina a Graecis ducta sit, ut superius positum tenes: nempe *eu* ab ευ, *au* ab αυ, *ae* ab αι, *oe* ab οι: ut prae se ferant et quasi confiteantur suam originem, diphthongus *eu* retinet tempus diphthongi ευ. At quum ε Graecis correpta sit semper, υ communis litera, ε tempus unum habet, *u* si cum Prisciano [II. c. 2.] loquar, unum et semissem, quum sit communis. Ita diphthongus ευ vel duo tempora, vel duo et semissem, ut plurimum possidebit: ευ igitur Latina diphthongus totidem continebit, ne parentis suae quodammodo notam prorsus exuat. αυ ex communibus Graecis constat, ita οι, αι. Unde *au*, *ae*, *oe*, quae inde ducuntur, plus temporis capient quam *eu* ut videre pervium est. Quid igitur velit hoc loco Terentianus, videas. Sunt igitur omnes diphthongi longae si tempora spectes. Nec tamen continuo fit

ut producto sono pronuntientur, quemadmodum dixit Terentianus, longe superius, in tractatu De diphthongis [l. 551.] Habere enim productum tempus et productum habere sonum, sunt ista Terentiano dividua. BRISS.

ib. *iure—temporum*] Id est, attributione temporis et possessione, nam plus temporis huic quam illi attribuitur. BRISS.

1328. *E et V simul*] *E* et *V* faciunt diphthongon *eu:* et singulae quae possunt convenire in diphthongon ut *a*, *o*, quae constituunt diphthongos *au, ae*, *oe* longam creant syllabam semper, siquidem spectes tempora, non tamen semper, si pronuntiationem respiciamus, ut ante dictum est. Sed libet huc adscribere versus, in quorum locum hos duos supposuimus, ut opera nobis haec inanis, an in usum impensa sit, ut ait Terentianus, videatur. Ad hanc formam igitur erant conscripti. *V* et *E* simul iunctae, vel cum illa singulae. Quinta quae vocalis est, longam creabunt syllabam. In quibus, si dispicis, ut corruptela quaedam est versus, ita sensus nec plenus, nec planus. Non enim in contextu toto si lectionem veterem retines, apparebit disputatio de diphthongis iusta, nam nusquam fiet mentio de diphthongo *ae*, de diphthongo *au* subobscure. BRISS.

1332. *Illa quae remansit*] Id est, *posterior*. BRISS.

1332, 33. *tempus unius tenet, Sive duplum quantum*] Alias quale legebatur, sed quantum Latinius legetur: sensus est prior non iuvat posteriorem, ut ante saepius positum est, ita posterior manet tanta, quanta foret destituta priore: nam si brevis est unius, id est vocalis tempus retinet, si producta duplum. BRISS.

1334. O *cum* E *tantum iugatae*] Sine synaloephe legi debet, quod in monosyllabis ita fere accidit. Sensus est, syllaba literae *o* quae tantum iugatur cum *e* in constituendis diphthongis semper est longa. BRISS.

1335. *Quom duas sermonis usus*] Id est, *quom duas* illas syllabas, id est, vocales (quae dicuntur etiam syllabae) consuetudo (penes quam vis est et norma loquendi) seu regula loquendi iungi postulat in diphthongo. BRISS.

ib. *syllabas*] Explicat *vocales* Brissaeus: equidem intelligo duas diphthongi vocales, cum olim duas syllabas facerent, usu tandem una comprehensas esse syllaba. Lege v. 379. Priscian.

I. p. 561. et Vossium de Arte Gramm. II. 4. SANT. Facio equidem cum Brissaeo. *O* et *E*, cum utraque pars sermonis esse possit, recte utraque syllaba vocatur, secundum doctrinam supra propositam v. 1318 seq. Has autem duas syllabas, quando usus sermonis comprehendit, hoc est, ex iis iugatis unam diphthongum facit, semper longa syllaba existat necesse est. Vult autem Terentianus, *O* cum *E* tantum iugatae (non cum *A*, cum *I*, cum *V*) unam longam syllabam existere. LENNEP.

1336. *Hoc ut exemplis*] Quod praedicta vera sint, dicit se velle exemplis probare; sed priusquam hoc faciat, dicit se tractaturum de pedibus simplicibus, ut est dactylus, anapaestus et similibus, deinde de compositis, ut Paeanes et Epitriti. Scribit etiam nullam esse syllabam quae, licet natura longa sit, possit per se pedem formare et si habeat duo tempora, duas vero syllabas, quamquam breves pedem constituere posse; unde et in prosa et in versu sunt pedes, vel simplices vel duplices, et recte divisi sunt: nam plures a quatuor pedes simplices esse non possunt, quia vel binae illae syllabae erunt breves, ut *pius* et erit pyrrhichius, vel longae et erit spondeus, ut *omneis* vel erit brevis et longa et erit iambus, ut *amans*, vel longa et brevis ut *nullus*, et erit trochaeus; et sic de reliquis. PETR.

ib. *ut exemplis*] *ut*, id est, *quomodo*. BRISS.

ib. *ut omnis*] *ut*, id est, *quomodo*. BRISS.

1337. *Ante*] Supple *tractatum* est. BRISS.

1339. *Vna vis quod syllabarum est*] *Vis*, id est, *coniunctio*, seu *iugatio*, seu *multitudo syllabarum*, id est, *pedum*: ita enim ante et postea, syllabam usurpavit Terentianus. Sensus est, propterea de simplicibus dicam ante, quando quom duplices pedes scandimus, in duplicibus vim et veluti copiam simplicium pedum videmus subesse. Sunt igitur simplices, ut ante duplices creati, ita ante veniunt tractandi. BRISS.

1343. *Vna longa non valebit*] Diomedes p. 471. *Pes tunc dicitur quando duae sunt syllabae, quoniam arsin et thesin pedimus quaerimus, non ubi duo tempora sunt. Ergo una longa pedem non valebit efficere, quia ictibus duobus arsis et thesis non gemello tempore perquirenda est.* SANT.

1344. *licebit*] Id est, *fieri poterit*. BRISS.

ib. *bis feriri convenit*] Id est, oportet esse duplicem ictum in uno pede. Idem Diomedes libro III. [p. 471.] praecipit, et Censorinus in Die Natali. BRISS.

1345. *Parte nam attollit sonorem &c.*] Exponit duplicem illam percussionem pedum, recipit enim pes sublationem et positionem. (Altera ἄρσις altera θέσις Graece dicitur.) Nam sustollere primam partem pedis, deprimere secundam oportet, si legitime nobis accentuum regulae servantur. *Nam*, Priscianus in Accentibus [p. 1289.] inquit, *in unaquaque parte orationis arsis et thesis sunt non in ordine syllabarum, sed in pronuntiatione, ut in hac parte natura, quando dico natu, elevatur vox, et est arsis in tu, quando vero* ra *vox deprimitur, estque thesis in* ra, *sed ipsa vox quae per dictiones formatur, donec accentus perficiatur in arsim deputatur: quae autem post accentum sequitur in thesim.* Sed haec diligentius in sequentibus disputabuntur. BRISS.

1348. *momenta*] Id est, *spatia.* Terentianus in fine tractatus de pedibus arsin dabit et thesin singulis pedibus. BRISS.

1350. *Aut enim quantum est in ἄρσει* &c.] Idem Cicer. in perfect. Orat. [c. 56.] de pedibus oratoriis seu numeris (non enim sunt alii oratorii alii poëtici, quam vis aliter collocentur) *Omnis*, inquit, *numerus talis est, ut unus sit e tribus: Pes enim qui adhibetur ad numeros partitur in tria, ut necesse sit partem pedis aut aequalem esse alteri parti, aut altero tanto maiorem esse, aut sesqui.* (Ita enim Budaeus hunc locum Ciceronis legit in Asse p. 10.) *Ita fit aequalis dactylus, duplex iambus, sesquiplex paeon: quibus ordine locatis, quod efficitur, numerosum sit, necesse est.* Idem tradit Quintilianus libro IX. [cap. 4.] quod notat Terentianus dicens, *Quicquid istis discrepabit absonum reddet melos.* Sed de istis omnibus amplius sub finem tractatus pedum disseremus. BRISS. His versibus exponit quod a Cicerone dictum est in Oratore perfecto, ubi ait, [c. 56.] *Pes enim qui adhibetur ad numeros partitur in tria, ut necesse sit partem pedis aut aequalem esse alteri parti, aut altero tanto, aut sesqui esse maiorem ita fit aequalis dactylus, duplex iambus, sesqui paean.* Unde ait *altera aut simplo vicissim temporis duplum dedit, sescuplo, vel una vincet alterius singulum.* Id est, aut proportio erit aequa, i. e. tantum temporis habebit in sublatione quantum in depressione, ut in dactylo, quale esset

*Tityrus*, aut est dupla, i. e. vel in arsi erit duplex, et in thesi simplex, vel, e converso, ut iambo quale est *salus*, vel in trochaeo, ut *prosper;* aut est sesquipla, quae est quoties una pars alteram continet et eius dimidium, ut in cretico quale est *insulae:* si igitur aliter invenietur pes non reddet sonoram vocem. PETR.

1350. ἄρσει—θέσει] *Arsis*, sublatio: *Thesis*, depressio. PETR.

1352. *Sescuplo vel una &c.*] Priscianus libro VI. [p. 694.] *Sciendum est,* inquit, *quod in us terminantium genitivus producit penultimam, nisi poëtica authoritas eam corripiat, excepto* alter, alterius, &c. *Terentianus tamen*, inquit, *invenitur huius etiam penultimam produxisse in trochaico metro, illic, sescuplo vel una vincet* alterīus *singulum.* Similiter facit Terentianus in metris, illic, *Sub* alterīus *consonat vocabulo.* Idem, *Nec* alterīus *indigens opis veni.* BRISS.

1353. *melos*] De voce *melos* (uti scriptum est apud Plutarchum in praefatione in Musicam) quamvis vulgo nota esse videatur, aliquid tamen dicendum duxi. *Melos* prima significatione, membrum corporis dicitur. Sed quemadmodum multa variaque membra in uno animantis corpore sunt, varia atque diversa officia praestantia, quae tamen finem eundem vitae conservandae spectant: sic quia diversae voces mistae concorditer concentum unum conficiunt, cantum provenientem inde, Graeci *melos*, nos modum, modulumque vocamus &c. Intelligas hoc loco *melos* iuncturam illam numerosam, de qua plurimus sermo est apud oratores. BRISS. *melum*] *modulationem.* PETR.

1354. *rythmici*] *Nec sunt,* inquit Cicero in tertio de Oratore [c. 49.] *haec Rhythmicorum ac Musicorum acerrima norma dirigenda &c.* ubi *rhythmicos*, histriones appellat, qui certa lege *motus* et *gestus* et *constricta* utuntur. Hoc loco *rhythmicos* intelligo rhetores, qui *rhythmorum*, id est, numerorum tradunt institutiones, quorum numerorum usus est plurimus in orationibus. BRISS.

ib. *vel musici*] *Musicos* quis dubitat momentis temporum exigere maximam partem artis suae? *musicos* autem hoc loco non intelligo qui vocis intentione nonnunquam ebriorum aut comessantium licentiam referunt: aut qui saepius ad ravim usque gloriolae aucupio, perducuntur: sed illos veteres aut

veterum similes, qui maiorum suorum gesta carmine comprehensa, tum fidibus, tum tibiis pangere solebant. Ars enim poëtica (quae a musis carmina dictantibus sumit initium) veluti legitima *musica* licentior, magisque modulata est, si Censorino [cap. 4.] credimus. Unde Priscianus in praefatione suae grammaticae [p. 534.] *utrunque* (de Homero, Vergilioque loquitur) *arcem* musicae *possidere* dicit. Quintilianus libro I. [10, 9.] de laudibus *musicae* disserens, *Nam quis ignorat*, ait, musicen (*ut de hac primum loquar*) *tantum illis iam antiquis temporibus non studii modo, verum etiam venerationis habuisse ut iidem* musici *et vates et sapientes iudicarentur?* —*Et Timagenes author est omnium in literis studiorum antiquissimam* musicen *extitisse, et testimonio sunt clarissimi poëtae, apud quos inter regalia convivia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur. Iopas ille Vergil.* Vide caetera. BRISS.

1355. *Nos viam metri &c* ] Sensus est, nos explicare instituimus et velut demonstrare viam ad versus tractandos, quamobrem hanc pedum distinctionem nobis in animo est hactenus attingere, quatenus natura pedum *metricorum* res illas attiugi postulabit. BRISS.

1359. *Primus*] Multa possem ex Diomedis libro III. tractare, quae hunc locum videantur pertingere, sed quae ad contextus sententiam pertinebunt, adhibitis, illinc repetenda caetera commonemus. Satis est enim velut signa et notas ostendere locorum, quibus cognitis, parvo labore, nullo errore fusiora possit invenire, qui plura desiderabit. BRISS.

ib. *Primus ille est*] Tractaturus author de pedibus primum locum assignat pyrrhichio, qui duabus syllabis brevibus constat, iureque eum caeteris praeire ostendit cum dicit, *Ante enim breve est creatum, redditum longum dein.* PETR.

ib. ἡγεμὼν] Id est, *ductor*. BRISS.

1362. *Sicut unum*] Docet quoque quod nominibus ipse pes appelletur, dicens ἡγεμὼν dicitur, i. e. auctor et ductor, i. e. princeps sonorum; nam ἡγεμὼν Graece *dux* Latine. δίβραχυν duas breves habentem appellat, deinde pyrrhichium eo quod aptus sit saltationi pyrrhicae, quam Pyrrhus invenit, quae saltatio ita brevis est et ita cita ut sunt hi syllabarum soni. Subiungit ipsum pedem etiam vocari pariambum, sed vetari ratione metri, eo quod haec dictio habeat primam brevem,

nisi concedatur uti ἐκτάσει, i. e. *extensione*. Nam in his metris opus est ut in principio semper sit creticus: quod ipse inferius praecipit cum ait, *Primus iste pes locatur his ubique in versibus*, loquens de cretico, quare clarius cognoscetur male posse locari in metro tale nomen. Docet autem huius pedis nomina, ne legentes, cum aliud alibi nomen invenerint, errare possint. PETR.

1362. *Sicut unum numerus*] Diomedes lib. III. [p. 471.] *Ante*, inquit, *brevis quam longa syllaba reperta est, ut prius unum quam duo*. BRISS.

1363. *Ergo—princeps*] Alias sic legebatur, *Ergo natura repertus iure princeps dicitur*. *Princeps*, id est, *primus*. BRISS.

1364. *non est creatus*] Supple *alius pes*. BRISS.

1366. Πυρρίχιος, &c.] Iste pes pyrrhichius dibrachys, bibrevis, tripudians, cinesias, pariambus, hegemon dicitur. BRISS.

ib. *quippe et aptus pyrrhichae*] Libro X. Apuleii de Asino Aureo [p. 578. ed. Bas. 1597.] abunde Beroaldus de pyrrhicha, et in commentariis Suetonii in vita Iulii Caesaris [c. 39.] disserit: sed verbum tantum addam de pyrrhicha. Plato in VII. [p. 815 A.] de Legibus, Motus pyrrhiches, inquit, imitatur corporum flexus, quibus tela plagaeque vitantur, declinando, concedendo, exiliendo in altum, humique se contrahendo. Contrarios item gestus imitatur quibus contra alios quicquam infertur sagittando, iaculando, feriendo. Erat genus saltationis a Pyrrho reperta ut testatur Plinius libro VII. [c. 57.], Strabo libro X. [p. 681=716.] a Pyrrhicho deo Curetum [sic Pausan. III. 25.] fuisse repertam tradit: unde Terentianus ait Pyrrhicha tam cito motu recursat, id est, agitatur, flexuque et motu corporis replicatur, id est, redeunt illae replicationes seu flexus corporis in pyrrhicha, et repetuntur, quam cito feritur pyrrhichius. Lege Diomedem libro III. BRISS.

1369. ἔκτασιν] *ἔκτασις est extensio syllabae contra naturam verbi*, inquit Aelius Donatus [p. 1772.] cui opponitur systole. BRISS.

1370. *Ars vetat*] Id est, regula huius carminis vetat primam syllabam pedis esse brevem, nisi forte id contingat ex solutione longae in duas breves, ut ex trochaeo tribrachus fiat,

quod hic non fit, nam prima brevis tantum pro longa ponitur. BRISS.

1372. *Ne quis erret*] Alias legebatur, *Ne quis erret quando,* &c. BRISS.

1373. *vel artis usque ad ista nescium*] Id est, *istas artis seu minutias, seu particulas nescire quae pedum nomina cernunt.* BRISS.

1375. *Est huic adversus*] Agit hic author de spondeo, qui duas habet syllabas longas: syllabis quidem compar est pyrrhichio, sed dispar est temporibus, quia constat quatuor temporibus, duobus vero tantum pyrrhichius: derivatur autem ἀπὸ τῆς σπονδῆς, hoc est, a sacrificio, eo quod sacrificantes cantabant carmina spondaica, ne audirent sonum vocis abominosae, i. e. alicuius mali augurii. PETR.

1377. *Qui quod in templis canorus*] Spondeus dictus est παρὰ τὴν σπονδὴν, id est, *a libatione*, quia in templis quaedam adhibebant carmina, ut libantes sonum vocis abominosae audire non possent ait Diomedes [p. 472.] *Neque* enim *solum deorum voces Pythagorei observitaverunt*, inquit Cic. in I. [c. 45.] de Divinatione, *sed etiam hominum, quae vocant omina, quae maiores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset, praefabantur, rebusque divinis, quae publice fierent, ut faverent linguis, imperabatur,* id est, ut silerent, quomodo interpretatur Donatus in Andriam [Prol. 24.] aut potius, ut ait Festus Pompeius [in v.] bona farentur: haec paucis perstringit Terentianus, hoc contextu quom ait, *qui quod in templis canorus, a sono,* id est, auditione, *vocis malae,* id est, abominosae, *obstat auribus libantis,* id est, veluti obicem et obstaculum apponit. BRISS.

1378. *et favet*] Id est, bona fatur omina quae ex superstitione veterum sacrificantibus prodesse credebantur, id est, hymni qui spondaici erant, fausta significabant. Idem, pes pontificius appellatur. BRISS.

1381. *lex soni communis est*] Sensus est, ratio seu proportio in pyrrhichio et spondeo aequalis est. BRISS.

1382. *Qui brevem primam*] Iambus pes virilis, acer, et citus constat duabus syllabis prima brevi et ultima longa. Sunt qui dicant Iambum sumpsisse nomen ab Iambe famula Celei, quae

Cererem quaerentem filiam Proserpinam ad Meganiram Celei coniugem delatam, cum vidisset, male tractavit. De hoc pede satis multa dicta sunt a Christophoro Landino super eo carmine Horatiano, *Archilochum proprio rabies armavit iambo,* in Arte Poëtica; quare illum audito. PETR.

1383. *pes virilis*] Propterea iambus virilis pes et acer dicitur, quod, (ut in metris dicet Terentianus,) *Archilochus isto saevit iratus metro contra Lycamben, et filias,* quodque vigoris plenus sit: qui quantum potuerit, Lycambes expertus est. Cuius rei causa est quod *acres pedes sunt qui ex brevibus ad longas insurgunt,* ait Quintilianus libro IX. [4, 92.] *leniores qui a longis in breves descendunt.* Nisi forte haec sit causa solum quod acer vocetur, virilis autem dicatur, quod *grandes cothurni,* ut ait Horatius [A. P. 80.] *hunc coepere pedem,* quo magna describi possent. BRISS.

ib. *et raptim citus*] Horatius in Poëtica [v. 251.] *Syllaba longa brevi subiecta vocatur iambus. Pes citus*] Rufinus apud Priscianum [p. 2710.] appellat *cursorem.* Cuius ratio in promptu est, nam ut ait Terentianus, *brevem crebra consequendo longula citum subinde voluit arctius sonum:* sed de his amplius in iambico carmine. Hic pes *gradalis*, seu *gradarius*, et *daunius* dicitur. Lege Diomedem libro III. [p. 473,] aut Aldum libro IV. suae grammatices. BRISS.

1384. *Nec minus currit*] Trochaeus, qui et χορεῖος dicitur, contrarius est iambo, qui tamen pedes sc. iambus et trochaeus dividuntur divisione dupla; et exempla amborum pedum author in litera designat. PETR.

1385. *parcior*] Id est, *brevior.* BRISS.

1386. Χόριος *idem*] Choreus apud antiquos idem fuit cum trochaeo simul et tribracho. Quod ex nono Quintil. [4, 80.] fit manifestum. *Iambum,* ait, *brevi longaque, huic contrarium e longa et brevi, hunc choreum nos, (non) ut alii trochaeum nominemus.* Paulopost, *tres breves trochaeum quem tribrachyn dici volunt, qui choreo trochei nomen imponunt.* Cicero in perf. Oratore [c. 63.] choreum cum trochaeo quidem confundit, sed a tribracho distinguit. Ciceronis verba sunt haec, *Dichoreus,* inquit, *vocatur quum duo extremi chorei sunt, id est, e singulis longis et brevibus.* Contra paulo inferius [c. 64.] inquit, *Ne iambus quidem, qui est e brevi et longa, aut par choreo*

*qui habet tres breves, sed spatio par, non syllabis, aut etiam dactylus* &c. Sed quum pro trocheo ponitur, differentiae causa videtur, ait Aldus [lib. IV.] scribendum per *i*, excluso *e*: ut χόριος pro tribracho autem per diphthongum sic χορεῖος &c. hic pes cordax, rutilus, chorius, seu choreus dicitur. BRISS.

1387. *vicibus*] Id est, alternatione quadam, et velut altero proportionis modo; lege Diomedem libro III. [p. 473.] de trochaeo pede. BRISS.

1391. *vicissitudo*] Id est, *disputatio alterna*, nam tractantur pedes, sed alii post alios. BRISS.

ib. *vertitur*] tractatur. BRISS.

1392. *Nam quater reciprocantur*] Id est, *referuntur contra, convertunturque in vicem seu committuntur.* BRISS. Hoc versu quod dictum est superius ostendit, dicens, quod duplex tempus et numerus reciprocatur tantum quater, id est, quod bisyllabi pedes sunt quatuor duntaxat, eo quod syllabae binae vel erunt ambae breves vel longae, vel erunt longae et breves vel e converso; Et ita tantum quatuor sunt pedes bisyllabi, videlicet, pyrrhichius, spondeus, iambus et trochaeus. PETR.

ib. *numerus et tempus duplex*] Sentit Terentianus numerum syllabarum et tempus totius pedis dissyllabi duplex, quater reciprocari. Quod enim in singulis dissyllabis numerus sit duplex syllabarum (nobis unitas numerus est hoc loco, ut et arithmeticis aliquando) propalam est, quod itidem et duplex tempus sit, si solidos pedes respicis, liquido patet. Nam in spondeo arsis tempus suum habet, thesis itidem suum; in pyrrhichio similiter, nec secus in trocheo, aut iambo. Ita duplex et ad numerum syllabarum et ad tempus commode referetur. BRISS.

1393. *Octo porro procreantur*] Octo sunt pedes trisyllabi quorum primus est tribrachus, cui contrarius est Molossus, quod ἱππεῖος et trilongus dicitur. Et sic omnes octo bini prout contrarii sunt ab authore ostenduntur. Non ignorandum est pedes trisyllabos plures octo esse non posse nec pauciores, eadem qua supra ratione de bisyllabis, nam tres syllabae, quibus hi pedes constant octo modis habentur; vel enim omnes tres syllabae breves erunt, et sic erit tribrachus, ut *anima*; vel omnes longae, et erit molossus, ut *Romanos*; vel erunt duae longae et una brevis, et tunc erit bacchius, ut

*heroas*; vel e converso et erit palimbacchius vel antibacchius, ut *Achilles*; vel erunt prima et ultima longae, media autem brevis, et erit amphimacrus, ut *insulae*; vel e converso, et erit amphibrachus, ut *Latinus*; vel prima longa et extremae breves, et erit dactylus, ut *Romulus*; vel e converso et erit anapaestus, ut *dominos*. Itaque sic se habent trisyllabi pedes: authorem audias, et quae dicta sunt vera esse cognosces. PETR.

1395. *recursant—adversi*] Id est, *opponantur*, *committantur*. BRISS.

ib. *vice temporum*] Id est, *successu quodam rationis et proportionis ordine*. BRISS.

1397. *Hunc* μόλοττον] Seu μόλοττον seu μόλοσσον legas nihil refert: quum Graecis σ et τ fere sibi vicissim cedant. De nomine *molossi* vario, vide Diomedem lib. III. [p. 475.] BRISS.

1403. *Is erit anapaestus*] Carmen hoc ita scandi debet *is erit ana*, ut primus pes sit creticus: nec mirum alicui videatur si hic pes quinque syllabas habeat: nam duae primae ponuntur pro una longa, et sic duae extremae. Ita hoc modo fit creticus, qui constat tribus syllabis media brevi et extremis longis: quia, ut supra dictum est, semper creticus tenet primum locum in hoc versu, unde author ait, *Versus hic nusquam vacillat*. Quod autem creticus in quinque breves resolvatur ipse author inferius declarat, ubi ait *longam resolvi per duas dixi breves; Ipsumque posse quinque totas creticum Breves habere, quando longas solveris. Est ergo et ille versus integer meus Quo quinque feci syllabarum creticum* Is erit ana*paestus quinque post spondeus est*. PETR.

ib. *quod sit pes iste temp*. COMM.

1404. *Versus hic nusquam vacillat: hoc suo reddam loco.*] Terentianus intra triginta versus plus minus dicet, *Primus iste pes locatur his ubique in versibus*, de cretico loquens, sed in hoc versu quom non sit creticus, sive amphimacrus, claudicare seu vacillare quibusdam videri possit, sed non ita est, nam ut ait paulo inferius, *Amphimacros saepe primam, saepe solvit tertiam, Quin et ambas saepe solvens, quinque componit breves, Versus est ut ille noster* (de hoc enim intelligit) *quem probare debeo*. Item in Metris ait, Longam re-

solvi per duas dixi breves, Ipsumque posse quinque totas creticum Breves habere, quando longas solveris: Est ergo et ille versus integer meus, Quo quinque feci syllabarum creticum; Is erit ἀνάπεστος quinque post spondeus est: En locus ubi Terentianus reddit hunc esse versum integrum: hos versus quom citat Aldus, *nunquam* legit sed *nusquam* mihi magis quadrat. BRISS.

1406. *Dactylum*] Dactylum et anapaestum aequa dividi dimensione hi tibi versus ostendunt, quia quot tempora sunt in arsi, tot et sunt in thesi. PETR.

1407. *Ordinis situ repugnans*] Id est, positione longarum et brevium, nam in primo loco dactylus habet longam, in secundo breves: anapestus contra. BRISS.

ib. *modo*] Id est, *mensura, quantitate.* BRISS.

1409. *librat*] Id est, *moderatur, temperat, aequiparat.* In hoc versu legit Aldus [ ] *uterque* non *utrunque*, sed non video sensum idoneum; multo commodius sensus existit talis, utrunque tempus horum, id est, dactyli et anapesti existens, (barbare, dum plane, loqui concessum est interpretibus) aequum, id est aequale, librat et aequiparat arsin cum thesi. BRISS.

1410. *Quom duas longas*] Non solum hoc loco Terentianus videtur dissentire aut discedere a traditione caeterorum, sed et in sequentibus. Quod hic sub disiunctione tradit, certius asserit in metris inquiens, *Bacchio adversus fiet pes*, (De antibacchio loquitur.) *Nam brevis ante est, et geminae longae* &c. et paulo inferius De anapestico loquens, *Tuba terribilem sonitum dedit aere recurvo:* ubi *rĕcūrvō* antibacchium ponit. Diomed. [p. 476], Capel. lib. IX. [s. 986], Donat. [p. 1739], Quintil. [IX. 4, 82], aliique Grammatici antibacchium seu palimbacchium appellant, quem Terentianus bacchium, et bacchium quem Terentianus antibacchium, tu quod voles sequere, parvulum enim refert. Nam teste Quintil. [III. 6, 2.] *non interest discentium quibus quodque nominibus appelletur, dum res ipsa manifesta sit.* Ad haec *antibachos* in contextu, pro antibacchios ponitur causa metri. BRISS. Signat bacchium et antibacchium contrarios pedes dicens bacchium constare primis duabus longis, et ultima brevi, e converso antibacchium qui et palimbacchius dicitur prima brevi, et ultimis duabus longis. Potes etiam sic explicare; Pes qui habuerit ultimas

longas sit antibacchius, qui vero primas longas sit bacchius. Quapropter ait *Nomina aut vertes vicissim.* Quem horum dices bacchium contrarium antibacchium nominabis; namque alii metrici bacchium dicunt constare ex prima brevi et duabus sequentibus longis. PETR.

1413. *Nomina aut vertes vicissim*] Id est, aut antibacchium dices, quem dixi bacchium. BRISS.

1414. *nominato qui redit contrarius*] Sensus est, quum priorem dixeris esse antibacchium, nominato supple *bacchium qui redit* &c. BRISS.

1415, 16. *bina ternis appara, Vt pedum natura* &c.] Id est, compara bina tempora ternis in arsi et thesi prout pes habebit brevem ante, deinde longas vel contra, nam quum in *catones* (qui est antibacchius) accentus sit acutus in penultima, arsis habet tria tempora, (tempora enim *donec accentus perficiatur, in arsin deputantur*, teste Prisciano [p. 1289],) thesis duo. At in bacchio quomodo bina ternis compares? arsis erit in penultima, quum ibidem sit accentus saltem Latinus, et ita arsis capiet quatuor tempora, thesis unum. Unde in bacchio bina ternis quomodo comparentur, non video, nisi forte Terentianus spectet bacchios Graecos ut ἥρωος. Ubi et in similibus etiam, antepenultima acuitur; ita in bacchio bina arsis tempora, ternis thesis comparabis: Quom enim alia sit ratio accentuum in Graecis, Latinisque dictionibus alia, diversa sit ratio thesis et arsis oportet, quod etiam proxime Terentianus innuit, *Vel licet vertas retro* &c. in amphibracho Latino arsis semper habet tria tempora, thesis unum, sed addit Terentianus istud, *Vel licet vertas retro*, quia dictiones Graecae quae habent ultimam brevem, fere acuunt antepenultimam ut *Ólympus*, *týrannus*, ubi manifestum est si accentu Graeco pronuntientur, arsin habere tempus unum, thesim tria. BRISS.

1418. *Septimum pedem loquemur*] Septimus pes est amphibrachys, qui tres syllabas habet, primam et ultimam breves, mediam autem longam, ut *amoenus;* qui pes, ut ipse author ait, non dividitur divisione aequa, neque dupla, aut *sescupla*, sed divisione tripla, propter quod et a musicis respuitur et ab oratoribus. Huic contrarius est amphimacrus, extremas longas habens, et mediam brevem, ut *Romulos*, *Apulos*, estque pes iste in divisione sescupla. Sed animadvertendum est, an

dictiones fuerint Latinae an Graecae: nam si Graecae fuerint, et accentu Graeco proferantur, in arsi sunt tria tempora, in thesi vero duo; si vero Latinae, e converso: unde ait, *Nunc tribus reddes duo, Italum si quando mutat Graius accentus sonum.* Socratem pronunciari accentu vult in penultima, et hoc modo in arsi erunt tria tempora, et in thesi duo. PETR.

1424. *Par pari figura non est*] Id est, non est ratio seu proportio aequa aeque commissa in amphibracho. BRSIS.

ib. *quom pugnat*] Id est, opponitur unum tribus. BRISS.

1426. *Exigunt idcirco talem*] Id est, respuunt et abiiciunt amphibrachum qui sequuntur musicam, id est orationem numerosam: nam quia non est sub divisione pedum anteposita, absonum reddit melos. Capel. lib. IX. [s. 975.] alogos tales appellat, id est irrationabiles, et quorum nulla sit ratio, in divisione praecedenti. BRISS.

1432. *reddes duo*] *Duo* accusativus est, de quo amplius statim in principio metrorum. BRISS.

1435. *Σωκράτην Graius loquendo &c.*] Σωκράτης enim habet accentum acutum in penultima, unde ratio accentus alia apud Graecos, alia apud Latinos, facit thesim et arsim diversas. BRISS.

1436. *Forte creticum genus*] Diomedes [p. 475.] *Amphimacrus,* inquit, *creticus quoque dicitur, quia Cretes saltando, eius rhythmica compositione utebantur:* quod mihi suadet ut in contextu *creticum* magis quam *curetum* legam maxime quod paulo ante dixit Diomedes [p. 474.] curetas *seu* choribantas *excogitasse genus lusus quo clipeolis aeneis inter se concurrentes, tinnitu aeris illisi, rhythmica pedis dactyli compositione* utebantur, ne Jupiter parvulus vagitu suo se Saturno proderet. Unde apparet dactylum *curetas* magis usurpasse quam *amphimacrum.* Praeterea a *cretibus* quam a *curetibus* nominis deflexio magis germana videtur: sive *creticum* legas, sive *curetum,* ratio metri constat. Aldus in Grammatica [lib. IV.] citans hunc versum, legit *curetum,* sed tu iudices. BRISS.

ib. *creticum*] i. e. *amphimacrum.* PETR.

ib. *Curetum genus*] *Curetes* erant sacerdotes Cybelis, qui hoc pede tympana pulsantes deae rem divinam faciebant. Congrue admonet hic author quod superius dictum est de *cretico:* sc. quod pes iste semper in huiuscemodi carminibus primus ponitur: qui inquam *creticus* optimus est, et carminibus et ora-

tioni prosaicae; decetque oratores si ponatur in penultimo loco clausulae, deinde subsequatur dactylus, sive spondeus vel trochaeus, quia hi pedes rite conveniunt prosaicae orationi. Bacchios autem utrosque fugiendos in fine clausularum orationis iubet. PETR.

1439. *melodis*] Id est, *melicis*, Quanvis in Optimo Genere dicendi Cicero [c. 1.] *melicos* inter poëtas adnumeret. Gellius lib. II. cap. 20. *melicos* etiam ponit, quos Beroaldus in annotationibus in Gellium lyricos poëtas interpretatur. Hic tamen non pro poëtis sive *melodas*, sive *melicos* dici duxerim, sed pro his qui sequuntur rhythmos et modulos orationis numerosos, qui rhetores et oratores sunt. BRISS.

ib. *et pedestri gloriae*] Id est, *decori, laudique numeroso*. BRISS.

1440. *quando paene in ultimo*] Priscianus [Rufinus p. 2721.] citat hos versus in Metris Oratorum, legitque sic: *Plurimum orantes decebit quando penultimo obtinet &c.* Illicque *obtinet* finem versus facit, sed mendose, quum *obtinet* debeat esse principium sequentis versus; et ratio versus admittit *paene in ultimo*, non *penultimo*, sed an sit discrimen sensus videndum est. Cicero in perfecto Oratore [c. 64.] et in tertio de Oratore [c. 48.] Quintil. etiam lib. IX. [4, 103. 107.] affirmant iucundissime et numerose clausulas cadere in creticum et dichoreum. Ciceronis post paulo verba sunt haec in perfecto Oratore [c. 64.] *Sed hos quom in clausulis pedes nomino, non loquor de uno pede extremo: adiungo etiam (quod minimum sit) proximum superiorem, saepe etiam tertium:* quibus compertum est legi posse et *penultimo* et *paene in ultimo*. Magis tamen arridet *paene in ultimo*, quasi circa *ultimum* locum clausulae, sedes cretici posita sit, non quadam lege et veluti ex definito in penultimo loco id quod etiam versus exigit. BRISS.

1441. *beatam, terminet si clausulam*] *Clausula*, inquit Diomedes lib. I. [p. 275.] *est compositio verborum plausibilis structurae exitu terminata*. BRISS.

ib. *beatam*] Id est, *feliciter cadentem et numerose:* loca quibus res ista plenius intelligi posset ex perfecto Oratore Ciceronis, ex libro III. de Oratore, ex libro IX. Quintiliano possem promere: sed quum pauca non sufficerent, multa

nolui. Illinc petant, qui tenebuntur istorum desiderio. BRISS.

1443. *Bacchicos utrosque*] In tractatu de Metris Orat. apud Priscianum [p. 2722.] *bachios* legitur non *bacchicos*, sed nihil refert utrum legas, sed quod illic legi post versum, *Bacchicos utrosque* statim succedere versum, *Nam solet longa &c.* Mox, *Unde et appellant*, tandem *Plenius tractatur &c.* mihi perplacet, nam melior est sententiae connexio. Aldus in IV. Grammaticae citat hos versus, sed secutus est ordinem qui pervulgatus est in omnibus exemplaribus Terentiani. Nempe post versum *Bachicos &c.* versum *Plenius &c.* Deinde, *Nam solet*, postremo *Unde et appellant* inserit. BRISS.

1444. *Plenius tractatur*] Dicit a Rhetoribus quod ipse docet *plenius tractari*, eo quod trochaeus solvens primam in duas breves faciat tribrachyn, unde ipsi Rhetores quem appellamus trochaeum tribrachyn dicunt. Solvitur etiam iambus in tribrachyn; solutio autem fit cum syllaba longa solvitur in duas breves; quod apparet in pedibus habentibus syllabas longas, ut in spondeo: nam si solveris primam fiet anapaestus, si secundam fiet dactylus. Hoc quoque fieri in amphimacro dicit, quia aliquando solvit primam in duas breves, et duae breves tunc ponuntur pro una longa: aliquando ambas longas solvit, et tunc quinque sunt breves pro amphimacro, ut vidimus in carmine illo superius posito, *Is erit anapaestus,* quo in carmine primae quinque syllabae sunt breves, ut ponuntur pro Cretico, i. e. amphimacro. PETR.

1446. *Vnde et appellant*] Quintil. lib. IX. [4, 45.] rhythmus et metrum constant quidem *pedibus, habent tamen non simplicem differentiam, nam rhythmi, id est numeri, spatio temporum constant, metra etiam ordine, ideoque alterum quantitatis esse videtur, alterum qualitatis:* et paulo post, *rhythmo indifferens est*, inquit, *dactylus ne ille habeat priores breves an sequentes: Tempus enim solum metimur ut a sublatione ad positionem iisdem sit spatiis pedum. In versu pro dactylo poni non poterit anapaestus, aut spondaeus.* BRISS.

1452. *Versus est ut ille noster &c.*] *Versus* ille est cuius paulo superius facta est mentio, scilicet *Is erit anapaestus* &c. BRISS.

1453. *Regulam reddemus* &c.] In metris dabit leges amplius de solvendis longis in breves. BRISS.

1454. *Nullus non*] i. e. *omnis*. *Nonnullus*, i. e. *aliquis*. PETR.

1455. *Dum suo pedi reservet* &c.] Nam dicet in sequentibus Terentianus, *Nec enim numero pendere metra syllabarum: Sua sed pedibus tempora sufficit referre* &c. Quod in minutis versiculis intelligas: nam *heroicus* qui *dignitate primus est ac totius gravitatis honore sublimis*, ut ait Diomedes [p. 494.] sine vitio non ita solvetur brevibus, cuius gravitati obstant *breves*, quae *celeritatis* habent *plurimum* ait Quintilianus libro IX. [4, 91.] quemadmodum *longae plurimum ponderis et authoritatis*. Censorinus in Die Natali [p. 150.] *Solent*, inquit, *divisis syllabis longis plurium syllabarum pedes admittere* &c. BRISS. Ostendit Terentianus carminibus nihil nocere longam progressionem syllabarum; id est, quod quamvis sint syllabae plures in carmine, carmen propter hoc non erit indecorum, modo serventur tempora debita: nam in carmine heroico omnes pedes esse debent spondei, seu pedes qui fiunt ex ea resolutione syllabarum, quales sunt dactylus, anapaestus, et proceleusmaticus. Unde animadvertandum est a Virgilio proceleusmaticum rite positum fuisse in illo carmine, *a flumine reiice capellas*: et in illo, *Arietat in portas*: Anapaestum autem in illo, *Fluviorum rex Eridanus*, et a Propertio in pentametro in secundo pede cum ait, *Laeserat abiegni venter apertus equi*. PETR.

1457. *Nunc incipiam*] Hi pedes dicuntur *combinati et quadrati* a Diomede lib. III. [p. 476.] de quorum sublatione et positione dicetur sub finem tractatus huius. BRISS. Carmen est Sotadicum quale est *Elementa rudes*. Quos pedes duplices vocamus exponit hic author; dicitque se relaturum ipsos pedes tanquam si iterum, repeteret quos supra dixit bisyllabos, quia pedes duplices ex quatuor bisyllabis pedibus facti sunt; aut enim ex duobus pyrrhichiis erit, et sic erit proceleusmaticus; aut ex duobus spondeis, et erit dispondeus; aut ex duobus iambis, et erit diiambus; aut ex duobus trochaeis, et erit ditrochaeus: aut ex iambo et trochaeo, et erit antispastus, qui extremas habet breves et medias longas, ut *Alexander*: aut ex trochaeo et iambo, et erit choriambus. Si vero fuerint simul pyrrhichius et spondeus, fiet Ionicus a

minori, si e converso erit Ionicus a maiori. Si trochaeus et pyrrhichius erunt simul, erit Paeon primus: si iambus et pyrrhichius, erit Paeon secundus; si pyrrhichius et trochaeus, erit Paeon tertius; si pyrrhichius et iambus, erit Paeon quartus. Epitriti autem fiunt hoc modo: iambus et spondeus componit Epitritum primum: trochaeus et spondeus, Epitritum secundum: spondeus et iambus, Epitritum tertium: spondeus et trochaeus Epitritum quartum. Hoc itaque modo sexdecim sunt duplices pedes; et si bene consideraveris, nec plures nec pauciores esse posse invenies. Ut autem Terentianus regulam duplicium pedum probaret, supposuit versum quadratum, in quo sunt tres proceleusmatici, et unus tribrachys, ille ponitur pro pyrrhichio et semi, qui semis dicitur catalexis. Hoc vero fit ut finis carminis cognoscatur, unde ait *Pariambon habebit*, i. e. pyrrhichium et semipedem unum, i. e. et unam syllabam. Catalexis enim dicitur ea clausula versus, nam ea clausula, i. e. ut deficiat una syllaba dicitur catalexis, quae fit ut detracta sit quarta syllaba quarto pedi. *Ita terminat ut discrepet id quod inde praestat.* Id est, ita finit, ut postremus pes differat a praecedentibus. *Discrepare*, i. e. dissonare, *praestat*, i. e. ante stat, quia si continuarent pedes proceleusmatici, non esset carmen, sed synaphia, quale est apud Horatium in tertio circa finem, *Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci Mala vino lavere aut examinari metuentes Patruae verbera linguae:* quod et inferius, cum de synaphia tractabit, ostendet. PETR.

1460. Προκελευσματικὸς] Dictus est παρὰ τὸ παρακελεύειν, id est, a cohortatione et iussu nautico, cui ob celeritatem hic pes aptissimus est. Celeusma apud Budaeum lib. V. de Asse [p. 282.] pro adhortatione remigum et nautarum (id quod cani a symphoniacis servis moris erat apud antiquos) usurpatur. BRISS.

1463. *quo regula nota fiat*] Id est, *veritas*: nam quom *minutius* dicitur, non videtur satis manifesta veritas de pede proceleusmatico. Nomen enim proprium quom sit, prima et media non sunt definite breves, dabit igitur Terentianus versum ut clarius sit de exemplo manifestum. BRISS.

1464. *Perit abit*] Versus est anapesticus similis his quos poëta Phaliscus aedidit, de quibus postmodum dicetur. Vbi

licet anapestus non sit proprio nomine, sub alterius tamen vocabulo, id est, sub proceleusmatico consonat. Terentianus enim procedente libro dicet, *Volo te tenere semper longam in geminas saepe breves solere solvi*, &c. Hic versus apud Capel. lib. V. [s. 518.] ex Sereno citatur ad hunc modum. BRISS.

1464. *Perit abit avipedis animula leporis*] Quanquam in aliis codicibus, et apud Aldum [lib. IV.] qui hunc versum citat, legitur *alipedis*, sed nulla ratione, quum debeat esse proceleusmaticus, qui esse non potest, si *alipedis* legeretur. BRISS.

1465. *pedibus iugatis*] Id est, *combinatis et duplicibus*. BRISS.

1466. *Et trimeter erit*] Alias legebatur, *trimeter erit*, &c. Sed lex metri non constabat, primi autem pedis secunda syllaba soluta est in duas breves sic, *ĕt trĭmĕtĕr ĕ*. BRISS.

ib. *resistet*] ponetur. BRISS.

1467. *semipedem*] Sergius in artem Donati [p. 1831.] *Sciendum est*, inquit, *quod metrici syllabam, semipedem vocant*, idem Donatus ait. BRISS.

1469. Κατάληξις] Terentianus ubi de phalisco anapestico disserit catalectica, inquit, syllaba (quae eadem catalexis dicitur) et semipes vocitatur quidquid in fine metri locatur praeter id quod lex metri poscit, licet etiam sit pes integer. Et paulo post de choriambico versu loquens idem innuit, Fiet, inquit, catalexis in istum quia non eiusdem generis deprensus in imo est, &c. Alii superstitiosius catalexin definiunt, quom scilicet in fine deest syllaba tantum, sed Terentiano sive una, duae, seu tres desiderentur, dummodo in fine metri non sit pes legitimus, catalecticum hoc genus omne, et semipedem vocat. BRISS.

1470. *Quam syllaba*] Supple *clausulam*. BRISS.

1471. *ut discrepet id quod inde praestat*] Id est, *ut non sit pes eiusdem generis cum his qui lege metri admittuntur*. BRISS.

1472. *Adversus huic*] Dispondeus proceleusmatico contrarius, qui constat quatuor syllabis longis, describitur hic ab authore, dicente ipsum magis rhythmis convenire ingredi, interdum etiam anapaestica carmina inde fieri, solutione spondei prioris, unde carmen est illud, *Anapaestica necnon*

*variantur inde metra, Quasi si duo*, i. e. quasi si essent duo spondei. PETR.

1475. *rhythmis*] Id est, *numeris oratoriis*. BRISS.

ib. *rhythmis magis hic iugiter*] Capel. lib. V. [s. 521.] *Cavendum est*, inquit, *ne pyrrhichius post pyrrhichium veniat, et quatuor breves faciat, ut si quis dicat, perdidi bona mea*. Quintil. lib. IX. [4, 106.] *Omnes pedes*, inquit, *qui in breves excidunt, minus erunt stabiles, nec alibi fere apti quam ubi orationis cursus exigitur, et clausulis non intersistitur*. Et alibi [IX. 4, 66.] *Non*, inquit, *ea modo cura sit, ut inter se cohaereant* (de mediis loquitur: sed quanto magis in principiis et clausulis debet esse observatio?) *sed ne pigra, ne longa sint, ne quod nunc maximum vitium est, brevium contextu resultent, ac sonitum reddant pene puerilium crepitaculorum*. Omitto prudens multa, sed ex his deprehendas facile proceleusmaticum (qui tot brevibus constat) non esse aptum numerosae orationi. Dispondeum autem posse laudari Quintilianus [IX. 4, 101.] tradit, qui laudat istud, *cur de profugis nostris copias comparat is contra nos?* BRISS.

1476. *Anapaestica necnon variantur*] Terentianus ubi de anapestico phalisco disserit, (qui tribus anapestis et catalectica syllaba constat,) declarabit non modo spondeum sed et spondeos iuges adhiberi posse, loco anapestorum, unde tradit anapestica metra posse variari, id est, varias pedum figuras accipere. Inde ex spondeis. BRISS.

1478. *Cum prima brevis*] Antispastus ostenditur qui constat iambo et trochaeo primam et ultimam breves, et medias longas habens. Dicit enim author hunc pedem male posse poni in carmine Sotadeo, quia primas tres longas habet, sed potius ipsum carmini heroo convenire: et ita heroicum composuit, *Antispaston enim mage lex heroica promet*. Hac dictione *Tarentina* notatur pes antispastus, quia *ta* est brevis, *ren* longa, *ti* longa, *na* brevis. PETR.

1483. Ἀντίσπαστον] Ἀντίσπαστος dictus est παρὰ τὸ ἀντισπᾶν quod est distrahere, quia iambus et trocheus, ex quibus componitur, contrarii sunt. BRISS.

1485. *Claudunt medias*] Choriambum pedem trochaeo et iambo constare, i. e. habentem extremas longas et duas medias breves docet: exemploque in litera posito pes ipse no-

tatur: choriambus igitur idem est quod trochaeus et iambus: nam chorius et trochaeus idem sunt. PETR.

1491. *Sin prima brevis*] Diiambum esse iambum geminatum dicit, i. e. constare quatuor syllabis prima brevi, secunda longa, tertia brevi et ultima longa, ut *fidelitas* et *Corinthios*. PETR.

1494. *Duplicemque trochaeum*] Sicut diiambus est ex duabus iambis, ita ditrochaeus est ex duobus trochaeis, ut hoc exemplo ostenditur, *Gallicane*, qui pes est superiori contrarius. PETR.

1497. *Nunc reddo duos*] Ionicus a maiori dicitur, quia constat ex duobus pedibus, sc. ex spondeo primo, et pyrrhichio, i. e. primis duabus longis, et secundis duabus syllabis brevibus, ut *Antonius*. PETR.

ib. *quos* *Ἴωνας ambos*] Ionici pedes a Terentiano dicuntur etiam Iones non hic solum, sed in sequenti contextu. Est unus Ἴων (inquit) hic datus, et quinque trochaei. Ionicus autem teste Capella lib. IX. (s. 984.) dicitur *propter numerorum inaequalem sonum, habet enim duas longas, et duas correptas*, vel contra. Quo pedum carmine multi saepe reprehensi sunt in theatris. Forte ab iastio tropo seu sono, quo Iones utuntur, ex numero enim quinque linguarum, sonorum numerum constituerunt Graeci, de quibus Capel. lib. IX. [s. 933.] ubi de tropis musicis et symphoniis disserit. Quidam, ait, Ionicos pedes dictos quod Iones hoc pede utebantur. BRISS.

1500. *Ac deinde breves*] Alias legebatur, *Deinde breveis, metrum facit sotadicum, quod vocitarunt*. Sotades Cretensis quidam (qui a Strabone lib. XIV. [p. 959=928.] cinaedicae orationis author primus fuisse dicitur, postea Alexander Aetolus) qui in cinaedi cuiusdam et ancillae quae a cinaedo alebatur amorem incidit. De quibus carmina maxime lasciva scripsit, Quae converso quoque ordine legerentur; Quorum exempla Philelphi produxit Raphael regius in Quintil. lib. I. [c. viii.] *Laus tua non tua fraus, virtus non copia rerum, Scandere te fecit hoc decus eximium*. Ita recurrunt. Eximium decus hoc fecit te scandere rerum, Copia non virtus fraus tua, non tua laus. Sed hic versus non simplex est, nam ex duobus Ityphalicis constare potest sic, – ᴗ – ᴗ – ᴗ – ᴗ – ᴗ – ᴗ, ut

ait Fortunati. Aliquando constat tribus coniugationibus quae singulae sex tempora capiunt, id est spondaeo et pyrrhichio, vel ditrocheo ternis, et spondeo, cuiusmodi ante plurima fuerunt exempla, sed alia ratione consideratur etiam sotadicus versus, ut in procursu et recursu numeri metrici serventur iidem, ut in exemplo anteposito: et Musa mihi causas memora, quo numine laeso. In procursu qui sint numeri vides, in recursu sunt similes, laeso numine quo memora causas mihi musa. Et,

*Nereides freta sic verrentes caerula tranant,*
*flamine fidentes per mare velivolum,*
*velivolum mare per fidentes flamine tranant,*
*Coerula verrentes sic freta Nereides.*

Quom autem in procursu et recursu servantur modi, sive iidem, sive diversi generis, versus reciprocos generaliter appellat Diomedes libro III. [p. 515.] de eisdem modis posita sunt exempla: de diversi generis exempla sunt haec: *Esse bonus si vis, cole divos optime Pansa. Pansa optime divos cole, si vis bonus esse.* Hic in procursu hexameter est, in recursu ionicus a maiore. Quintil. lib. IX. [4, 90.] *Fit*, inquit, *ut iisdem verbis alii atque alii versus fiant, ut memini quendam non ignobilem poëtam ita lusisse, Astra tenet caelum, mare classes, area messem. Hic retrorsum fit sotadeus.* Aliud affert etiam exemplum, sed quid opus est tam multis? Sed *reciproci genus metri invenerunt*, inquit Diomedes [p. 515], *otia curiosa.* Carmen supinum appellat Martialis lib. II. [ep. 86.] BRISS.

1501. *pariambum*] i. e. *pyrrhichium*. PETR.

1502. Ἀπὸ μείζονος] Hoc est, *a maiori*. PETR.

1503. *At qui brevibus*] Ionicus a minori contrarius superiori est quia constat primo pyrrhichio secundo spondeo; ut *Federici*. PETR.

1504. ἀπ' ἐλάσσονος] i. e. *a minori*. PETR.

1505. *Nomen tibi quid deligo*] Dicit author quid pono tibi nomen quo possis cognoscere hunc Ionicum a maiori, cum semper hic pes in his versibus in primis pedibus locetur, ut et in tertio ditrochaeus invenitur. *Lavinia* tibi pedem ipsum denotat. Carmen autem hoc ait appellari debere Sotadicum, quia Sotades quidam hoc metri genere sit usus. PETR.

1511. Ἀπ' ἐλάσσονος *autem cui nomen*] Declaratur hic quo-

nam modo ionicus a minori in carmine poni debeat, quod non debet coarctari versibus seu numero pedum, sed tantum modo ut prius positis duabus brevibus, statim sequantur duae longae, quapropter voluerunt vocari tale genus carminis *συνάφεια*, quale est apud Horatium in tertio circa finem, *Miserarum est neque amori dare ludum,* quamvis multi disserant de huiuscemodi cantu. PETR.

1511. *cui*] Hoc loco pyrrhichius est. BRISS.

1512, 13. *μέτρον autem Non versibus*] Id est, istud metrum, qui est pes ionicus a minore, metrici seu versificatores non astringunt ulli versuum numero, aut pedum. Hic istud, *numero pedum* declarat ipsum *versibus*, ut sit sensus. Istud metrum versificatores non astringunt versibus, id est numero pedum. Videri potest etiam non declarare, sed habere proprium sensum. Nam inseritur utrique ionico versui, ut apparet, quom ex alterutro versu facimus alterutrum, sed prius mihi placet, et posterius incautos circunveniet. BRISS.

1515. *Vrgent*] Id est, *invehunt*, *insistunt*, statim *supponunt*, *inserunt*, hac significatione ponitur in sequentibus, ibi Dum parva longam semper alterno gradu urget, &c. Sub finem libri dicet, si trudas anapeston, inserasque, cui hoc loco urgere est cognatum significatione. BRISS.

ib. *brevibus*] duabus. BRISS.

ib. *iugando*] postponendo, combinando, conserendo. BRISS.

ib. *longas*] *duas* supple. BRISS.

1516. *συνάφειαν*] *συνάφεια* Graece iunctura seu coïtio quaedam, dicitur. Versificatores igitur voluerunt vocari synaphiam in versu ionico a minore, id est seriem quandam et successum iuncturae per vices brevium et longarum: quae quidem series quantum vis protendatur, non accidit metro vitium, dum spondeus versum claudat. Scio huiusmodi carmine lusum fuisse apud domum Beccodianam, quod supra quinquaginta pedes capiebat: et nos quidem lusimus non tam longo, tam longo tamen quantum charta poterat capere, quom scriberemus aenigma, cuius hunc versum exscripsimus, Aliud scire cupis? Dextra fuit bellica, quam Coelius est nactus, inermis studio leva poëtae. Et ipse Terentianus in sequentibus inseret unum a minore modo trimetrum, modo tetrametrum, modo pentametrum. Cicero in II. de Legibus sub finem

scribit heroicos versus ab Ennio longos appellatos fuisse, qui si his conferantur factis ac lege, et quantum maxime productis, dodrantem parasangis comparare videaris. De synaphia restat dicendum in sequentibus. BRISS.

1517. *Anapaestica fiunt itidem*] Carmina anapaestica per synaphiam fieri dicit, ut est illud, *Latet in thalamo tibi virgo decens Veneris specie.* Vides anapaestum in fine ita quod videtur prosaica oratio. Sed notandum est, quod semper in fine esse debet Ionicus a minori in sermone, ut in praescripto *miserarum est:* quod sequentibus tibi versiculis notatur. PETR.

1518. *Versus tamen*] Id est, anapesticus comparatur inde, id est, ex synaphia. BRISS.

1519. *vel ille plures*] Id est, anapesticus quem et tres pedes, et plures tribus habere posse cum catalexi, sequentia declarabunt. Sensus est, Ionici a minore fiunt, perpetua synaphia, anapestici quidem etiam fiunt per synaphiam, sed catalexis tamen finit synaphiam, id quod non fit in ionico. BRISS.

1522. Ἀπ' ἐλάσσονος *unquam numero*] Syllabae longae in extrema parte carminis positae dulciorem sonitum auribus praestant; propterea censuimus ponere ionicum a minori qui productas extremas habet, quod si quando contingat ibidem ionicum a maiori locari, priores duntaxat longas apponimus, detractis posterioribus, quae quidem cum breves existant, nescio quid in amoenum in fine carminis resonant, atque ita carmen erit ex tribus integris pedibus et dimidiato, et hoc est quod dixit, *ita versus erit.* PETR.

1525, 6. *simulque in aure Dulcem sonitum*] Quintilianus libro IX. [4, 93.] *Neque,* inquit, *ignoro, in fine pro longa accipi brevem, aures tamen consulens meas, intelligo multum referre, utrumne longa sit quae cludit, an pro longa. Neque enim tam plenum est dicere incipientem timere, quam illud ausus est confiteri.* Nam nescio quomodo sedebit, hoc illud subsistet &c. BRISS.

1527. *brevior quod est secundis*] Aldus [lib. IV.] legit *secundus:* sed prior a Terentiano dictus est ionicus a maiore, unde *secundus* non mihi quadrat, quadrat autem *secundis,* id est brevior est ionicus a maiore in secundis syllabis nam quomodo ἀπὸ μείζονος brevior pes dicatur quom sit aequalis alteri? BRISS.

1531. *Tres dico iugatos*] Alias sic legebatur: *Tres dico iugatos fieri semipedem unum. Ut paeonici nominis.* Paeon ab inventore Paeone dicitur, qui et Paean solet dici a Paeane, id est Apolline, cuius laudes hoc pede concinnabantur. Παιὼν καὶ παιὰν legitur, ut ait Erasmus [II. 531.] in proverbio *Io paean.* Quod autem paeonicum dicimus antepenultima brevi, et Παίωνα mox penultima longa, hoc non te confundat, nam ponitur Aeolice saepius *ο* loco *ω*, maxime carminis gratia, quod in ipso *paeonici* factum intelligitur, aut in ipso παίονος, unde ipsum paeonici deflectitur. BRISS.

1532. *At Paeonici*] Paeon primus constat ex trochaeo et pyrrhichio, i. e. ex prima longa et tribus brevibus, et habet quinque tempora. Exemplum positum est in litera. *At paeonici nominis* dicit quod quos epitritos seu hippios nominamus, etiam sub nomine habentur paeonicorum; ideo dixit, *Ambo sunt quaterni;* i. e. Paeones, qui vere sunt paeones, sunt quatuor, et epitriti sunt quatuor. PETR.

1537. Παίωνα *secundum*] Paeon secundus constat prima brevi, secunda longa, tertia et quarta brevibus, ut *Horatius.* PETR.

1540. *Hoc ordine fit*] Paeon tertius primis duabus brevibus, tertia longa, et ultima brevi, ut *Menelaus.* PETR.

1543. *Quartum quoniam*] Paeon quartus constat tribus primis brevibus et ultima longa, ut *Pelopidae.* PETR.

1544. *pariambus*] i. e. *pyrrhichius:* et notandum quod isti pedes dicuntur primus, secundus, tertius, et quartus, pro ut syllaba longa, quam tantum unicam habent cum aliae sint breves, est vel in primo, vel in secundo, vel in tertio aut quarto loco posita. Idem est de Epitritis, qui constant una brevi, et tribus longis, ut inferius videbis. PETR.

1546. *Et* ἐπίτριτος] Ἐπίτριτος ab ἐπὶ, id est *supra*, et τρίτη, id est *tertia*, habet enim hic pes ternarium numerum supra tertiam longam. Aut epitrito nomen inditum est ex proportione, quae est inter syllabas, quibus constat, nam semper in hoc pede sunt – – ◡ – vel – ◡ – –: quae invicem comparatae, efficiunt compositionem quae Graece dicitur ἐπίτριτη. BRISS. Paeonicos superius epitritos nominari docuit. Hic clarius idem ostendit, lege versus. Tot autem epitriti quot paeones sunt, sed differunt temporibus; nam illi quinque habent, haec vero septem. PETR.

1555. *Migrante*] i. e. abeunte de prima syllaba in secundam. PETR.

1556. *Idcirco secundus*] Tractatus de Epitritis qui constant quatuor syllabis, tribus longis et una brevi, dicit per ordinem eos cognosci pro ut syllaba brevis est vel in primo, vel in secundo, vel in tertio, vel quarto loco; quia si in primo, est epitritus primus; si in secundo, est epitritus secundus; si in tertio, est tertius; si in quarto, est quartus epitritus. Unde ait, *Ex ordine sunt nomina quem breves tenebunt*, quomodo autem id accidat, declarat, dicens, *Si prima brevis est*. PETR.

1561. *Versus similes*] Quia, inquit, dari ex epitritis versus non potest: notabo ut potero metro diversi generis hos pedes. Et ita tribus versibus disparilibus ponit exempla epitritorum, his dictionibus, *Agyllinos*, qua primus: ἀρχιμήδην, qua secundus: δημοσθένης, qua tertius: δωδωναῖος, qua quartus notatur. *Primus Agyllinos* versus est bucolicus, qui in quarto pede habet dactylum, deinde tres trochaeos; et talis est apud Horatium. *Solvitur acris hyems.* δημοσθένης *fit tertius quarto loco*, versus est senarius iambicus. *Qui currit* hexameter est. PETR.

1566. Ἄρσιν *quotiens*] Docet author sex esse pedes quadrisyllabos duplices sc. ex bisyllabis factos; qui sunt proceleusmaticus, dispondeus, diiambus, ditrochaeus, antispastus, et choriambus, quos ait aequa divisione dividi, tantum nanque hi pedes habent in arsi quantum in thesi. Arsis, sublatio: thesis, positio. PETR.

1567. *Sex aequa pedes tempora*] Scilicet, ∪∪∪∪ – – – – ∪–∪– –∪–∪ ∪––∪ –∪∪–. BRISS.

1569. Προκελευσματικὸς *bina dabit*] Id est, partietur bina tempora, et dividet partibus. BRISS.

ib. *sequens quaterna*] Id est, dispondeus. BRISS.

1570. *Qui sena tenent tempora*] Id est, diiambus, ditrocheus, antispastus, choriambus. BRISS.

1571. *At quando genus*] Ionicus minor in arsi habet duo tempora, et quatuor in thesi. E contrario se habet ionicus a maiori, ideo ait, *seruare vices ordo longiorum ammonet*. PETR.

ib. *funditur*] Id est, pronuntiatur a nobis, et effertur. BRISS.

1574. *Servare vices*] Id est, alternam comparationem temporumque pensionem. BRISS.

ib. *longiorum*] *pedum* supple. BRISS.

1575. *Impar numerus Paeonicis*] Ostendit Terentianus paeonem primum et secundum in arsi tria habere tempora, et in thesi duo; e converso paeonem tertium et quartum: unde ait, *duobus tria*. In epitritis autem primus et secundus in arsi tria habet tempora, in thesi quatuor: tertius vero ac quartus in arsi habent quatuor, in thesi tria: quare ait, *vel quaterna ternis*. Sciendum igitur est, quod epitriti non dividuntur divisione sesquialtera, neque dupla, neque aequa: sed epitrita quia habent tantum in arsi quantum in thesi, et alterutrobi tertia parte plus: quapropter dicta est epitrita divisio, quod Terentianus animadvertens, dixit, *Sesquata fere*, quia noluit affirmare, sed dixit *fere superant*. Nam se vicissim arsis et thesis non dimidia parte, sed tertia, siquidem quaterna ternis opponimus. PETR.

1577. *Sescupla fere quod numeros pars secat istos.*] Apud grammaticos veteres, Donatum, Victorinum, Sergium, Bedam, Fortunatianum, Diomedem, Caesium, Bassium, Capellam, nusquam nec reperta nec inventa est, mentio de sesquata parte (sesquata enim fere quod numeros pars secat istos, in omnibus exemplaribus legitur) nam de sescupla passim apud omnes occurrit disputatio:—(Postquam affectus fuit Terentianus, incidit in manus meus divi Augustini liber de Musica—ubi de sesquatis numeris abunde. Licet enim apud Politianum deprehendissem *sesquatis*, non continuo tamen ita legendum credidi, quod apud Augustinum deprehenderim de sesquatis numeris, et qui et unde dicantur: iam contendo leg. *sesquata fere* etc. quod etiam non obstinatius tandem respui. Neque vero si non statim rectissima linea tensa est, minus (ut ait Quintilianus) facilis et aperta via est. Neque ita discedit a sesquata sescupla, quin et eadem sit. Et Ciceronem in perfecto Oratore sesqui, Quintilianum libro nono sesquiplex, Terentianum in Arsi et Thesi sescuplum pro sesquata ratione cepisse est necesse, si modo sibi constare debeant. Re vera sesquata plus patet. Veterem lectionem, quae vera est, retineas, novam, quae non alio nomine improba est quam quo gratis veterem suo loco submovit, inducas. Sed ne te latent

quid sesquata velit, audi Augustinum in primo Musicae c. 17. *Illi*, inquit, (loquitur de numeris maiore et minore comparatis, in quibus pars ea qua excedit maior minorem, metitur eadem maiorem et minorem, id est, aliquoties eam habent maior et minor) *vetere iam nomine; nam sesque appellantur ubi duo numeri ad se ea ratione adfecti sunt, ut tot partes habeat ad minorem maior, quota parte sui eum praecedit. Nam si est* 3 *ad* 2, *tertia parte sui vincit maior minorem: si* 4 *ad* 3, *quarta: si* 5 *ad* 4, *quinta et ita deinceps. Eadem ratio est et in* 6 *ad* 4, 8 *ad* 6, 10 *ad* 8. *Nominis autem originem non facile dixerim, nisi forte sesque quasi se absque dictum, id est, absque se, quasi* 5 *ad* 4 *absque se quinta parte sui maior, hoc est, quod minor.* BRISS. in Praefat.)—Unde crediderim sescupla hic pro sesquata legi debere. Quom enim ius ab authoribus verba sumant, qua ratione recipias, et qua fronte in supellectilem Latinorum referas id quod nusquam legeris? At hic legitur. Id est litem lite dirimere: fac fidem ita legendum esse, concedemus meliori. Omnia, dices, exemplaria ita habent. At sunt omnia corrupta. Si quis meminerit versuum, qui in praefatione conseruntur, scilicet,

*Instat callida cautio*
*Ne sermo ambiguum sonet*,
*Ne priscum nimis aut leve*, &c.

Tum forte circuncidet amputabitque insitam opinionem, si quae est, legendi ita, ut in exemplaribus passim legitur: nam sive a tenebris ultimis verbum revocet Terentianus, sive ipse fingat, quo se circumaget? nam alterum obscurum, alterum levem et temerarium reddit sermonem: quorum neutrum decreto, propositoque constat, praesertim cum non urgeat necessitas: et praesto sit copia verbi usitatissimi. *Usitatis*, inquit Quintilianus libro I. [5, 71.] *tutius utimur, nova non sine periculo fingimus.* Aldus tamen tractans hunc versum, legit *sesquata*. Politianus in Opusculo cui titulus est Panepistemon [465.] Rhythmus qui Latine numerus dicitur, ait, arsim habet et thesim, oriturque de numeris connumeratis, dinumeratis, complicatis, ac sesquatis. Id quod si datur, idoneum quod sequamur, sesquare putarim connexum ex sesqui et aequo, quasi sit unum aequare alterum cui comparatur praeter sesqui: et sesquata pars seu ratio seu proportio dicatur,

aequata praeter sesqui. De vocabulo hactenus. At nodus nondum explicatus est qui subest, sublata etiam tota vocabuli controversia: nam quis conferendo tempora quaterna ternis, sescuplam seu sesquatam rationem proportionemque esse dixerit? quum sescupla proportio esse videatur quoties altera pars alteram continet, et eius dimidium ut in paeonibus qui habent quinque tempora, quorum altera pars habet duo, altera tria, in epitritis autem qui septena habent tempora, in quibus conferendo tria ad quatuor, aut contra, non videbitur esse sescupla ratio, sed epitrita, ubi altera pars non continet alteram et dimidium eius (quod sescuplae proprium passim circunfertur) sed alteram et tertiam eius partem. Ad haec, epitriti excipiuntur a Donato, Sergio [p. 1033.] Diomede [p. 476.] quum de pedum ratione decernunt, quod non cadant sub complexum divisionis, quae in aequam, duplam, sescuplam distincta est, sed epitritis suam epitritam destinant conditionem. Adde quod Sergius [l. c.] ait sescuplam ideo dictam, quia plus ab aequo significat, minus a dupla: aliud est enim quom duo sunt contra unum (plus enim laborat illa pars, quae habet unum, contra duo) aliud est quom tria veniunt contra duo: quibus quis non videat hic sescuplam intelligi rationem, quae respectum habet 3 ad 2? Huic rei tam controversae lumen inferre operae pretium duco, non tam quod hic locus id postulet, quam quod alibi huiusce rei requirenda est istaec tractatio, his qui penetrant in mediam classicorum rhetorum lectionem. Quom igitur de notanda thesi arsique in pedibus tulit occasio: fixum in primis habui memoriae illud Prisciani quod in accentibus tradit [p. 1289.] istud scilicet. *In unaquaque parte orationis arsis et thesis sunt, non in ordine syllabarum, sed in pronuntiatione: velut in hac parte* natura, *quando dico* natu *elevatur vox et est arsis in* tu, *quando vero* ra *deprimitur vox, et est thesis: sed ipsa vox quae per dictione formatur, donec accentus perficiatur, in arsim deputatur* quicquid habet temporis: *in thesim* vero, quicquid *post accentum* temporis fuerit. Ad haec, expendebam divisionem illam quae de legitimis pedibus est anteposita, intra cuius ambitium videntur pedes legitimi censeri, ut qui consortes divisionis non videantur, hi non sint musici. Diomedes libro III. [p. 476.] *Est,* inquit, *aequa divisio pedis, quoties sublatio pedis temporibus par*

*est positioni ut in dactylo: dupla, quoties sublatio pedis temporibus impar est positioni: ut in trocheo, sescupla quoque intelligitur ut in paeonibus, et in duobus bacchio et cretico,* &c. *Atque,* inquit ibidem, *excepto amphibracho et epitrito, quorum alterum tripla, alterum epitritu divisione partimur) universorum pedum triplex conditio reperitur; in aliis enim dupla, in aliis sescupla, in aliis aequa divisio est.* Appende Priscianum, colliges tempora quae praecedunt arsim, deputari in arsim, et arsim ibi esse, ubi sit accentus. Appende Diomedem, Terentianum, videantur ex conditione temporum quae sunt in arsi et thesi, pedes omnes subesse divisioni legitimae, ut constabit amplius, quae in aequam, duplam, sescuplam distributa est. Capella non potest huic institutioni consentire, imo nec Diomedes nec Terentianus possunt cum hac institutione sibi constare si perpendas omnia. Quid igitur tanta perplexitate futurum est? haec diversitas est quae cruces multis figere possit, quae et fixit mihi bonum tempus: nam dissyllabi quatuor ⏑ ⏑ – – ⏑ – – ⏑ ex thesis et arsis ratione videri possunt legitimi. Nam in his aut thesis aequa est arsi, aut dupla. Trisyllabi octo, ⏑⏑⏑ ––– ⏑–– ––⏑ –⏑⏑ ⏑⏑– ⏑–⏑ –⏑–. In his ratio seu proportio thesis et arsis, est aut dupla, aut sescupla, nisi forte in amphibracho qui solus uno ore omnium censetur non legitimus, et quem Terentianus dixit eos qui musicam sequuntur, exigere. Sed in anapaesto quomodo censeatur esse legitima proportio, quum arsis unum tempus, thesis tria tempora recipiat? Bacchius similiter habet in arsi quatuor tempora, in thesi unum, quum accentus fiat in secunda longa, et longa adhuc praecedat, quae quatuor tempora in his longis arsi deputantur. Tertia vero brevis est pro thesi, quae collata duabus longis, quam partem divisionis videtur attingere? in Graecis ut ἥρωος possit quidem esse sescupla ratio, sed id non satisfacit: in omnibus enim eiusmodi non est accentus in antepenultima. Nam et in huiusmodi penultima quum possit esse accentus circunflexus, eadem quaestio redibit semper. Sed omittamus Graeca verba. An saltem omnia Latina quae constituunt Bacchium, erunt aloga et absona? In his enim semper est accentus in penultima, quae cum priore habens quatuor tempora, ultima autem unum, quid censeas? Adhuc opus maius est, et negotium in

duplicibus: dispondeus non habet accentum in penultima? habet igitur arsis sex tempora, thesis duo: ditrocheus in arsi habet quinque, in thesi unum: antispastus itidem, quae relata invicem non efficiunt proportionem divisionis. Idem contingit in epitritis primo et secundo. Epitritus quartus in arsi habet sex tempora, in thesi unum: haec sunt quae mihi commentanti scrupulum non levem coniecerunt; neque vero hic modo locus est huic scrupulo, sed quum quis Ciceronem, Quintilianum attinget in oratoria compositione, scrupulus idem surrepet: qui ut molliatur, aut omnino exigatur, singulis quae sunt obiecta respondeo. Pedes alii simplices sunt, inquit Capella libro IX. [s. 975.] alii compositi: simplices sunt qui temporibus dividuntur: compositi sunt qui in pedes etiam resolvuntur. Hoc si positum est, simplices omnes qui capiunt quatuor dissyllabos, et octo trisyllabos, sunt consortes divisiones pedum prius positae, praeter amphibrachum atque anapestus sub dactylica seu aequa proportione continetur: Bacchius in paeonicà seu sescupla: quod ex arsi et thesi non possis videri intelligere, sed ex signis, id est, fastigiis et apicibus, quibus tempora designantur. Anapesti quum sint apices huiusmodi ◡ ◡ –, hic ius atque ratio videtur aequalis: in bacchio signa sunt – – ◡ quae sescuplo censentur, nam duo tribus comparantur, quae signis declarantur, neque vero in amphibracho id continget: in quo signum unum duobus si comparatur, nulla surget rationalis proportio, saltem de qua hic quaeritur: nisi forte medium signum cum extremis velis conferre, sed id manifestae calumniae est. In aliis enim quaerendo rationem non fit simile quiddam. Neque musicum est omnia confundere ac permiscere sine ordine, oportet enim in his pedibus quod prius est, cum posteriore conferre: aut quod primum adjuncto medio, cum postremo committere, aut contra. Sed veniamus ad duplices: hi non solum temporibus dividuntur, sed et pedibus. In dispondeo (si solvitur in pedes quibus coalescit) nemo non viderit aequalitatem rationis: nec minus si in tempora partimur quae signis notantur. In ditrocheo, in antispasto prorsus apparet idem. Paeones sescuplam servant omnes, haec quidem manifesta videntur, alioqui difficillima, nec unquam intellectu pervia si spectes pedum thesim arsimque quemadmodum Priscianus praescripsit, vi-

denturque praescripsisse Diomedes, et Terentian. neque vero Priscianum reprehenderim: nam in unaquaque parte orationis sunt arsis et thesis, non in ordine syllabarum, sed in pronuntiatione: id quod tantum valet in accinendis dictionibus, quod etiam a Prisciano non aliorsum traditum est. In examinandis autem pedum rationibus, arsis et thesis perpensio minime satisfecerit: saltem istud istuc deflectendo quo deflexit Priscianus. Quanquam Terentianus id significare videatur quom ait *Romulos si nominemus, Appulos aut Doricos, sesquiplo metimur istum*, &c. Id quod in simplicibus fieri non diffiteor, semper fieri posse negabo: postea certior Terentiani sententia est. Fastigiis enim seu signis temporum semper obvia fuerit proportio. De Diomede et Terentia. quid censeas? Terentianus ait, *Arsim quoties in geminis thesimve quaeres. Sex aequa*, &c. Idem tradit in amphibracho arsim tria tempora, thesim unum habere, vel licet, ait, retro vertas. Quod si facis, arsim thesimque in rationibus pedum neutiquam possis ut in accentibus spectare: neque arsim thesimque ita distinxit Aldus; neque Diomedes, Quintilian. item Cicero non potuerunt etiam. Alioqui contextus eorum toto genere sibi adversabitur, nec in summam consentiet. Cicer. in perfect. Orat. [c. 56.] *Nam omnis talis*, ait, *est ut unus sit e tribus* (de numeris oratoriis loquitur) *pes enim qui adhibetur ad numeros partitur in tria, ut necesse sit partem pedis aut aequalem esse alteri parti, aut altero tanto maiorem esse, aut sesqui*, (ita enim Budaeus legit in Asse [p. 10.] ut iam diximus, licet exemplaria non suffragentur,) *ita fit aequalis dactylus, duplex iambus, sesquiplex paeon, quibus ordine locatis, quod efficitur numerosum sit necesse est*, &c. Quintilianus idem tradit lib. IX. cap. de Compositione [4, 47.] Quibus fideliter contentis, dispiciamus quo pacto paeon tertius qui est ⏑ ⏑ – ⏑ possit cadere sub divisionem? de quo licet non loquatur in perfecto Oratore, nec in III. etiam de Oratore et Quintilian. lib. IX. [4, 96.] dicat de duobus paeonibus – ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ – fere scriptores artis loqui: pes est tamen (aut paeon primus vel secundus pes non erit, quem tamen Cicero ponit pedem in Oratore perfecto [c. 64.] licet quidam dicant, ait Cicero, esse potius numerum) et Cicero innuit pedes omneis in praedictam divisionem cadere: sed quum habeat accentum

in penultima, cui parti divisionis praedictae destinabitur? Dochimus, qui tantopere laudatur a Cicerone [c. 64.] qua parte divisionis includetur? hic ita habet (quamvis Aldus [lib. IV.] ita habere tradit ⏑ ⏑ – ⏑ –, in quo refragatur Ciceroni [l. c.] et Quintil. [l. c.], ⏑ – – ⏑ – qui si ut in accentibus arsis et thesis considerentur, absonus fuerit, et Quintilianus cum Cicerone turpiter lapsus videbitur. Epitritus secundus est – ⏑ – – epitritus quartus – – – ⏑. Primus etiam sic habet ⏑ – – –. In quibus si arsim thesimque ex Prisciani praescripto perpendas, hi pedes qui numerosi sunt, sint arythmi necesse est. Praetermitto caetera. Haec sunt quibus satis intelligas non gratis esse positam quaestionem. Sed ut tandem constituamus aliquid, arsis et thesis in examinandis pedibus, eorumque rationibus, non ut in accentibus, in accentu definguntur, sed in partitione temporum fastigiorumque quibus tempora solent indicari, ita Terentianus sibi constabit. Quintil. Cicer. etiam de Diomede quid pronuntiem vix habeo: nam si ut in accentibus arsim thesimque vestigandam putavit, reus est quodammodo nominis, si non ut in accentibus appendi iudicavit, quid reliquit istud cum Donato, Sergio, epitritos excipi? at merito forsan dixeris excepisse, nam in epitritis non exstat, ut videtur, vestigium cuiuslibet proportionis quae clausa est in praedicta divisione: Quintil. libro IX. [4, 96.] *Omnes alios pedes quotquot sunt temporum quae ad rationem pertineant, paeonas appellant,* ait, Quid attinuit hoc dici, si sescupla seu paeonica ratio solum putetur esse qua maius capit minus vel contra? Annon insinuavit epitritos qui sunt, (ut ait Terentian.) de genere paeonicorum? Quos si non insinuavit, et nisi in paeonica ratione concluduntur nequaquam in divisione, non igitur ejus sententia cadent epitriti in complexum numerorum: sed id non cohaereret in hisce ipsius dictis. Miror autem in hac opinione doctissimos homines fuisse ut alios pedes ita eligerent, ut alios damnarent, quasi ullus esset quem non sit necesse in oratione deprehendi: non absurdum est his epitritos Quintiliano damnari? haec clausula probatur Quintiliano [IX. 4, 103.] *Romanus sum,* item *Nos possemus.* At epitritus est haec clausula: dicas istud quidem: Quintilianus [ibid.] ait *claudere choreum praecedenti spondeo:* sed si Quintilianus ait choreus, id est, tribrachys,

praecedente longa fit paeon, quale est, *si potero, invidia.* Paulopost Quintil. [IX. 4, 106.] *Cludit et pyrrhichius choreo,* id est, trocheo *praecedente.* Nam sic paeon est, quod non erit etiam epitritus *nos possemus* quamvis sit spondeus et choreus, id est, trocheus? *Non* enim *rerum vis vocabulis mutatur,* ait Quintil. in figuris [IX. 1, 7.]: hic eadem tempora, idem ordo syllabarum, quolibet appelles vocabulo, res perstat eadem: non enim nominibus sed effectibus ista prosunt: non nominatim quidem Quintilianus epitritos appellat, sed satis est quod ex contextu colligitur. Sit igitur istud positum non abesse epitritos a divisione, quum cadant in orationem, numeris etiam constantem. Neque vero alibi continebuntur quam in sescupla ratione: qui fiet igitur ut in sescupla ratione concludantur epitriti? Sescupla ratio seu paeonica, mea sententia, non erit alia quam quae quantum in paeonibus, excurrentem numerum continet, sive 3. ad 2. sive 4. ad 3. vel contra, conferantur: ut eandem proportionem similis vel eadem differentia (quae numerus est quo maior minorem vincit) constituat: ut igitur in paeonibus 3. vincunt 2. uno, ita in epitritis 4. vincunt 3. uno: unius autem nomine numerum intelligo, quod in comparatione numerorum necesse est intelligi: At obstrepit his Donatus, Serg., Diomed. Haec quum excuterem, occurrit mihi Plinii sententia ex lib. V. [c. 1.] naturalis historiae: *Quia,* inquit, *dignitate vera indagare pigeat, ignorantiae pudore fere mentiri non piget: haud alio fidei proniore lapsu quam ubi falsae rei gravis author existit.* Cic. in Natura Deorum, [I. c. 5.] *Obest,* ait, *plerumque iis qui discere volunt, authoritas eorum qui se docere profitentur: desinunt enim suum iudicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo quem probant, iudicatum vident,* &c. Reliquit et istud Quintil. lib. X. [1, 24.] *Neque id statim legenti persuasum sit omnia quae omnes authores dixerunt, utique esse perfecta. Nam et labant aliquando, et oneri cedunt, nec semper intendunt animum: Ciceroni dormitare interim Demosthenes, Homerus Horatio,* (Plinius etiam Gellio) *videtur: Summi quidem sunt homines, homines tamen. Modeste tamen et circumspecto iudicio de tantis viris pronuntiandum est, ne* (*quod plerisque accidit*) *damnemus quod non intelligimus.* Haec fere Quintil. lib. X. Hos hic non sequor (quod pace tam doctorum virorum dixerim) duces.

Quid quod Diomed. lib. II. [p. 464.] modo tradit *neque rhythmis neque metris oratorem uti decere, ne non dicere, sed canere videatur?* modo quomodo struatur oratoria compositio hisce multis tamen contexit: *Quod* (ait Cicero in perfecto Orator. [c. 50.] loquens de numero seu rhythmo orationis) *qui non sentiunt quas aureis habeant, aut quid in his hominis simile sit, nescio.* Si etiam Arithmetici deflectunt in diversum sensum sescuplam conditionem, quid hic ad nos? non enim solent eadem eodem modo philosophis rhetoribusque tractari. Cuius rei notas reliquit Quintilianus quom in paeonibus comprehendit etiam epitritos, et quotquot adhuc syllabarum pedes, qui cum paeonibus habent similem differentiam. Quot et Terentianus indicat, quom ait *sescupla fere quod numeros pars secat istos.* Sic *e tenebris scalptum* videri potest, (ut cum Terentian. loquar) quod ait Terentianus, sescupla fere quod numeros pars secat istos: liquidoque constat quare epitriti de genere et conditione paeonicorum dicantur: Valeant igitur a nobis (quantum ad hanc rem attinet) hae appellationes supertertia, superquarta, ut ait Capella [I. 764.] vel ut alii sesquitertia, sesquiquarta. Et ita de caeteris id genus: Omnem enim ambitum triplici comprehendimus appellatione nisi amphibrachus excluditur, qui nulla parte divisionis colligitur, nec laudatur a rhetoribus. Nisi forte obiicias quod ait Quintil. lib. IX. [4, 73.] Cludit amphibrachus, inquit, ut Quintum Ligarium *in Africa fuisse.* At statim post Quintil. se corrigere videtur, qui ait, si non malumus esse bacchium. Quin et adhiberi quidem non diffitemur: at ex lege adhiberi nos pernegamus: Quare hoc obiectu non de statu deiiciemur: atque ut omnia (quantum nobis dabitur) enodemus, dochimus non videbitur subesse sescuplae rationi, quod non sit similis differentia sicut in paeonibus: si spectes singula fateor: sed audi Ciceronem in perfecto Orator. [c. 64.] *Nihil interest,* ait, *dactylus sit extremus an creticus: quia postrema syllaba, brevis an longa sit, ne in versu quidem refert:* ex quo sescuplam proportionem esse in dochimo coniicio. Nam 3 ad 4 (licet 3 ad 5 conferri videantur) conferuntur: quod ultima pro arbitrio censeatur: sed de hoc et aliter statim. De proportione simplicium pedum dupliciumque nullus (puto) locus est relictus quaestioni: de pentasyllabis et hexasyllabis dicam nonnihil etiam ex Capella

[s. 972.] *Temporum*, inquit, *quae ad numeros copulantur, alia sunt quae eurythmo nominantur alia quae arythma, Tertia quae rhythmoides perhibentur: Eurythma sunt quae ratione certa ordinem servant: Arythma, quae sibi nulla omnino lege consentiunt: Rhythmoides in aliis numerum servant, in aliisque despiciunt:* ex his occurram quaestioni paucis. Simplices numeros oportet tenere rationem pedum, sed excludetur amphibrachus a rhythmicis: qui si adhibetur, adhiberi enim potest, non ex lege adhibebitur, sed aut errore, aut negligentia, quae poterit esse non negligens. Compositos etsi videmus aberrare a lege quosdam, resolvuntur tamen in pedes qui rationem participant. Compositi enim omnes aut ex dissyllabis, aut ex dissyllabis et trisyllabis, aut ex trisyllabis (nec me quidem fugit Ciceronem in perfecto Oratore [c. 60.] dicere: *iam paeon quod plures habeat syllabas quam tres a quibusdam pes non habetur*, et Censorinus [frag. c. 13.] *Pedes*, ait, *componuntur, ex syllabis ut minimum binis, ut plurimum ternis.* Quintilianus [IX. 4, 80.] *Quod est enim supra treis syllabas*, ait, *id est ex pluribus pedibus.* Sed cur et Quintil. et Cicero nominant pedes supra tres syllabas? haec credo ab aliis accepta, aliena quoque fide tradiderunt: et decet facultatem oratoris fluentem libero quodammodo impetu tam laxis vinculis alligare, ut tot syllabarum pedes ab oratore non excludantur. At hic non in nomine laboremus, quod rei gratia repertum est, et *per se sonus est tantum* ait Quintilianus [X. 2, 13.]) omnino constant: dissyllaborum autem trisyllaborumque quum nullus non participet conditionem legitimam praeter amphibrachum: qui constant ex his, aut erunt eurythmi, aut rhythmoides saltem: Eurythmi sunt simplices atque duplices: arythmus amphibrachus est: pentasyllabi vero atque hexasyllabi partim sunt eurythmi, partim rhythmoides (quod planum videri poterit ab his qui notas proportionum quae spectari possunt in pedibus omnis generis apud Aldum lib. IV. volent dispicere) id est quae *in aliis servant*, ut ait Capel. [l. c.], *in aliisque despiciunt:* servant hi numerum legitimum si solutas partes perpendis, negligunt partim si solidos spectes. Ecce rursum dochimus ille quem Cicero in perfecto Oratore [c. 64.] *quovis in loco* dicit *aptum esse*, quem et laudat Quintil. [IX. 4, 79.] et Rufin. [p. 2713.] apud Priscian. in metris oratorum non erit

arythmos, qui etsi eurythmus non sit, nisi forte velimus antedictis perstare, erit saltem rhythmoides, et divisionem illam legitimorum pedum participabit partim, quum partes, scilicet solutae participent: Qui (ut alii multiplices) hac ratione concluduntur sub divisionem legitimam. Quod nisi verum foret, Cicero in perfecto Oratore [c. 56.] postquam posuit divisionem numerorum triplicem, aequam scilicet, altero tanto maiorem, et sesqui inter eos qui possunt in orationem conseri, dochimum adhibendum non doceret. Non item doceret Quintilian. neque docerent utrique ullos pedes (quanvis sint alii, aliis meliores) non arcendos esse, aut excludendos ab oratione. Cicero in perfecto Oratore [c. 57.] *Ego autem*, ait, *censeo omnes in oratione esse quasi confusos et permixtos pedes:* et Quintil. a Cicerone non discedit, qui ait [IX. 4, 91.] *miscendi sunt pedes, curandumque ut sint plures qui placeant, et bonis circunfusi deteriores lateant:* qua ratione non minus erit oratio numerosa, licet rhythmoides vel arythmos etiam addatur. Nam ut ait Cicero in perfecto Oratore [c. 58.] *id in dicendo numerosum putatur, non quod totum e numeris constat, sed quod ad numeros proxime accedit.* Cui Quintilianus [IX. 4, 145.] astipulans: *Neque*, inquit, *tam difficilis est*, id est inconcinnus et durus, *qui non commode inseri possit* orationi. Id autem fit ad evitandam animadversionem iudicum, qui aucupium delectationis et artem deprehenderent, nisi negligens quaedam diligentia adhiberetur, et in loco caveret orator. Haec habui quae dissererem de hisce rebus, quibus aliquando iudicium meum consperi, secutus sententiam Ciceronis in perfecto Oratore [c. ult.] *Ne in maximis quidem*, ait, *rebus quicquam adhuc inveni firmius*, (istud quidem mihi repetendum est pro occasione) *quod tenerem, aut quo iudicium meum dirigerem, quam illud quodcunque, mihi quam simillimum veri videretur, quom ipsum illud verum in occulto lateret.* Qui meliora poterunt, exhibeant: in quantum potuimus haec regessimus, ut aliqua prodessemus, si apte: si inepte, ut harum rerum existimatoribus qui plus promoverunt, aliorum docendi voluntatem atque animos attolleremus. BRISS.

1580. Solent Grammatici principalia metra in genera multiplicia dividere, nempe in dactylicum, anapesticum, iambicum, trochaicum, choriambicum, paeonicum, ionicum a maiore, io-

nicum a minore, antispasticon: sed principalium metrorum formae generalissimae duae Terentiano ponuntur hexametra et iambica: quarum additione, vel diminutione reliquae species varie contextae derivantur, quod exemplis fiet manifestum: exemplisque docebimur non hebetius, ne dicam acutius a Terentiano compendium metrorum tradi, quam ab aliis traditum sit. BRISS.

ib. *Hexametros tradit*] Narraturus Terentianus de Hexametro heroico et iambico senario versibus, qui ambo sex pedibus feriuntur, recitat fabulam cuius gratia natum horum versuum genus fuisse inquit. Fabula sic se habet: Apollo Latonae filius Pythona serpentem Delphicorum accolarum regionem vastantem sagittis interimere nitebatur; et cum incolae qui timebant vicinas serpentis aggressiones dubitarent ipsum Apollinem non posse monstrosum illud animal interficere, traditum est eos pugnantis animum hoc versu matris Latonae accendisse, sc. *ἰὴ παιὰν ἰὴ παιὰν ἰὴ παιάν*, Qui Latine sonat *iaculare fili, iaculare fili.* Quem si ferias, constare sex pedibus invenies; spondeis, inquam, si prioribus productis, si correptis iambicum trimetrum, i. e. ex puris iambis. De hoc metro lege Erasmum Chil. II. cent. 4. [28.] ubi ait, O Paean duplicem fieri hexametrum hoc modo: si pronunties primis productis hexametrum erit spondaicum; si brevibus, erit hexametrum iambicum, ut dixi, senarium. Aldus quoque de hoc in tractatu carminis hexametri; quare dicit author, *Spondeis illum primo.* Attamen contrarium sentit Horatius in arte, ubi ait, *Spondeos stabiles.* Et subiungit, *Et hinc pedum tot ortus est iambicus.* PETR.

ib. *genitos duo*] Id est, *duos.* Sic Vergilius in XI. Aen. [285.] *Si duo praeterea tales Idaea tulisset Terra viros* &c. Cicero actione quarta in Verrem [c. 9.] *Horum pater abhinc duo et 20 annos est mortuus.* Ambo enim et duo non in accusativo neutrali tantum dicuntur, sed et masculino. BRISS.

1585. *Seu vera res est*] Suetonius in Vita Vespasiani [c. 6.] *Plurimum coeptis*, inquit, *contulerunt iactatum exemplar epistolae, verae sive falsae defuncti authoris*, &c. Verae sive falsae, pro seu verae seu falsae dixit Suetonius, ut adnotat Erasm. Quod et Priscianus libro XVII. fieri posse ex usu authorum declarat: ita hoc loco *seu* simplex pro gemino ponitur

hoc sensu. Additur seu fabula, seu vera res est, non absona. BRISS.

1585. *spectet authorem fides*] Politianus in Miscel. [ ] Nihil tanquam certum volens affirmare, sed quasi suspectae fidei relinquens aliquid in medium, *Fides*, inquit, *de eo apud authorem sit.* Plinius libro XXVIII. [init.] *fides*, inquit, *authores appellet.* Quae formula loquendi priori non discordat. Ita Terentianus non tanquam certum quiddam dicturus, *spectet*, inquit, *authorem fides.* Athenaeus [XV. p. 701.] autem Graecus author fabulam hanc conscripsit, qui et hoc quod statim sequitur, carmen hexametrum primum fuisse tradit. De hac fabula apud Ovidium in I. Metamorphoseos et apud Erasmum in Proverbio, *feri puer*, ubi docetur ex Athenaeo, quum Latona Apollinem et Dianam ex Chalcide Delphos deportaret, iamque ad specum Pythonis (quem Ovidius maximum et terrorem novi populi vocat) venisset, et draco concitus in eos provolaret, Latona puellam ulnis baiulans, Apollinis praesidium imploravit, quod et Delphicis accolis spectaculum fuit &c. BRISS.

1588. *acuisse*] Id est, *acriorem reddidisse:* ita Cicero in praefatione libri III. Officiorum: *Duae res*, inquit, *quae languorem afferunt caeteris, illum acuebant, otium et solitudo.* BRISS.

ib. *ut*] Id est, *pro ut.* BRISS.

1589. *Metus*] Ultima producitur ex septimo modo communium syllabarum. De quibus lege Diomed. lib. II. [p. 425.] et Aldum lib. IV. BRISS.

ib. *habebat*] Id est, *agebat, incitabat, impellebat.* BRISS.

ib. *adorea*] Plin. lib. XVIII. [VIII (XIX).] *Frumenti genera*, inquit, *non eadem ubique: neque ubi eadem sunt, iisdem nominibus: vulgatissima far (quod adoreum veteres appellavere) siligo, triticum.* Idem alibi [XVIII. 3.] *Gloriam denique ipsam a farris honore, adoream appellabant.* Acron in quarto Carminum Horatii [4, 41.] *adorea*, inquit, *laus publica dicebatur, eo quod victores a victis adorarentur:* Porphyrio ibidem, *Adorea*, inquit, *laus bellica dicitur, fortassis quod adorandi sunt qui laudem ex bello reportant:* quod libet eligas. BRISS.
*adorea*] i. e. *gloria*, ut a veteribus appellabatur. Vide Sextum Pompeium. PETR.

1590. *Tendebat*] Id est, *producebat:* simili virtute verbum Horatio reddidit Bentleius I. Ep. 5, 11. SANT.

1591. *ἰὴ παιὰν* &c.] Macrobius lib. I. Saturnalium cap. 17. *Quum,* inquit, *Apollinis duo maximi sint effectus, alter quo calore temperato mortalium vitam iuvat, alter quo iactu radiorum nonnunquam pestiferum mittit virus, cognomina duo hos effectus signant, ἰήιος et παιὰν, ut sit ἰήιος ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι, id est a sanando, et παιὰν ἀπὸ τοῦ παίειν, id est a feriendo. Obtinuit tamen, ut quum sanitatem sibi dari precantur, ἰῆιε παιὰν per η enuntient, id est medere Paean. Quom autem ἰέ Παιὰν per ε literam dicunt cum aspiratione prioris literae, significant hoc dici in aliquem adversa imprecatione* [*βάλλε παιὰν*] *id est immitte Paean feriendo: qua voce ferunt Latonam usam, quum Apollinem hortaretur impetum Pythonis incessere sagittis.* Hactenus Macrobius. Sed haec vox quamvis sensui quadret, versui tamen non subservit. ἰέ enim non potest esse spondeus, quare legatur ἰὴ παιὰν &c. ut Aldus [lib. IV.] emendavit. Est enim ἰή (ut ex Suida [in v.] colligitur) allocutio despicientis. Exprobrat autem hoc dictum moram, tarditatem: significatque, cuius rei gratia cessas diis proximus esse? quasi dicat quin properas iuvare mortales, quibus deus fere est, iuvare mortalem: qui sensus idoneus est, nec versum violat. Erasmus in Adagiis vulgo proverbii vice receptum est, ait, ut re feliciter peracta acclamemus ἰὴ παιὰν: Latini videntur η in ω commutasse quum dicunt io Paean &c. vide Adagium *Io Paean*. BRISS.

1592. *Spondeis illum*] Si Horatius in Poëtica [v. 50.] mirus artifex dictus est, eo, quod praecipit, exemplis doceat, quom dicit *cinctutos cethegos:* quid de Terentiano dicendum est, cuius nusquam discolor pagina discolores versus refert? Non enim solum de hexametro et iambico loquens, hexametro et iambico versu disserit, sed de spondiazonte referens etiam (ut sic loquar) spondeizat. Diomed. libro III. [p. 493.] idem quod Terentianus refert de Inventione et Iambici et Heroici. BRISS.

1596. *Haec sibi quaeque prius*] Declarat se prius velle narrare de versu heroico, deinde de iambico, et ne confusio fiat, dicit se docturum legem heroicorum et iambicorum, ibi, *Quae lex sit ipsis;* et quae carmina ab ipsis componuntur, quia carminum alia simplicia, alia composita, ibi, *Partibus adiectis.*

Dicit demum ipse author quod si non poterit plurima dicere, pauca tamen attinget, quia iuvat saepe prima artium rudimenta fieri manifesta. PETR.

1597. *Heroa primo*] Supple paramus distinguere. BRISS.

1598. *sylvae*] De sylva ante dictum est satis, ibi, *In breve ut redacta sylva demeret caliginem*. BRISS.

1599. *Quae lex sit ipsis*] Id est, iambicis et heroicis, supple paramus distinguere. BRISS.

ib. *quae sit his quae procreant*] Id est, quae sit lex metris illis quae derivantur ab istis principalibus. BRISS.

1600. *Partibus adiectis detractis quae varientur*] Paramus inquam dicere. BRISS.

1601. *deinde quanta compages*] Id est, compositio qua diversi generis metra coniungi possunt: cuius rei exempla sunt apud melicos plurima. BRISS.

1602, 3. *mutatio quantum Commendet*] Id est, variatio pedum per singulas sedes. BRISS.

1604, 5. *nam pandere prima Prodest frequenter artium vestigia*] Sententia est ex earum genere quae similes sunt consiliis aut decretis: maioribus enim locus non sit, inquit Quintil. [Prooem. 5.] si minora illa negligas, et prima quasi fundamenta. BRISS.

1606. *Vim propriam pedibus*] Diomedes libro III. [p. 478.] *hos omnes*, inquit de Pedibus loquens, *quom de metri tractatu aliquid legimus, diligentius considerare et in memoria habere debemus ut singuli quique versus, quibus constant scire possimus.* BRISS. Incipit author docere quae sit vis propria pedum, ne qui componit versus conterat illam scrutanda. Et primo dicit spondeum, quo primo versus factus, defendere vim suam in hexametris heroicis, quique modo nomine proprio, modo sub nomine alterius pedis, prout resolvitur in pedes tot temporum, quot ipse habet, appellatur. Si igitur solvit primam faciet anapaestum, si secundam, dactylum; ut ex eo versu doceris; *Ex geminis longam solvet.* Pulchriora item carmina heroica dactylo pede fieri scribit, post quem pedem, si anapaestus veniat, vitium parit in carmine, quia quatuor breves simul essent: quod est contra carminis decorum. Post vero spondeum sequens non tam male decebit, si, ut lex metri jubet, ponetur. PETR.

1608. Lege, *Spondeus versum quo primum diximus ortum Heroon, hexametris* etc. MIC. in Corr.

1609. *heroon*] Alias legebatur, *Vim suam tuetur hexametris heroum*. BRISS.

1611. *alterius*] Hic penultimam producit, quod ante notatum est. BRISS. *i* litera longa notandum. PETR.

1616. *defendat*] Id est, *tueatur*, *contineat*. BRISS.

1618. *Haec contra vitiant*] Semel apud Vergilium legitur anapestus in heroico. Vergilius in I. Georg. [482.] *Fluviorum rex Eridanus camposque per omnes* &c. qui versus mutilus appellatur a Diomede libro III. [p. 497.] Graece ἀκέφαλος, id est qui in principio amputatur vel litera, vel syllaba, vel tempore. BRISS.

1620. *veniens*] Id est, pes prognatus. BRISS.

ib. *sic mutet*] Id est, *variet*, seu *mutetur*. Solent enim plurima verba quae activa videntur, absolute poni. Gel. lib. II. [c. 30.] *Nam fluctus*, inquit, *qui flante aquilone maximi ac creberrimi excitantur, simulac ventus posuit, sternuntur*, &c. Ita Vergilius [Aen. II. 8.] *Iam nox humida caelo praecipitat*. Suetonius in Vita Julii Caesaris [c. 78.] *Idque factum eius tanto intolerabilius est visum, quod ipse triumphanti et subsellia tribunitia praetervehenti* &c. *Praetervehenti* dixit, quum praetervectum intelligat, Idem in Domitiano [c. 11.] *in eadem vel etiam in maiore gratia habuit, quoad novissime simul gestanti conspecto delatore eius* &c. Ubi *gestanti*, gestatum intelligimus. Quibus exemplis aliisque non paucis *mutet* aut absolute aut passive interpretamur. Alias legebatur, *Post autem spondeum* &c. Hic ipsum *post* significat *ex*, ut contra *ex* significat *post*, ut ex isthmiis Olympiaci sunt, id est *post*, ut notat Aristoteles in Metaphys. [Min. 2, 5.] Itidemque significat in versu superiore. BRISS.

1621. *Vt iste versus*] Id est, ut legem versus iste hexameter quem scribo docet exemplis. BRISS.

1622. *Ergo spondeus*] Nec interest, inquit, quo loco et quam frequens dactylus in carmine ponatur, quia saepe ipsi spondeus et dactylus alternatim gemini ponuntur. Edunt plurimas species, i. e. figuras in versibus, quas omnes quoniam quilibet legendo potest notare, dicit se praetermissurum. PETR.

1625. *Species reformant plurimas in versibus*] Versus heroicus recipit formas 32, species autem seu figura hoc loco dicitur, variatio pedum per singulas sedes, de qua Priscianus in libro de duodecim carminibus [p. 1217.] et Diomedes libro III. [p. 495.] Aut enim ex omnibus spondeis erit, qui vix apud Latinos invenitur. Talis μονοσχηματικὸς, id est, unius figurae, dicitur. Aut omnes dactylos habet, id est, quinque, et is etiam μονοσχηματικὸς dicetur. Versus qui est sedecim syllabarum de quinque pedibus habens unum spondeum varie quinque regiones percurrentem erit figurarum quinque, id est, πενταοχηματικός. Item contra versus est qui ex tredecim syllabarum de quinque pedibus habens unum dactylum et ipse quinque erit figurarum, id est, πενταοχηματικός. Ille vero versus qui de quinque pedibus, habet duos dactylos promiscue per quinque regiones variatos, decem figurarum erit, et nominatur δεκασχηματικός. Et contra si de quinque pedibus duo spondei fuerint, invicem dactylis mixti, varie quinque regiones percurrentes, itidem erit decem figurarum: quorum exempla, ait Terentianus, quilibet legendo possit notare. BRISS.

1628. *Hoc sat erit monuisse*] Admonet Terentianus dactylum pedem continuum poni posse in versu hexametro in quinque sedibus, in sexta vero nullo modo dari posse, nisi sit rhythmus, nam in illo, in sexto pede locari potest. Differt autem rhythmus a metro, quod metris spatia finita sunt, rhythmis libera: est et illa differentia quod metrum in verbis tantum, rhythmus vero etiam in motu corporis. PETR.

1630. *Sed non et sextum pes hic*] Vergilius in Aegloga VI. [30.] *Nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea.* Idem libro II. Georg. [II. 69.] *Inseritur vero et foetu miris arbutus horrida.* Qui versus ex Terentiani sententia, quae mihi vera videtur, potius rhythmi quam metra censendi sunt. BRISS.

1631. *Nisi quando rhythmum*] Diomedes libro III. [p. 512.] Dicit *inter rhythmum, qui Latine numerus vocatur, et metrum id interesse, quod inter materiam et regulam.* Idem libro II. [p. 494.] *Rhythmi certa dimensione temporum terminantur, et pro nostro arbitrio nunc brevius artari, nunc longius provehi possunt. Metra sunt verborum spatia certis pedum temporibus alligata.* Idem libro III. [p. 470.] *Metrum certa qualitate ac numero syllabarum temporumque finitur, certisque pedibus consistit ac*

*clauditur. Rhythmus autem temporum ac syllabarum pedumque congruentia in infinitum multiplicatur ac profluit.* Sed ante quum de pedibus tractaremus, discrimen rhythmi et metri de Quintiliani sententia posuimus. BRISS.

1632. *Nanque metrum*] Sextus igitur pes erit spondeus in metro, trochaeum quoque ea in sede admitti posse ostendit ibi, *nec damnum importat*, in qua magis spondeus quatuor constans temporibus requiritur, quia carmen sequens imis temporibus praecedentis carminis iungit, ut etiam Quintilianus docet. PETR.

1635. *Dat et trocheo qua dissyllabo locum*] Sensus est, spondeus dat locum trocheo dissyllabo in sexta parte. BRISS.

1639. *Dum iungit imis consequens exordium*] Quintilianus libro IX. [4, 93.] *Neque enim ignoro*, inquit, *in fine pro longa accipi brevem, quia videtur aliquid vacantis temporis, ex eo quod insequitur, accedere:* hoc quod et a Diomede libro III. [p. 493.] dicitur. Item alibi paulo inferius, *Est*, inquit Quintilianus [s. 98.] *quoddam in ipsa divisione verborum latens tempus, ut in pentametri medio spondeo: qui nisi alterius verbi fine, alterius initio constet, versum non efficit.* Quod si in divisione verborum latens quoddam tempus comparatur, quid? in fine versus qui ab altero dividitur, alterque velut quodam spiritus intervallo inchoandus est, illic tempus non compensabitur, quod in brevi postrema desideratur? nam quatuor et viginti temporibus perfecta conformatio concludit heroicum: ex quibus unum detrahitur si trochaeus in fine pro spondeo ponitur, nisi propter divisionem tempus illud comparetur. BRISS.

1650. *Omnibus in metris*] Dicit habeas lector syllabam ultimam brevem pro longa in carmine nocere nequire. PETR.

1642. *Praeterea pes nullus erit*] Oportere ait author pedes omnes in metris recte locari, si qui carmina canunt nominitari velint poëtae. Deinde dicit quod omnis versus hexameter non est heroicus, quia non satis est eum habere sex pedes. Heroicus versus legibus suis tenetur, quo quidem versu Homerus egregia heroum opera cum scribat leges ipsas illius demonstrat, quas pariter Latini custodiunt, et solos pedes suprapositos probant. PETR.

1644. *Hexametron dicunt, sed non heroicum omnem*] Dio-

medes libro III. [p. 493.] heroici proprii versus et hexametri differentiam ponit: sed Terentianus et ponit, et hoc loco planus est. Gellii verba sunt haec ex libro XVIII. capite 15. *In longis versibus qui hexametri dicuntur, item in senariis animadverterunt metrici duos primos pedes, item duos extremos habere singulas posse integras partes orationis, medios haud unquam posse*, &c. BRISS. Marius Victorinus p. 2508=86. *Sex enim pedum percussio versum quidem hexametrum, non tamen heroum, quem epicum (dicunt), si legem incisionis non tenuerit, faciet.*

1647. *Queis acta Homerus*] Legibus supple, estque hyperbaton. Sensus est, queis legibus Homerus ostendit, id est, exhibuit versibus acta heroum quum scriberet. BRISS.

ib. Nemo umquam mihi persuadebit duobus versibus eamdem syllabam corripuisse et produxisse Terentianum more Graecorum queis *Ares Ares* licet sonare, quorum licentiam ipse procul Romanis submovit legibus cum supra elegantissime dixit, *Nec mihi Graecorum ratio est attingere* κοινὰς, *Quarum rarus inest nostris in versibus usus: Nec tanta in pedibus venia conceditur uti.* Itaque in secundo versu mendum omnino esse sum persuasus, et trajectis verbis opus esse ad genuinam scripturam reducendam, hoc pacto, *Heroum Homerus acta queis cum scriberet.* BARTHIVS Adv. XV. 2. p. 794.

1650. *Graecis et Creticus aptus*] Bacchium pro dactylo poni a Latinis ostendit, quem pedem Juvenalis Satyra quinta posuit, hoc versu, *Tam ieiuna fames cum possis honestius illic. Possis ho* – – ◡ Bacchius est. Propertius item, *Et soror, et cum qua dormis amica simul. Dormis a* – – ◡ Bacchius est. Advertendum tamen Bacchium a Terentiano dici qui ab aliis Antibacchius appellatur, quod et affirmat Philelphus lib. XXIIII. Epist. prima. PETR.

1651. *Bacchius*] Penultima longa est, scribitur enim Graece Βακχεῖος, et diphthongus ει modo in ε, modo in ι longas vertitur, teste Prisciano libro I, [p. 552.] BRISS.

1652. *Creticus in nostris*] Raro Creticum a Latinis, si levia, i. e. pulchra carmina velint condere poni dicit, et unum Virgilii carmen profert, in quo Creticus in prima sede est locatus, i. e. *Insulae Ionio. Insulae* est creticus vel amphimacrus. Item sequitur aliud carmen in quo latentem ait esse creticum,

quod est, *Solus hic inflexit sensus. Solus hic* amphimacrus vel creticus est: et notanter dixit latentem quia dicit quod regula sermonis requirit quod hic scribatur gemino *c*, sic, *hicce*, et abiecta vocali *e* restat *hicc*. PETR.

1654. *INSULAE Ionico*] Versus est ex III. Aeneidos [211.] in quo tamen vulgo non putatur esse creticus, quod ultima insulae brevis credatur. Item alibi [V. 261.] similis versus est, *Victor apud rapidum Simoenta sub Ilio alto*. BRISS.

1659. *Cc geminum quoniam*] Priscianus lib. XIII. [p. 958.] tradit plenas esse has voces, *hicce, huncce, hocce.* Vnde vocali quoque sequente per synaloephen manentibus duobus *cc* solebant producere, ut Vergilius, [Aen. II. 264.] *Hocc erat alma parens*, &c. Et sic in antiquissimis codicibus invenitur bis *c* scriptum. Probus in Institutis Artium [p. 1387.] *Mutae,* inquit, *literae novem sunt, b c d h g k p q t.* Hae omnes praeter *c* in oratione positae simplices sunt, quonam *c* litera duplex in solis duntaxat pronominibus invenitur, et una pro duabus consonantibus cedit, ut *Hoc illud Germana fuit,* &c. [Aen. IV. 675.] Capella libro III. [s. 249.] *Sola*, inquit, *mutarum* c, *antecedentem vocalem producit, et pro duplici habetur, ut* hic, haec, hoc. Vnde *solus hic* sive simplex *c*, sive duplex scribitur, creticus pes esse apparet. BRISS.

ib. *sermonis regula*] Id est, veritas et orthographia verbi. BRISS.

1660. *Vt fiat*] Id est, *scribatur*. BRISS.

1661. *nec consona pellitur ulla*] I. q. nulla consonans in feriendo versu abiicitur cum inter duas vocales existit praeter *m* consonantem, quam tibi ostendit cum ait, *Bis senus istam literam monstrat locus:* quia si numeres literas invenies ipsam duodecimam. PETR.

1662. *Nisi quae*] *M* intellige, ea enim per ἔκθλιψιν in versu eliditur, et inter literas ordine duodecima est. MICVLL.

1663. *Cum venit in medium*] Quintilianus libro VIII. [3, 45.] *Iunctura*, inquit, *deformiter sonat, si cum hominibus loqui nos dicimus, nisi hoc ipsum hominibus medium sit, in praefata videmur incidere, quia ultima prioris syllabae litera quae exprimi nisi coëuntibus labris non potest, aut intersistere indecenter cogit, aut continuata cum insequente in naturam eius cor-*

*rumpitur*. Vergilius libro III. Georgicorum [135.] *Hoc faciunt*, inquit, *nimio ne luxu obtusior usus sit genitali arvo, et sulcos oblimet inertes. Oblimet*, inquit Servius, *id est claudat, quod per translationem dictum est*. Ex Quintiliani verbis etiam intelligis non nisi clauso ore exprimi posse, unde voces oblimat, *m* posita in medio (id est, inter duas vocales) id est, claudit velut in antro oris, et hebetat sonum vocis. Vnde Quintilianus lib. XII. [10, 31.] laudat Graecorum vocalitatem (ut iam saepe dictum est) quod nulla Graecorum vox in illam cadit. Id etiam Quintilianus exemplo superiore notat, cum ait, *Aut deformiter sonat aut intersistere cogit*. Quum igitur oblimare proprie sit limo opplere (Cicer. in II. de Natura Deorum [c. 52.] *Aegyptum Nilus irrigat, et quum tota aestate obrutum oppletamque tenuerit, tum recedit, mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit*. Vnde et fluvii oblimati qui limo pleni non fluunt libere) scite dicitur, *m* voces oblimat, id est, claudit os ne libere verba fluant, verbaque intersistit. BRISS.

1664. *Bissenus locus*] In alphabeto enim, duodecimum locum sortitur *m*. BRISS.

1665. *Aut geminum in tali*] Si inquit nolimus pronomen istud hoc scribi gemino *cc* in illo Virgilii *Hoc illud germana fuit;* primus pes *Hoc il* non erit spondeus, sed iambus; similiter in illo, *Hoc erat alma;* primus pes *Hoc erat*, non erit dactylus, sed tribrachus. In Priapeo etiam carmine versus iambicus in quo *hoc* est brevis is est, *Et vos hoc ipsum quod minamur invitet*. Nam feritur sic, *Et vos* — — *hoc ip* ⏑ — *sum quod* — — PETR.

1669. *Has autem leges*] Quonammodo penthemimeris, i. e. semiquinaria, et hepthemimeris, i. e. septenaria caesura vel teme in carmine heroico accidant, his versibus author ostendit, dicens, quod semiquinaria caesura fit quando post duos pedes restat syllaba partem orationis finiens. Exemplum ibi, *Tityre tu patu-lae*. Item semiseptenaria est, cum post tres pedes similiter remanet una syllaba terminans partem orationis. Exemplum est ibi, *Inde toro pater Aene-as*. *Semiquinaria* dicitur, quia medium de quinque continet; et *semiseptenaria* de septem, sic Graece πεντε quinque, επτα septem Latine. PETR.

1671. *verbi vel nominis instar*] Suetonius in vita Iulii Caesaris [c. 61.] *Cuius*, inquit, loquitur de Caesaris equo, *etiam instar pro aede Veneris postea dedicavit.* Gellius lib. XVIII. [c. 1.] *Virtus autem, ut isti dicunt, non accessio neque supplementum, sed sola ipsa vitae beatae instar est.* Cicero in perfecto Oratore [c. 14.] *Nam et invenire et iudicare quid dicas, magna quidem illa sunt, et tanquam animi instar in corpore, sed propria magis prudentiae quam eloquentiae.* Idem in oratione contra Pisonem [c. 22.] *Vnus ille dies mihi quidem immortalitatis instar fuit, quo in patriam redii*, &c. Ex quibus videre facile est, quid *instar nominis* vel *verbi* velit. Vt etiam in sequentibus dicet Terentianus, *findat primum commatis instar.* BRISS.

1672. *Orationis ista vel quae pars erit*] Id est, *vel ista syllaba quae pars orationis erit.* Est hyperbaton, estque sensus horum versuum, si syllaba quae est relicta post duos pedes est verbum perfectum, vel pars verbi, &c. BRISS.

1673. πενθημιμερὴς] Diomedes [p. 496.] interpretatur *semiquinariam.* Nam capit semissem quinarii numeri, duos scilicet et semissem. Aldus libro IV. docet πενθημιμερὴς masculino et foeminino genere dici, πενθημιμερὲς neutro. Idem de ἑφθημιμερῆ censet. BRISS.

1674. *tomen*] Id est, *sectionem et caesuram.* BRISS.

1676. *Duos pedes*] Alias legebatur, *Duos pedes secuta sit semipes.* BRISS.

1681. ἑφθημιμερὴν] Diomedes libro III. [p. 496.] *semiseptenariam* interpretatur. BRISS.

1685. *Horum si nihil est*] Dicit author si nec penthemimeris nec hepthemimeris accidant in heroico, vide an trochaeus sit in tertio pede finiens partem orationis, unde ait *finesque* (sic) *det vocabulo.* Post quem trochaeum sequatur syllaba brevis dactylum faciens, ut hoc heroicum perspicue ostendit, *Infandum Regina* feriendo *gina* est trochaeus, adiiciendo *iubes* fiet dactylus hoc modo *gina iu.* Quare dicit, *Iu brevis secuta reddit dactylum. Bes hinc quae remanet. Bes* iungit reliquum carminis, i. e. *Bes renovare dolorem*, et ultimus pes est trochaeus, ea vero caesura dicitur *trochaica tertia.* PETR.

ib. *specta ne forte*] Accipio, *vix est ut non sit.* SANT.

1695. *Et quartum tradunt*] Καταληκτικὸν et τροχαϊκὸν appel-

lant, quartum trocheum qui post tres pedes sequitur ait Diomedes lib. III. [p. 497.] ut etiam si post duos pedes tertius pes sit trocheus, ut *infandum regina*, κατὰ τρίτον, seu κατὰ τρίτον τροχαϊκὸν ut vult Victorinus [p. 2509.] De qua caesura paulo ante meminit Terentianus, ibi, *Horum si nihil est*, &c. Ita sunt quatuor sectiones penthemimeris, κατὰ τρίτον hephthimemeris, bucolica, bucolica fit additis duabus brevibus hephthimemeri: *sunt*, ait Diomedes [p. 497.] *qui etiam quartum trocheum in hac caesura conlocant, ut Quae pax longa remiserat arma novare parabant. Alii spondeum, ut Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto*. BRISS. Dicit quod similiter notatur in heroico quartus trochaeus, finiens partem orationis, quod tamen rarum est. Et hoc probat versu in litera posito, *Quae pax longa remiserat arma novare parabant*. In quo *arma* quartus fit trochaeus eodem quidem modo quo supra *gina*, tertius est troch. haec autem trochaica quarta. Raro tamen hoc evenire affirmat. PETR.

1696. *Exemplum*] Hyperbaton est, quod in rectum ordinem sic adstruitur, sed et ipsi conlocant vix exemplum. BRISS.

1697. *Namque*] Sensus est, pene est, id est, fere fit, ut quaevis regula ex praedictis in versu reperta versum comprobet. BRISS.

1698. *si vacet*] Id est, *si cura sit*. Quintilianus libro X. [1, 58.] *Tunc et elegiam vacabit in manu sumere*, &c. Vbi *vacabit*, id est, cura fuerit significat, aut si malumus vacabit, id est, vacuum erit et liberum, quo sensu et hic commode accipietur. BRISS.

1701. *Quae pax longa remiserat*] Diomedes hunc versum citat libro III. [p. 497.] quem finxit Terentianus exempli causa. BRISS.

1703. *Harum si nihil est*] Hae species caesurarum formant versum tripliciter. Nam aut simplex invenitur, ut *Panditur interea domus omnipotentis Olympi*, ex Aeneidos X. [v. 1.] Aut composita, ut *Infandum regina iubes renovare dolorem*, ex Aen. II. [v. 3.] Aut coniuncta, ut *Talibus Ilioneus, cuncti simul ore fremebant*, ex Aen. I. [v. 523.] In prima specie, unica est sectio: in secunda, duae: in tertia, tres. BRISS.

ib. *Harum si nulla est species deprehensa*] Callidos versuum

factores ait non vocare carmen heroicum, si in eo non sit aliqua ex praedictis caesurarum speciebus. PETR.

1706. *qui nullam*] Fortasse, inquit Terentianus, putares nullum versum sine caesura inveniri, sed quod non possit aliquis absque caesura haberi negabo. Rarum tamen fieri conceditur, quale in litera tibi offert *magnanimi*, in quo nulla ex praedictis caesuris habetur, ut perspicue in contextu *rō* redditur. PETR.

1708. *Magnanimi Iovis*] Versus est ex Aeneidos XII. [v. 144.] BRISS.

1717. *quintum nulla iubet*] Quia trochaicum quis possit dicere, hoc in versu in exemplum adducto inesse cum trochaeus sit in quinta sede partem orationis terminans, dicit nullam esse legem quae observet trochaeum in quinta sede quantum ad caesuram, et quod in innumeris versibus unus non est notandus. PETR.

1718. *Nec est notandus unus in tot millibus*] Horatius in Poëtica [v. 351.] *Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis offendar maculis, quas aut incuria fudit, Aut humana parum cavit natura. Egregio inspersos reprehendas corpore naevos*. BRISS.

1719. *Hae formae*] Id est, *caesurae*. BRISS.

ib. *Hae faciunt formae*] Variantur, ait, metra propter has formas et figuras, et pollicetur pro virili docere plurima. PETR.

1720. *tu mihi leges tene*] Hoc loco *mihi* completivum est: ideo Terentianus dicit leges ante positas ut teneamus, ne in sequentibus tarde sensum sequamur, quom de praedictis legibus aliquid revocabit. BRISS. i. e. observa leges quae a me tradentur. PETR.

1721. *Pentametrum dubitant*] Dissonum non esse author existimavit ab hexametro ad pentametrum transire; de quo tractaturus dicit id juxta quorundam opinionem inventum ac primo compositum fuisse a Callinoo poëta; quod quinque pedibus constare, duobusque commatibus componi declarat. PETR.

1722. *Quidam non dubitant*] Alii tradunt fuisse Terpandrum Colophonim, alii Naxium quendam Theoclem, unde dixit Horatius in Poëtica [v. 77.] *Quis tamen exiguos elegos emiserit*

*author, Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est.* De Callinoo alibi nusquam aliquid reperi. Sunt qui Callinorum legunt: Strabo lib. XIII. [p. 901=870.] Callinum elegiae poëtam vocat, qui qua ratione poëta elegiae vocetur, non explicatur. Coniici posset elegiae poëtam dici per autonomasiam, quod author elegiae fuerit, qui forte callinous a Terentiano dictus est per epenthesin. Quintil. lib. X. [1, 58.] Callimachum *principem elegiae* appellat, sed non (ut ex contextu deprehenditur) quod author elegiae fuerit, sed velut Roscius quidam. Statim enim subiungit, secundas confessione plurimorum philetas occupavit. BRISS.

1727. *Sed refert duo sint*] Verum, inquit, vel unus vel duo dactyli sint in primo commate non est quod pentametro noceat, modo in secundo commate duo sint dactyli cum caesura in fine. Et exempla posuit in litera ibi, *Desine Maenalios.* PETR.

ib. *In illa*] Penthimemeri supple. BRISS.

1728. *eadem bis repeti poterit*] Quom dicit, bis repeti poterit, non verba eadem dicit, sed pedes eosdem. BRISS.

1731. *Dactylus ut duplex*] Id est, subiungam exemplum ut duplex dactylus inseratur, non bis sententia eadem. BRISS.

1735. *Si primo spondeus erit*] Quia, ait, quod si duo dactyli in primo commate sunt cum caesura iidem possunt bis repeti et pentametrum faciunt vel priores fiant posteriores vel e converso, nunc dicit quod si in primo commate erit spondeus et dactylus, tale comma prius bis repetitum gignere non poterit, quemadmodum quando in eo duo sunt dactyli. Exemplum ibi, *Postquam res Asiae.* Nota grave authoris ingenium et artificium mirabile, qui de pentametro tractans, versu consimiliter pentametro loquitur et exemplificat. PETR.

1737. *Talis erit versus haec portio*] Sensus est, haec pars versus quam loquor, erit talis, qualis sequitur. BRISS.

1738. *ut repetas*] Id est, ex quo ut Terentius in Hecyra, [V. 1, 26.] *Me segregatum habuit, uxorem ut duxit,* &c. Adverbium est temporis, ante legebatur, *ut repetas.* BRISS.

1739. *Vt stet comma sequens*] Comma et tome, incisio et caesura est, quales positae sunt in heroico: Sergius [p. 1838.] tradit non idem esse in metro comma et colon: nam *ubi duo liberi pedes sunt,* inquit, *colon dicitur: comma vero quando*

*post duos pedes vel post tres sequitur syllaba, quae partem terminat orationis.* Sed interim hoc discrimen confunditur. BRISS.

1741. *Dactylus in primo positus*] Si in primo commate dactylus est et spondeus nil nocebit pentametro, quod si esset in secundo, in qua requiruntur duo dactyli, officeret. Exemplum ibi, *Musa mihi causas.* PETR.

1747. *Spondeum duplicem*] Pentametrum non offenditur quamvis in priore parte habeat duos spondeos, quia in ipsa parte non refert an sint duo spondei an duo dactyli, an spondeus et dactylus an e converso, sed in posteriore parte necessario requiruntur duo dactyli, ideo dicit *dactylus in reliqua bis repetendus erit.* PETR.

1748. *tome*] *Sectione.* PETR.

1753. *Scandunt pentametrum*] Veram pentametri scansionem hoc loco doceris, ut ipsum in duas partes seces, quae appellantur commata: et prius comma habeat duos pedes et semipedem, ut superius ostensum est, posterius vero necessario duos dactylos similiter cum semipede i. caesura, qui duo semipedes spondeum faciant qui erit quintus pes. PETR.

1754. *superent*] Id est, *supersint, redundent.* BRISS.

1755. *reddere*] Supple tradunt. BRISS.

1757. *At quidam in medio spondeum reddere malunt*] Aliam scandendi pentametri rationem ponit. Dicens quosdam esse qui potius velint spondeum in medio pentametri locare accipiendo primum semipedem, i. e. caesuram, et primam syllabam dactyli primi sequentis, post quem remanent duae breves syllabae, quae trahentes ad se primam sequentis dactyli creant anapaestum, quod vero ultima syllaba sit vel brevis vel longa non refert, unde ait, *Ultima nec refert.* Hoc autem servatur in omni carmine. Scande igitur sic, *postquam | res Asi|ae de|sine Mae|nalios.* Et sic spondeus erit in medio et anapaesti sequentur. Verum ut in medium meam proferam sententiam, prior scandendi modus mihi magis placet, et facilior videtur. PETR.

1767. *Idcirco primo*] Sit tibi curae author ait ne semipes, id est caesura quae est in medio pentametri sit brevis, quia medius pes non esset spondeus, sed iambus: et ponit exemplum in litera, quod est, *Et fiat talis incipe Maenalios.* In quo

ait se post priorem caesuram posuisse dictionem incipientem a vocali, non autem a consonante, ne *lis* brevis natura produci possit. Nam si *lis* syllabam brevem adieceris vel huic syllabae *in* vel ultimae *os*, omnino reperies iambum. Quare asserit author necessario oportere medium semipedem utcunque productum fieri. Versus vero de ipsa re tractans pro exemplo a Terentiano perhibetur, qui est, *Longa foret ne lis desine maenalios*. PETR.

1770. *Et fiat talis*] Id est huiusmodi qualis est iste meus versus quem fingo. Ovidius in Arte [I. 4.] similem posuit, *Arte levis currus, arte regendus amor*. BRISS.

1775. *vocali a parte locavi*] Id est, brevem posui ante vocalem sequentis dictionis, ne si dictio sequens *lis* a consona inciperet, *lis* produceretur. BRISS.

1777. *Quidam, quia gemino*] Quorundam recitat opinionem, qui quod pentametrum constat duobus commatibus non verentur prius comma brevi claudere. Exempla ibi, *Hoc mihi tam grande*, et, *si fiat talis*. PETR.

1783. *Namque referre nihil*] Tradunt quidam quemadmodum nihil refert qualis sit ultima syllaba in fine versus, ubi brevis pro longa, non obest, ita hoc ius volunt habere commata seu fines penthemimeris &c. BRISS. Ratio cur isti comma prius breve velint est quod illud comma arbitrentur et censeant id iuris habere quod metra hoc est cum sit ultima prioris commatis, quae in quocunque metri genere indifferens ponitur, nihil referre quanta sit. PETR.

1785. *Idcirco et verbo nunquam uno cola ligari*] Supple *volunt*. Sensus est, *Nunquam volunt commata contineri et comprehendi uno verbo*, id est, libero et perfecto, ut sit finis suus utrique parti, id est commati. Quod Quintilianus lib. IX. [4, 98.] videtur significare: *Est*, inquit, *in ipsa divisione verborum quoddam latens tempus, ut in pentametri medio spondeo: qui nisi alterius verbi fine, alterius initio constet, versum non efficit*. BRISS. Praeceptum datur ab authore $q_3$ ad versus pentametri decorem prior caesura s. penthemimeris non finiatur prima syllaba nec media dictionis sequentis, sed ultima praecedentis, partem orationis finiens, ut prius comma disiunctum sit a sequenti. Et ut noscas vitium in pentametro, hoc versu tibi ostenditur, *Inter nostros gentilis oberrat equus*. Quem si

ferias, invenies prius comma finiri in prima syllaba dictionis sequentis hoc modo, *inter nostros gen.* Ubi *gen* syllaba partem orationis non finit, ut proprium est caesurae, alias nec lex carminis pentametri patitur ut prior caesura quae debet coniungi cum sequenti commate dactylico (si velis ponere spondeum in medio) sit caput dictionis. In tali insuper versu secundum comma non potest esse caput id est principium versus dactylici, ut sunt omnia secunda commata pentametri. Melius se habebit hic versus, si sic mutatus scribetur, *Gentilis nostros inter oberrat equus*, et utrumque vitium antedictum vitabitur. PETR.

1792. *Quas data pentametris*] Cicero in optimo genere Oratorum [init.]: *In poëmatibus*, inquit, *suus est cuiusque certus sonus, et quaedam intelligentibus nota vox.* BRISS.

1793. *debet quae commata*] Supple *illa syllaba.* BRISS.

1797. *Tantam nostra nequit*] Arrogantiam attenuat dicens suo ingenio et mensura non posse iudicare uter laudabilior versus pentameter sit, an qui prius comma brevi caesura claudat an qui longa, sed se malle inquit ipsum prius comma producta finiri penthemimeri. PETR.

ib. *nostra mensura*] Id est, *noster captus.* BRISS.

1798. *Malo tamen longa cludere comma prius*] Diomedes libro tertio [p. 502.] *tertiam regionem* (de pentametro loquitur) *sine dubio perpetuo spondeus debet habere* &c. BRISS.

1799. *Hos elegos dixere*] Versus pentam. elegos hac de causa appellari memorat, quod talibus tristia decantentur: nam ἐλεέω idem est quod *misereor.* Hoc et Horatius in Arte Poëtica, *Versibus impariter iunctis querimonia primum* &c. [v. 75.] PETR. Vide Barthii Adv. XXIV. 15. p. 1200.

ib. *clausula*] Clausulas ait Acron in Epod. Horat. [init.] lyrici appellant (quod huic loco quadrat) quasi praecisos versus integris subiectos, quo sensu pentametri clausulae dicuntur. Subiiciuntur enim heroicis qui integri sunt: hi autem, qui ex heroicis ducuntur, diminuti. BRISS.

1800. *Tristibus*] Elegia enim dicta est παρὰ τὸ εὐλόγειν τοὺς τεθνειῶτας (fere enim defunctorum laudes hoc carmine comprehendebant) sive ἀπὸ τοῦ ἐλεοῦς, id est miseratione, quod θρήνους, Graeci isto metro scriptitaverunt, id est lamentationes. Epodos versiculus est sequens qui maioris versus sen-

sum concludit et perficit. Tamen per sinechdochen et superior et posterior simul vocantur epodos. Ut Horatii Odae quaedam, Epodi inscribuntur. Dicti sunt, inquit Diomedes [p. 482.] *epodi συνεκδοχικῶς, a partibus versuum quae legitimis et integris versibus ἐπᾴδονται, id est accinuntur.* Olim carmina in Deos quum scriberentur, circumire aram dextra, strophen vocabant: redire a sinistra, antistrophen: post quom in conspectu dei consistentes canticis reliqua peragebant, epodon. Hinc translatum nomen est in hos epodos qui binos versus habent: nam ut illic epodos canticum finit, ita hic versus secundus sensum: hoc est enim legitimum in epodis: ergo secundum haec et elegia epodicum carmen dicetur. Haec ex fragmentis Donatiani collegi. BRISS.

1801. *Nec tantum hexametris*] Tractaturus author de Epodo partem dactylicam id est medium pentametrum hexametro subiici epodum ipsum gignere dicit, unde ait nec est mos tantum subiungere partem dactylicam geminam hexametris, i. pentametrum quod fit ex duabus dactylicis. Dicuntur dactylicae eo quod sint duo dactyli et catalexis, deinde duo dactyli similiter et catalexis. Tibi praesto sunt in litera ibi *Talis epodus erit* et talia. Diomedes insignis grammaticus qui sit versus epodus recte docuit, ait enim (p. 482=445.) *Epodos dici versus quolibet metro scriptos, et sequentes clausulas habentes particularum, in quibus singulis versibus singulae clausulae adiiciuntur—Dicuntur epodi per synecdochen a partibus versuum, quae legitimis et integris versibus accinuntur.* Nam ἐπᾴδω, ut Graecis placet, significat *accino* et *incanto*. Epos item carmen dicitur. In epodis igitur, ut etiam Acroni placet, primus versus maior est, secundus minor. Huius autem carminis inventorem Archilochum fuisse demonstrat Terentianus: sed dicit satis sibi esse Horatium Flaccum, qui librum huiusmodi carminis composuit, quem epodum nominavit, quia continuo tenore primi versus sensus versu sequenti concluditur. PETR.

1802. *Dactylicam mos est: saepe semel posita*] Subaudiatur *sed* particula, hoc modo, *Sed semel* posita, ait *saepe semel posita*, quia clausulae etiam diversi generis praecedenti carmini adiunguntur. PETR.

1807. *doctum Archilochum*] Acron in Epodis [init.] *Huius vero metri*, inquit, *inventor fertur Archilochus, hic Parius fuit*

*poëta princeps iambicis scribendis apud Graecos, ut et Hipponax fuit.* Unde Horatius lib. I. Epist. [XIX. 23.] *Parios ego primus iambos ostendi Latio numeros, animosque secutus Archilochi. Parios* (inquit Porphyrion) quia *Parius est Archilochus iambici carminis scriptor.* Strabo lib. X. (p. 745=711.) " Post hanc," inquit, " Naxus et Andrus haud memorabiles sane insulae et " Parus, e qua natus est Archilochus poëta." BRISS.

1809. *Diffugere nives*] Exemplum est ex libro IV. Odarum Horatii. [VII. 1.] BRISS.

1811. Anapesticum iunctum Ithyphallico – ᴗ – ᴗ – ᴗ vel ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ ᴗ, hae sunt mensurae Ithyphallici BRISS.

ib. *Caetera pars superest*] Terentianus ex prima caesura heroici geminata pentametrum creari docuit: epodon etiam ex penthemimeri semel posita. Nunc ex reliqua parte docet anapesticum fieri tetrametrum catalecticum. BRISS. Haec sunt carmina anapaestica trimetra hypercatalectica, quae constant tribus pedibus et catalexi, s. dactylo spondeo et anapaesto indifferenter, in extremo tamen semper est anapaestus. Verum non ignorandum est, quod dignius illud carmen perficitur, quod ex omnibus anapaestis componitur. Sed quia dictiones ita ex conficiendis anapaestis accommodare non reperiuntur inseruerunt poëtae inter ipsos anapaestos etiam dactylum et spondeum, quod, ut opinor, factum est, quia in temporibus sunt aequales. Unde inferius author ait, *Mirum tibi nec videatur Spondeon inesse anapaestis.* Ex quo clarum fit spondeos in unoquoque pede in huiuscemodi versibus poni posse. PETR.

1812. *Haec iuncta*] Id est reliqua pars post penthemimerim. BRISS.

1816. *Atque ille poëta Phaliscus*] Phaliscum poëtam talia composuisse carmina ostendit, ex quo ad exemplum haec sumpsit, *uva uva sum et uva falerna,* et quae in contextu notata sunt. Feriuntur autem sic, *uvu|vas et | u|va faler|na* catalexis. Qui autem fuerit hic Phaliscus non constat. PETR.

ib. *Phaliscus*] Anianum poëtam hic designari censebat— Wernsdorfius Poët. Lat. Min. Addend. ad T. II. p. 282. SANT.

1823. *Erit ultima syllaba post tres*] Catalecticam hic notat

quam dicit fieri aliquando una duntaxat syllaba ut in *his* versibus anapaesticis, aliquando duabus, aliquando tribus, licet sit pes integer, ut inferius, ubi tractatur de choriambico phalaecio, quo loco pedem integrum catalexim ferre memorat, ut in carmine, *Nulla meo iam sedeat turba profana luco.* PETR.

1825. *alias*] Id est, *aliquando.* BRISS.

1826. *Et tres superare solere*] Supra meministi supple in tractatu de Pedibus, ubi tribrachum pro catalexi posse poni docuit Terentianus. BRISS.

1828. *Si non hunc regula poscet*] Id est, si lex metri tale genus pedis non exquiret. BRISS.

1832. *Mirum tibi nec videatur*] Dicit priorem i. e. anapaestum esse dominum in hoc carminis genere, cum ipsum carmen ab eo sumat denominationem, dicitur enim carmen anapaesticum verum spondeo quoque tanquam advenae locum dari si res exigat ratione temporum; quod mirum videri non debet quum par sit temporibus. Regem autem anapaestum vocat in metro anapaestico, spondeum advenam atque hospitem. PETR.

1834. *Rex et dominus*] Ludit Terentianus scita translatione, nam quum anapestus ex solutione prioris spondei creetur, spondeus merito dominus, princeps, rex et prior dicitur. Anapestus autem hospes, et velut sumptus advena dicitur, qui velut hospitio donatur in carmine; atque sede per spondeum qui quodammodo parens anapesti dicitur: ducitur enim anapestus ex spondeo, soluta priore spondei. BRISS.

1836. *De foedere temporis aequi*] Id est propter captum parem temporis, vel propter legem temporis aequalis. BRISS.

1838. *sua iura*] suam sedem. BRISS.

1840. *Quotiens ithyphallicon addit*] Locus iste de ithyphallico carmine ex collectaneis Caelii Rhodigini explicari potest. Dionysia, inquit libro quarto [cap. 16.] veteri ritu cum multa prorsum et festiva hilaritate agebantur. Erat qui amphoram vini ferret, et vitem. Aderat et qui hircum traheret: omnes autem phallon gestabant, id est ficulnea veretra, quae de collo propendebant: unde phallophori dicebantur. Qui vero phallos erectos in inguinibus tantum ferebant, dicti sunt ithyphalli: nam phallica vocantur carmina quae in tripudiis stante phallo canebantur: quae et ithyphallica Pollux appellat: Qui plura de-

siderabit, legat Caelium, legat et proverbium, phallus Deo [Adag. III. 3, 63.] Phallus enim et ithyphallus erat effigies obscoeni membri virilis, quod nomen dedit ithyphallico metro. Herodotus etiam libro II. [c. 49.] harum rerum meminit. BRISS. Hoc genus carminis Ithyphallum invenisse dicunt. Ithyphallicum metrum fit tribus trochaeis, ut *Bacche, Bacche, Bacche,* quod etiam recipit tribrachum, ut apud Menandrum in Phasmate [vid. Atil. Fortunat. p. 2672=312.] et apud Callimachum in Epigrammatis videri potest, cuius exemplum posui, quo clarius fiat eum cum sit sex syllabarum modo unam modo duas syllabas per tribrachum sibi vendicare. Hic autem est *Hasta viridis armet | Placidus ades ad aras.* Ithyphallicum autem dicitur ab ithyphallo, quod membrum virile erectum significat: quod carmen decantatum est in laudem Liberi patris. Ex ithyphallico autem et anapaestico trimetro hypercatalectico fit unum tale metrum quale in contextu praesenti vides, ut, *mea tibia.* PETR.

1847. *Graio cum cortice phallo*] Id est cum phallo, qui ex ficu aut ficulneo cortice conficiebatur a Graecis: eritque appositio *phallo, Graio cortice.* Alibi phello legitur, phellos enim Graece, Latine suber dicitur. Unde fortassis non inepte ita legebatur, *Graio cum cortice phello.* Ut per synecdochen tropum (quo aliud ex alio intelligitur, et ex praecedenti id quod sequitur) phellos cortex membrum pudendum notet, quod ex phello factum fuisse probabile est. BRISS.

1849. *Hexametrum quotiens*] Docet author his versibus quomodo anapaesticum penthypercatalect. fit de hexametro dactylico dempta prima hexametri, quod probat exemplo huius carminis *At tuba,* quod amota prima fiet anapaesticum penthypercatalecticum. PETR.

1861. *Nec non dactylico*] De Choriambico phalaecio tractaturus se positurum dicit exemplum quo manifestus fiat quomodo illud formetur. PETR.

1863. *quatenus*] i. e. commodo (sic l. *quomodo*). PETR.

1865. *Dactylicum*] Supple *comma.* Alias legitur, *Dactylicum colis esse* &c. BRISS.

1866. *Primum ut semipedem*] Declarat hic author quomodo de pentametro dactylico facere possis choriambicum phalaecium, dicens, insere hanc adverbialem particulam *iam,* post

illas dictiones *nulla meo*, et dicas *luco* ubi est *loco*, et sic erit metrum choriambicum phalaecium, hoc modo, *Nulla meo iam sedeat turba profana luco.* Hoc carminis genus Servius in Centim. appellat Choriamb. Sapphicum. PETR.

1867. *ab adpositis*] Id est, *positione*. BRISS.

1870. *pene supremam*] Id est *penultimam*, quae in pentametro penultima fuit brevis, in choriambico mutetur in longam: id est quod ait, *Qui locus ante fuit lucus ut esse queat.* BRISS.

1874. *Praemonui chorion*] Choriambum pedem dicit constare quatuor syllabis, extremis longis et mediis brevibus, quia chorios trochaeus dicitur cui prima producta, secunda brevis. Dein iambus priori correpta, ultima producta. PETR.

1876. *Nulla meo*] Scansionem choriambici phalaecii carminis docet, quod sic feritur: *Nulla meo* –⏑⏑– *iam sedeat* –⏑⏑– *turba profa*–⏑⏑– hi sunt tres choriambi. *na luco* ⏑–– antibacchius. Ideo dicit *Bacchio adversus fiet pes*, qui pes catalexis dicitur, nam illud quod superest post legitimos pedes in quocunque metri genere catalexis nominatur. Antibacchius igitur qui est in fine dicitur catalexis quia diversus est a reliquis. Si enim ultimus pes in hoc carmine esset choriambus, non esset carmen sed synaphia. Ideo ait, *nec enim claudit.* PETR.

1879. *Bacchius adversus*] Alias legebatur, *Bacchio adversus.* Sed carmen nullum erat. Bacchius autem adversus est, et contrarius quodammodo choriambo propter contrarium pedis orsum: ubi *i* corripitur, ante tamen producta est. BRISS.

1880. *fiet catalexis in istum*] Id est, syllaba catalectica fiet circa antibacchium. BRISS.

1881. *Quia non eiusdem generis deprensus in imo est*] Id est, quia non hunc regula poscit, ut ante dixit, sive quia pes legitimus non est in choriambico. BRISS.

1883. *Hoc Cereri metro*] Fortunatianus [p. 2678.] inquit *hoc metro Phalecus conscripsit hymnos Cereri et Libero, quod scilicet deorum convenire venerationi credidit.* BRISS. Hoc carminis genere ait Phalaecium cantasse hymnos Cereri, propterea appellatum fuisse carmen phalec. Branchum quoque in honorem Iovis atque Apollinis hymnum decantasse. De hoc Brancho meminit Lactantius [Immo Varro apud Lactant.

ad Statii Theb. VIII. 98.] quem asserit fuisse filium Apollinis ex Laucis filia et Sucronis conjuge, quae cum praegnans per quietem vidisset solem per fauces suas ingredi ac per ventrem exire, infantem peperit qui Branchus nuncupatus cum Apollinis malas osculatus esset, atque ab eo coronam cum virga accepisset vaticinari coepit, ac mox nusquam comparuit. Vereri igitur aliquis posset ne in car. legendum sit *Lauciadon*. Sed tu Battiaden Callimachum intellige, a quo hymnum scriptum hoc metro in laudem Iovis et Apollinis Philesii. PETR.

ib. Posset hic *hexametro* scribi, et versu proximo *istud Philicion*. Sed neque hic *Philici* verum nomen locum habet, neque versu 1885 *quinquies* ubi *quater* legitur. Praeterea Terentianus versu 1946 significat *Phalaecium* qui non sit hendecasyllabus. LACHMAN.

1886. *Hymnum Battiadem*] Ovidius in II. de Trist. [II. 367.] *Nec tibi Battiade nocuit quod saepe legenti, Delitias versus fassus es ipse tuos.* Battiades, Callimachus appellatur qui Cyrenaicus fuit, a Batto eius urbis conditore. Hic Callimachus metri genus quodcunque attigit. Apud Statium libro III. [479.] Placidus corrupte citat hunc versum, nempe sic, *Hymnum Branchiade Phoebo cecinisse Iovique.* BRISS.

1887. *Pastorem Branchum*] Branchus ut ferunt Apollinis fuit filius cui pater divinandi artem concessit. Strabo libro IX. [p. 645=611.] ait eum fuisse sacerdotem delubri Apollinis Didymei; lib. autem XIV. [p. 941=910.] Branchi et Apollinis amores innuit. Talis etiam fabula est: infans natus quum in sylvis esset Branchus Apollinem osculatus est: recepta ab eo corona et virga, vaticinari coepit: quem etiam mortuum Apollo in templis suis coli voluit, a Brancho qui Thessalus fuit nomen inditum est Branchidis. Mela lib. I. [c. 17.] *Post Basilicum Ionia aliquot se ambagibus sinuat, et primum a Possidio promontorio inflexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, dictum olim Branchidae, nunc Didymi.* De Branchidis Strabo libro XI. [787=753.] et XIV. [941=910.] meminit. Supple memini cantasse hymnos. BRISS.

ib. *quom*] Id est, *postquam*. BRISS.

1889. *Qui multos legere*] Latinos poëtas choriambico carmine scripsisse ab his qui multa legerunt negari dicit. Septi-

mium vero quemdam ipse nominat poetam Romanum, qui Ianum celebrans tali usus est carmine ut in litera. Quatuor tibi ad manus sunt id genus carminum ibi, *Iane pater*. PETR.

1891. *Dulcia Septimius*] Septimius fuit Afer natione: qui cum in scribendo uteretur vario carminum genere, vocavit suum librum opuscula: haec ex Crinito, [cap. 82.] BRISS.

1893. *Iane tuens*] *Bina tuens* Hotchkisius. Septimius aperte Ovidium imitatus est. Fast. I. 65. *Iane biceps*. 70. *et refera nutu candida templa tuo*. 89. *Iane biformis*. 95. *Tum sacer ancipiti mirandus imagine Ianus Bina repens oculis obtulit ora meis*. 119. *Me penes est unum vasti custodia mundi, Et jus vertendi cardinis omne meum est*. 125. *Praesideo foribus coeli cum mitibus horis: It, redit officio Iupiter ipse meo*. 144. *Cernere non moto corpore bina licet*.

1897. *Ecce vides ta mugiunt*] Notat in choriambico duos iambos pro choriambo pede poni posse, ut in hoc *ta mugiunt*, quia tot tempora sunt in duobus iambis vel diiambo, quot in choriambo, etsi syllabae secus atque in choriambo positae sint. PETR.

1898. *Temporibus*] Non ignorandum est in choriambo phalaecis interdum tribrachum admitti, hocque fieri resolutione vel trochaei vel iambi. Trochaei ut in illo versu *tibi vetus*, ubi *tibi* duae breves pro una longa. Iambi vere ubi posuit *ab o* in pede illo *ra caluit ab o* quae sunt sex syllabae pro quatuor. Nam primae duae breves pro una longa ponuntur. Et ita duae ultimae, mediae autem sunt correptae. PETR.

1903. *alter a pede consequenti*] Id est, trochaeus scilicet *ra ca*. BRISS.

ib. *a pede*] *A* breve est. Quod fere produci solet, sed verum est quod ait Servius [p. 1813.] monosyllaborum non esse certam regulam. BRISS.

ib. *a pede*] Id est, *in pede*. BRISS.

1907. *et tribrachys*] Id est, *etiam*. BRISS.

1908. *Anapaestus item*] Sic inquit Anapaesticum Archebulum antibaccho claudi potest hexametrum, ut choriambicum phalaecium, et hoc probat versu illo *At tuba*, &c. Qui sic intelligi debet, ut scandendo per anapaestos in fine remaneat antibacchus, hoc modo, *tuba ter* ⏑ ⏑ – *ribilem* ⏑ ⏑ – *sonitum* ⏑ ⏑ – *dedit ae* ⏑ ⏑ – *re curvo* ⏑ – –, qui pes est antibacchius.

Quare dicit anapaestus inest quater, ultimus antibacchos, quod fit detracta prima et antepenultima syllaba ex dactylico hexametro, sic, *tuba terribilem sonitum dedit aere curvo.* Ad planiorem insuper intelligentiam alium versum in exemplum ponit, sc. *Tibi nascitur omne pecus tibi crescit hoedus.* Quem si ferias postremum antibacchium invenies: cui praeterea si in principio syllabam praeferas, et antepenultimam consimiliter alteram addas hexametrum plene factum videbis, ut in contextu constat, *Nam tibi nascitur omne pecus tibi crescit et hoedus.* Archebulum vero veterem quendam poëtam hujusce carminis authorem fuisse demonstrat. PETR.

1909. *ut choriambicus antibaccho*] Non confundaris si Terentianus dicat choriambicum claudi antibaccho, quum paulo ante significaverit claudi bacchio. Nam Bacchius et Antibacchius Terentiano promiscue hic usurpantur, quod notat etiam fieri posse Terentianus, his verbis

*Quom duas longas sequetur una brevior syllaba,*
*Pes erit βακχεῖος, ἀντίβακχος autem tunc erit:*
*Quom brevem primam locabis et duas longas dein.*
*Nomina aut vertes vicissim, &c.*

Eodem sensu Terentianus antibacchum intellexit, ibi *at choriambus unus praeditus antibaccho*, &c. BRISS.

1910. *versus idem*] Idem neutrum est. BRISS.

1913. *Anapestus inest*] Tollendo primam et tertiam a fine supple. Diomed. lib. III. [p. 513.] *Archebulum metrum*, inquit, *ubi hexametro prima syllaba ablata est; et ab ultima tertia.* Eadem ponit exempla cum Terentiano. BRISS.

1916. *Prima reponatur*] Nam ut dixi oportet a dactylico tali primam summovere et a fine tertiam si velimus anapesticum Archebulicum fingere. BRISS.

1919. *Generi datur author*] Stesichorus poëta Ibicus antiquior Archebulo, Pindarus, Symonides hoc usi sunt carmine, sed passim et promiscue. Archebulus autem carmen ex hoc uno genere composuit, atque eo nomen carmini dedit, a cultore igitur, non ab inventore nominatur: haec ex Fortunatiano [p. 2673.] BRISS.

1920. *Dactylici finem*] Versus miurus dicit, est hexameter habens ultimum pedem iambum. Ingeniosus author versu

miuro miurum versum nos perdocuit. Eodem etiam modo in caeteris procedit. PETR.

1927. *Si nusquam hoc*] Ne fortasse quis arbitraretur hoc genus carminis non inveniri apud aliquem authorem posuit versum Homeri Latinitate donatum, qui est, *Attoniti Troes*, quem dicit miuron a Graecis appellatum. Ostendit praeterea Livium Andronicum veterem vatem opus scripsisse quod *Inonem* nuncupavit, in quo post heroicum subiunxit miuron, ut in litera dilucide perspicitur, ubi ipsius Livii veteris quatuor sunt versus inscripti. PETR.

1929. *Quem miurum*] Caelius libro II. [c. 35.] Sunt, inquit, versus qui vocantur acephali (de quibus post dicemus) qui a brevi ducunt initia. Miuri (quanvis myuros scribat) in postremis peccant, subsultantque (proprium enim est brevium subsultare ut adnotavimus in pedibus) in medio qui peccant temporis velut inanitate seu defectu lagari; qui tempore redundant in medio, procaelii dicuntur: dicitur autem μειοῦρος παρὰ τὸ μεῖον, καὶ οὐρὰ quasi cauda, id est, fine sit minor vel brevior: a quo Terentianus ε elidit de prima syllaba, ut primam corriperet, ut in χορεῖος fecit, ait Aldus [lib. IV.] Caelius [l. c.] scribit per υ myuros: quod vitiose cludant, inquit, dici videntur myuri: nam μύειν claudere est. Versus Homeri quem reddidit Latinum Terentianus est in libro Iliadis α'. [208.] Τρῶες δ' ἐρρίγησαν ὅπως ἴδον αἰόλον ὄφιν, in quo transferendo Terentianus non reddidit verbum respondens verbo αἰόλον, quod *varium*, sed id minimum intererat. BRISS.

1931. *Livius ille vetus Graio cognomine*] Hic Livius qui fuit Graio cognomine, nempe qui Andronicus dictus est, poeta epicus primus apud Latinos dedit fabulas, de quo lege Diomedem, lib. III. [p. 486.] Gellius lib. XVII. [c. 21.] *Livius*, inquit, *poëta docere fabulas Romae coepit, post Sophoclis et Euripidis mortem annis plus fere* 260. Idem Romanorum gesta, 18 complexus est libris, qui et annales inscribuntur, ait Diomedes. BRISS. Non sunt isti versus Livii Andronici, sed videntur Laevii esse, pro quo Livium nominatum Terentianus invenerat. HERMAN. Epit. Doct. Metr. s. 333. *Laevium* pro *Livio* reponenti Scaligero obnititur Santenius p. 232 et seq.

1931, 2. *suae Inserit Inonis versu*] Ita fere legi solitum est,

*suae inserit in omni versu.* Sed non video cui possit adiungi suae; in exemplaribus recens impressis legitur suo inserit in omni versu, ubi (pace emendatorum dixerim) *audacter magis quam parate* (ut de Octavio Reatino dixit Cicero in claris Oratoribus [c. 68.]) veterem lectionem verterunt, et induxerunt, *suo* loco *suae* supponentes. Livius enim fabulas tragicas dedit: Marcus Cicero quadam ad Trebatium epistola sic coepit [Fam. VII. 16.] *In equo Troiano scis esse, sero sapiunt Phryges*, qui locus ex vetustissima tragoedia (cui titulus fuit Equus Troianus) Livii Andronici sumptus est, ut adnotat Erasmus in Proverbio [Adag. I. 1, 28.] *Phryges sero sapiunt,* et Beroaldus in annotationibus. Unde tragicum fuisse iam non obscurum est, sed quum Gellius fabulas illum dedisse Romae testatur, non solum equum Troianum aedidisse constat. Nusquam certo legi Livium dedisse fabulam (ut cum veteribus loquar) de Inone: dedisse tamen ex vestigiis Terentiani nobis subolere potest. Nam cur subderet Terentianus, Quando chorus canit ore triviae, &c. An non est chorus pars tragoediae, quo deos precamur *ut redeat miseris,* ait Horatius [A. P. 201.] *abeat fortuna superbis,* quo laudantur reges, iustitia, otia, caeteraque id genus multa? Neque vero abhorret Inonis casus a tragica materia. Fuit enim Ino, Cadmi filia, quae ex Athamante Aeoli filio, duos peperit liberos, Learchum et Melicertam, praeterea filiam Euricleam. Tandem Athamas ira deorum in rabiem versus, Inonis liberos arcu percussit, occiditque Learchum scilicet et Euricleam. Ino una cum Melicerta sese in mare abiecit. Lege Chiliadas Erasmi in Proverbio [Adag. II. 10, 78.] *Inus dolores.* Legam igitur. *Suae inserit Inonis versu.* Estque versu dativi casus, quemadmodum apud Vergilium [Aen. I. 257.] *Parce metu Cytherea.* Itemque, *teque aspectu ne subtrahe nostro* [Aen. VI. 465.] Inonis autem genitivus est ductus ex veterum ratione qui volentes potentiorem facere linguam Latinam, nomina omnia solebant ex Latinorum ratione declinare, ne alienis egere institutis faterentur. Vnde C. Caesar [Quintil. I. 5, 63.] *Calipsonem* dixit ut *Inonem.* Cicero in I. Tuscul. Quaest. [c. 12.] *Quid Ino, Cadmi filia, nonne Leucothea a Graecis nominata, Matuta habetur a nostris?* BRISS.

1939. *Dactylicum tamen hoc*] Docturus author varia hen-

decasyllaborum genera, hic quomodo unum ex his genus confici possit ostendit, dicens, quod cum invenitur versus qui primum pedem spondeum, secundum dactylum, deinde caesuram, quae penthemimeris dicitur, habeat, et illi adiiciantur duo ultimi pedes hexametri videlicet dactylus, et spondeus vel trochaeus, Hunc ait versum esse *de genere phalaeciorum*, non tamen esse illum notissimum qui constat ex spondeo, dactylo, et tribus trochaeis, sed tertium quoddam genus de quo hoc loco agit Terentianus, et ideo ait, *Fiet hendecasyllabos sed alter:* id est, non est ex illo notissimo, ut supra, cuius quidem regulam in litera docet, et exempla profert, veluti, *Postquam res Asiae primus ab oris;* et reliqua ut in contextu. Talis autem versus sic quinque pedibus feritur, ut primus sit spondeus, secundus dactylus, tertius spondeus, quartus dibrachys vel pyrrhichius, quintus vel spondeus vel trochaeus. Scande sic igitur, *Postquam* —— *res Asi*—⏑⏑*ae pri*——*mus ab* ⏑⏑ *oris* ——. PETR.

1945. *Fiet hendecasyllabos sed alter*] De hoc genere hendecasyllabi nulla fere mentio fit apud authores alios: nam solent tantum ponere duo genera hendecasyllabi huiusmodi —⏑ —— —⏑⏑ —⏑ —⏑. et ⏓⏓ —⏑⏑ —⏑ —⏑ —⏑, posse tamen creari versus adiectis detractisque partibus amplius statim apparebit. BRISS.

1947. *Cuius mox tibi*] Deinceps cum de hendecasyllabo in sequentibus disseremus. BRISS.

1953. *Istum semipedem*] Qui de penthimimeri reliquus est, prima syllaba pedis sequentis reddit utrinque spondeum medium. BRISS.

1957. *Quum autem*] Alias legebatur, *Quum vero*, sed vitio metri. Nam septem pedes deprehendebantur, si vero *heptimemeres* sine sinaloephe legebatur, si cum sinaloephe, spatia verborum seu quantitates corrumpebantur. BRISS.

ib. *At cum hephthemimeres*] Scribit hic author quoddam esse carminis genus, quod insertum in tragicis choris saepissime invenitur, diversum quidem ab aliis, nam in iambicis interpositus reperitur versus sc. maior pars heroici carminis usque videlicet ad hephthemimerim: dicit insuper in fabula Orestis composita ab Euripide, quendam eunuchum introductum hoc genere metri flagitasse ensem, et huic metro plura iambica

subdidisse. Pomponium praeterea poëtam tali carmine in choris suis usum fuisse dicit, ut posito eo primo iambicum subiungeret, et post iambicum iterum ad primum rediret; cuiusmodi autem sit hoc carmen exempla dantur illa duo *Rhoeteis procul a terris;* et, *Obrue nos Danaosque simul.* PETR.

1960. *Fabula sic Euripidis*] Orestes perempta matre Clytaemnestra cum Pylade descendit in forum, qui damnatus cum sorore Electra capitis: iam omnes eum lapidibus obruere parabant, vixque precibus et lachrymis impetravit, ut per infestum populum sibi liceret ad sui patris aedes reverti, et in eis sibi mortem consciscere. Quod in more Graecis fuit principibus, ne damnati publicis oculis perferendo mortem, subiicerentur. Reversi tandem domum Pylades et Orestes, id consilii capiunt, ut prius aliquod nobile facinus committerent, quam mortem obeat Orestes. Id ita demum fieri posse versant secum, Helenam si interfecissent: aut si parum, id successisset, aedes, Helenam, Gazam regiam, seque una igni corruptum issent. Orestes igitur et Pylades telis occultatis et armis, supplices ad Helenam adeunt, admissi orant, suam vitam a Menelao deprecetur, Paterna beneficia commemorant. Helena suos omnes Orestis rogatu discedere iusserat, quos omnes Pylades ut quisque eorum discesserat, in stabulum aut locum quemvis includebat. Ita solam Helenam post adoriuntur: quae quum clamorem sustulisset, omnes ex omni aedium parte adcurrunt claustris effractis. Quodcunque sors telum primum obtulerit, eo Helenam defendunt: victi tandem, alius alio diffugit: exiliit autem foras in tanta trepidatione Phryx quidam eunuchus (cui credita erat Helena) manus Orestis, et ensem Argivum fugiens, qui clamore maximo in haec verba prorupit, [v. 1381] Ἴλιον Ἴλιον ᾤμοι μοι Φρύγιον ἄστυ καλλίβωλον Ἴδας ὄρος ἱερὸν ὥς σ' ὀλόμενον στένω: id est, *Ilion, Ilion, vae misero mihi. O Phrygia urbs glebae ferax, Idae mons sacer quam te occidisse doleo?* Ex his intelligas eunuchum istum Phrygem non flagitasse ensem Argivum, sed fugiens ensem Argivum flagitabat non ensem quidem, sed exclamans vehementer patriam Ilion, Idam montem requirebat. Versus autem quem Terentianus dicit insertum esse inter multos, non una creatos lege, est huiusmodi Ἴλιον, Ἴλιον &c. BRISS.

ib. Euripidis Graeci versus ad marginem omissi sunt, qui quantum coniectura assequor hi intelliguntur:

*Ἄργειον ξίφος ἐκ θανάτου*
*πέφευγα βαρβάροις ἐν εὐμαρίσι,*
*κεδρωτὰ παστάδων ὑπὲρ τέρεμνα*
*Δωρικάς τε τριγλύφας*

qui tamen (si modo ii sunt, qui a Terentiano citantur) in Aldinis perperam *ἐξετυπώθησαν*, quod verbum *πέφευγα*, quod sequentis versus initium esse debet, cum praecedenti hephthemimere, de quo hoc loco agitur, coniunctum illic legitur. MICYLL.

1965. *Pomponius*] Quintil. lib. X. [1, 98.] *Eorum*, inquit, *quos viderim* (de tragicis Latinis loquitur) *longe princeps Pomponius secundus, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur.* Idem vulgo Pindarus tragicus appellatus est, tanta doctrina atque sublimitate excelluit. BRISS.

ib. *choricis*] *partibus*, supple, *suarum fabularum*. Est enim chorus membrum seu tragoediae, seu comoediae. BRISS.

1966. *Rhoeteis*] Vid. Verg. lib. III. [108.] Aeneid. ibi, *Teucrus Rhoetaeas* &c. BRISS.

1969. *Non equidem possum*] Nequeo, inquit, tot veteres poëtas vidisse, ut omnium quae dicam exempla valeam ex illis proferre. Quantis praeterea ego Maurus Graiis operam navare potui? e quibus ars musices emanavit, quasi dicat, paucis: unde vult excusatus haberi. PETR.

1971. *Maurus item quantos*] Capel. lib. VI. [s. 673.] *Interior Africa*, inquit, *homines in desertis habet Leucas, Aethiopes, Nigritas, et coeteros monstruosae novitatis homines, inter solitudines degunt Troglodytae, in specubus manent, vescunturque serpentibus, striduntque magis quam loquuntur.* Strabo lib. XVII. [p. 1170.] *Mauri*, inquit, *ad hoc usque tempus pastoraliter vivunt.* Apud Ptolemaeum [de Africa] legi, quantum colitur Africae, fertilitatem praestat, verum maxima pars inculta est, et ab arenis sterilibus obducta, vel ob situm caeli deserta. Zacharias Lilius [lit. M] illam regionem Barbariam vocat, et Hippocrates in opuscula de Aquis et Locis [init.] ait hominum naturam solere locorum habitum consectari. Item multo mari dissita est a Graecia Mauritania. Argumentum est igitur a Natione, quasi

dicat Terentianus, quod exemplum dare possim tantae humanitatis et eruditionis in Barbaria natus? (unde coniici potest in praefatione posse legi Maurum ingenium negat sine synaloephe) aut qui possim mari continentique remotus a Graecis, Graecorum studia tractare? Forte huc respexit *Davus sum, non Oedipus*, ut innuat non Phocidem, non Heliconem, non Cirrham peragravi, deserta Libyae monstrorumque tantum feritatem expertus sum: unde nihil mihi commune cum tam musicis, id est doctissimis authoribus. *Multa sunt*, inquit Cic. in opusculo de Fato [c. 4.] *quae inter locum et locum plurimum differant. Athenis tenue coelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis, itaque pingues Thebani:* id est minus solertes. Idem tradit Ficinus in argumento Phaedonis. Herodianus lib. III. [cap. 3. init.] tradit Mauros genus hominum suapte natura caedis avidissimum, nihilque non facile audens, ac desperatis simile contemptu videlicet mortis ac periculorum, id quod arguit parum ingenio Mauros valere, si modo verum est quod ait Aristoteles in VII. Polit. cap. 7. et Plato in Lachete sub finem. BRISS.

1972. *pars musica*] Id est, *poëtica*. BRISS.

1973. *Nemo tamen culpet*] Nemo sit qui vitio det quod in hoc meo opere nova sumpserim exempla, quia nostri, hoc est, recentiores Latini, melius quam alii regulas servavere. PETR.

1974. *Nam melius nostri servarunt*] *Regulis in opere metrico liberius utebantur veteres*, inquit Beda [p. 2375], *quas moderni poëtae distinctius ad certae normam definitionis observare maluerunt.* Quod et Priscianus [in prooem.] licet in diverso genere confirmat: *Authores*, inquit, *quanto iuniores, tanto perspicaciores et ingeniis floruisse et diligentia valuisse omnium iudicio confirmatur eruditissimorum.* BRISS.

1975. *Septimius docuit*] Dicit Septimium poëtam hoc genere metri, de quo supra, scripsisse *Ruris opuscula*, et posuit quatuor carmina ipsius poëtae, quae si ferias in postrema parte hephthemimerim habebis. Hunc Septimium Afrum recenset Crinitus in his quae scripsit de poëtis Latinis, verum nihil aliud de eo refert quam quod ex his Terentiani locis excerpsit. PETR.

1978. In Pithoeana Epigrammatum farragine Auli Sereni nomine haec eduntur: *Inquit amicus ager domino sere plurima*

*reddam Si bene mi facias memini tibi solvere grates.* Negligenter si de tanto tamque industrio viro licet dicere, nam prima solum hepthemimeris est in utroque versu Sereni, reliqua quae versum hexametrum faciunt sunt Terentiani Mauri &c. BARTHIUS Adv. XXXII. 12. p. 1486.

1982. *carmine utroque*] Forsitan in duos libros sua Ruris opuscula diviserat Septimius. Partem enim carminis *volumen*, librum poëtae *carmen* vocant: Ovidius III. Tr. XIV. 19. comparato Martiali XIV. 192. monente Vossio in Prosod. p. 150. SANT.

1983. *Hexametros facies ipsos*] Docet author quomodo possis praedictos versus hexametros reddere, dicens, quod si adiungas illis duos anapaestos et catalecticam hexametros perfectos habebis; quod ut perspicue cognoscas, quatuor in litera posuit, Anapaestos autem et catalecticam videbis si post hephthemimerim scandas reliqua hoc modo, *sere plu* ◡◡–*rima red*◡◡–*dam*. PETR.

1988. *Syllaba praeterea*] Admonet hic author quod si hephthemimeri adiiciatur syllaba, non refert an brevis an longa sit, quia est ultima; sed opus est ut penultima semper sit brevis, et sic formatur perfectum phaliscum. Exemplum posuit ibi, *Nam lyri*–◡◡*ci quoti*–◡◡*ens sua* –◡◡ *volunt* ◡–. Monet quoque hoc magis fieri ex dactylico, quod si non possit, in tertia tantum sede necessario locetur dactylus. Hoc vero carmine locutum suo in opere dicit Serenum. PETR.

ib. *numero superadditur isti*] Id est *heptimemeri*. BRISS.

1991. *Sereni*] Aulus Serenus inter lyricos est relatus a veteribus grammaticis, ad amores describendos iocosque facilis et elegans. BRISS.

1994. *Pluribus illa modis ita renovant*] *Illud in totum*, ait Fortunatianus [p. 2684.] *naturam metrorum cognoscere volentes possum admonere, etiam si omnia non comprehendi quaecunque apud Graecos possunt: possunt tamen inveniri metra, quomodo apud lyricos, tragicos, comicos innumerabiles sunt figurae metrorum. Quod omnia metra varientur aut adiectione, aut detractione, aut concinnatione, aut permutatione.* De detractione, aut adiectione, ex praedictis patere possunt exempla. De concinnatione et permutatione in sequentibus: unde apud Vergil. heptimemeres et pentimemeres et dimetrum saepe reperias,

imo monometron: monometron etiam cum catalexi: atque omnino per multas species dissecta multa: quod non putarim inchoata, (quod vulgus comminiscitur) sed velut epodos subiecta, ut *audentes fortuna iuvat. Et matri praereptus amor. Vos agitate fugam. Numina conclamant. Huc cursus fuit. Qui vocat. Rumpite. Dardanidae. Audierat. Abluero*, &c. Quanvis autem dixerit Terentianus ante, *Pes etenim speciem metri nunquam facit unus.* Terentianus magis animum advertit illic ad seriem syllabarum, ubi iuvantur alieno tempore syllabae, quam ut semel de metrorum figuris pronunciarit. Poëtae modos innumeros versuum, maxime Pindarus, aediderunt, ait Censorinus [fragm. c. XI.] Nunquam profecto semel de metris praeceptum fuerit, quotidieque semper aliquid supererit, praecipiendum, si figuras omneis persequamur: nunc de pervagatis agitur. BRISS.

1995. *Dactylicum hoc fieri magis amat*] Id est reddere seu sonare dactylum hoc carmen poscit. BRISS.

1997. *modo tertius hunc retineat*] Id est tantum pes vel locus tertius retineat dactylum. BRISS.

1999. *Nam tibi notius hoc genus erit*] Ut clarius, inquit, hoc genus carminis cognoscas, quatuor in litera carmina scripsero, quae sunt, *Quando flagella*, quibus post tres pedes et catalexin vides syllabam superare, et ipsa est quae adiicitur *Amineas*. Falernum olim Amineum vocabatur; et *Aminea uva*, et *Amineae vites*. Vergilius, *Sunt et Amineae vites, fortissima vina:* a regione autem ita vocabantur. PETR.

2005. *Quod tamen ex isto*] Heptimemeri. BRISS. Plane hic demonstratur quomodo carmen Sotadeum effici queat. Nam si quod remanet ab hephthemimeri duplicetur, et pyrrhichius inter ipsa duo commata ponatur, Sotadeum pulchrum ex Ionico a maiori habebitur: ut in litera tribus exemplis patet. Scanduntur autem sic, *Qui primus ab* – – ⏑ ⏑ *oris ego* – – ⏑ ⏑ *qui primus ab* – – ⏑ ⏑ *oris* – –. Et notanter dixit, *Comma ad posterius versus si do pariambum.* Quia intelliget de ultima parte hexametri heroici post hephthemimerim, quam geminat interposito pyrrhichio; quare subdit, *Ipsum et rursus comma loco ac sic expleo versum, Fiet ionicon hoc* ἀπὸ μείζονος, *ut modo cernes si pariambus ego. Loco* i. e. *pono. Pariambus* i. e. Pyrrhichius. PETR.

2010. *Ipsum et rursus*] Id est, si reponas idem comma posterius, &c. BRISS.

2012. (*quem dabimus*) *sit*] Alias sic legebatur: atque ita legi potest, si subintelligatur *additur* aut simile quid. BRISS.

2016. *Jam porro tenes*] Quom de pentametro loquutus est, bis posuit, Desine Menalios, desine Menalios: ubi dictum est non duo illa commata, sed pedes illorum commatum pedibus similes iungendos esse, ut pentameter fiat. BRISS. Declarat hic author quonammodo pedes in huiusmodi carminibus disponantur, dicens, *iam tenes.* Deinde tres pedes simplices in primo commate inesse narrat, quorum primus spondeus est, secundus pyrrhichius, quia in istis versibus primae duae longae sunt, duae sequentes breves, spondeus etiam comma primum claudit. Hoc notatur ibi *Tres ergo pedes:* si inquit comma repetas tertio et quarto loco spondeum locatum videbis hoc modo, *Dum conderet* – – ◡ ◡ *urbem dum con* – – – – unde ait, *Cernis pariter quatuor absonare longas:* inter quas si pyrrhichius ponatur apte et rite ipsas discriminabit et dividet, nec ipse pes extrinsecus dabitur, sed qui proprius sit istius carminis, unde ait, *Sed qui medius iam sedet in commate primo,* quod est, *dum conderet urbem,* et pyrrhichius maiusculis literis in contextu notatus, videlicet *deret.* Ergo, inquit, addito altero commate hic pes in medio positus vinciet ipsa duo commata, quia cum ionicus a maiori in arsi quatuor habeat tempora, et in thesi duo, nisi pyrrhichius locaretur inter illa duo cola quae sunt *dum conderet urbem, dum conderet urbem,* non bene sonasset carmen, unde ait, *Namque efficit,* hoc est, carmen quod ex duobus tantum colis erat compactum dissonabat, i. e. dissimiles habebat, spondeum sc. et pyrrhichium, interiecto rursum pyrrhichio habet pedes eiusdem generis, hoc est, ionicos a maiori. PETR.

2024. *Adsonare longas*] Id est simul seu continue quatuor longae consonant, scilicet *ūrbēm dūm cōn*, alias *absonare* legebatur. BRISS. *absonare* COMM.

2026. *Discriminet*] Id est *dividat.* BRISS.

ib. *licet ex se tamen ambas*] Sensus est, dixi pariambon discriminare illas quatuor quas dixi pariter longas, licet tamen discriminet per se binas. Dividit enim *ūrbēm* et *dūm cōn*. BRISS.

2032. *Nanque efficit, utque modo cola dissidebant*] Id est disiuncta erant; alias *sola* legebatur. BRISS.

2033. *Alterna simul tempora dant quina quaternis.*] Id est per vices et seriem illa cola exhibent tempora quae comparata reddunt proportionem duplicem. BRISS.

2034. *Nunc redde mihi*] In hac parte author dicit quomodo per solutionem syllabarum dactylus, anapaestus, et trochaeus, et proceleusmaticus in carmen Sotadicum ingredi possunt, prout prima vel secunda, vel ambae productae ionici resolvuntur. Si secunda dactylus erit, et in ionico tunc erunt quinque syllabae prima longa, quatuor breves. Si prima anapaestus et similiter in ionico erunt quinque media longa et reliquae breves, ut in primo hujus operis carmine, *Elementa rudes. Elementa ru* ◡ ◡ – ◡ ◡ ubi loco duarum anapaestus inest. Quomodo trochaeus intret in litera exemplum notavit, nam cadit in hoc carmine quia ditrochaeus et diiambus saepe ponuntur, ut his duobus versiculis tibi notius erit si feriantur, *urbem tenu* – – ◡ ◡ ionicus a maiori, *em fovent o* – ◡ – ◡ ditrochaeus, *pum benigni* – ◡ – ◡ ditrochaeus *tate* – ◡ trochaeus; et hoc modo sunt quinque trochaei et ionicus, quam rem ipse author affirmat ibi, *Est unus ion hic datus et quinque trochaei*, seu quod quatuor sint, et ultimus sit spondeus, quia ultima syllaba semper est ad placitum. PETR.

2040. *sine fraude*] Id est *sine incommodo, sine detrimento.* BRISS.

2041. *duo*] Supple *trochei*. BRISS.

2047. *Ion*] Id est pes Ionicus, ut ante dictum est. BRISS.

2050. *Nil officiat*] His versibus rationem et causam reddit cur dactylus, anapaestus, et trochaeus in carmine Sotadico ponantur, dicens vicissitudinem temporum non obesse, modo tempora in pedibus inveniantur, quae esse debent in ionico. Non ignorandum tamen est, quod duntaxat pedes qui per resolutionem fieri possunt ex ionico, trochaeo, et iambo possunt in Sotadico admitti. Unde in litera dixit tribrachum qui fit per resolutionem vel trochaei vel iambi apte dari in tali metro. *Nam quo fuerint*, quanto magis Sotadica carmina minutis pedibus, i. e. syllabas breves habentibus condita fuerint, tanto meliorem concinnitatem ac iucundiorem sonum habebunt. PETR.

2055. *Vibrare sonum*] Ex ante dictis teneamus ex Quintiliano [IX. 4, 66.] *breves sonum proprie reddere puerilium crepitaculorum*. Atque quod hoc loco Terentianus vibrare sonum dicit, Quintil. lib. IX. [ibid.] *resultare* dicit, seu subsultare. In galliambico versu Terentianus, *Mage quo sonus vibratur*, inquit, *studeant dare tribrachyn*. Est igitur vibrare, citare. BRISS. *vibrare*, i. e. celeriter emittere. PETR.

2056. Ἀπ' ἐλάσσονος] *pes* supple. BRISS. ἀπ' ἐλάσσονος, i. e. Ionicus a minori quomodo se habeat dicit in tractatu de pedibus satis probasse, sed hoc loco refert qualiter in metris hic pes continuetur, ut in illis in litera positis *dea fecit* palam est. PETR.

ib. *qua ratione*] Id est *lege*. Nam dixit metrum istud, id est pedem seu mensuram non coartari versibus, aut numero pedum. BRISS.

2058. *Sed quale metron continuet*] Id est *carmen*. BRISS.

2060. *Diomedem*] Quinque hi versus Terentiani sint, an forte Septimii Sereni dubitat Bentleius ad Horat. III. Od. XII. 1. eosque in tres tetrametros unumque pentametrum disponit, quem ordinem uti nec improbo, ita locum habere non posse existimo hic apud Terentianum, a quo Ionicum a minore complendum fuit. Praeterea complura Ionicorum genera dare voluit auctor: dimetrorum nempe, trimetrorum, tetrametrorum et pentametrorum: haec autem verba *Diomedem modo magnum* dimetrum faciunt acatalectum, sive Alcmanium vide Hephaest. SANT.

2065. *Simili lege sonantes et Neobule dedit uno*] Alias *uno* non claudebat versum, sed caput erat subsequentis. BRISS. Istud Horatii in litera scriptum non metrum sed continuationem esse ostendit quae Graece συνάφεια dicitur, quia eisdem pedibus, i. e. ionicis a minori semper continuatur, nec finis fit, ut in metris. PETR.

2067. *Miserarum est*] Horatius in III. Carm. Od. 12. scribit ad Neobolen hoc carmen. BRISS.

2070. *Ita binae variantur*] Nam succedunt binae longae semper binis brevibus. BRISS.

2070, 71. *neque cedunt Repetita vice*] Id est, non cedit longa brevi, nec brevis longae vicissim, ut de Ionico a maiore dictum est: Quam seriem seu successum pertinacem brevium duarum,

postque duarum longarum Terentianus synaphiam vocat, quae nullo numero regitur, dum sit finis apta: id quod fit si ἀπ' ἐλάσσονος pes finit carmina. Unde mox dicet Terentianus [2091.] Omnis ἀπ' ἐλάσσονος est synaphia immobilis. Id est, haec synaphia immutabilis est, neque dimoveri potest ab ionico a minore. De synaphia non puto aliud dicendum quam quod Terentianus in Pedibus [1514.] *Sed continuo carmine quia pedes gemelli, Urgent brevibus (tot numero iugando) longas, Idcirco vocari voluerunt synaphiam.* Sed nondum quaestio sopita sit, si in universum velimus ita concipi synaphiam: nam et anapestica per synaphiam fieri dixit in tractatu pedum [1517.] Breviter synaphia est Terentiano, consimilis pedum processus, aut pedis qui sit consimilis rationis cum altero (quorum solet esse mutua vicissitudo) quo quamvis progrediare, non inuritur versui nota, quod in ionico a minore, et anapestico fieri licet: sed in anapestico praeter synaphiam catalexis additur. BRISS.

2072. *Spondeus autem*] In hac parte author ostendit quomodo de continuatione pedum facta per ionicos a minori carmen Sotadicum per ionicos a maiori fieri possit. Ibi spondeus autem metron hoc locatus ante, nam addendo spondeum ante ionicum a minori rectum Sotadicum fiet. In hac autem mutatione nil aliud requiritur nisi ut in versu Sotadico primum locatus sit spondeus et in fine, ideo dixit, *duntaxat ut ipsum referat clausula versus, Idemque caput praeditus occupet sequentis.* Subdit etiam, quod si de Sotadico dempseris spondeum fiet recta synaphia, i. e. ionicorum a minori continuatio: et in hac continuatione tantummodo oportet ut in principio sint duae breves et in calce duae longae, poterisque quod voles ionicos a minori simul ponere. Ut vero magis doceare de Sotadico, deinde de Synaphia exempla in contextu data sunt ibi, *O quam miserarum.* PETR.

ib. *autem*] Hic diaeresis est. BRISS.

ib. *metron hoc*] Id est, carmen ionicum a minore. BRISS.

2074. *Duntaxat ipsum referat*] Id est, finis versus reddat spondeum. BRISS.

2075. *Idemque caput praeditus occupet sequentis*] Id est spondeus praepositus teneat seu positus sit in principio sequentis, id est versus ionici a maiore, qui sequitur ex ionico a minore. Dixit enim Terentianus, facit et hoc ἀπὸ μείζονος aedi. BRISS.

2076. *Metrum*] Ionicum a maiore supple tribus pedibus. BRISS.

ib. *semipedem*] Id est *spondeum*. BRISS.

2077. *Ita si capiti demptus*] *spondeus* supple. BRISS.

2082. *Non versus ut ullo*] Vera enodatio an hoc Horatii, *Miserarum est* &c. metrum sit dicendum. *Rarum est neque amori dare ludum neque dulci:* quod superius s. spondeum carmini Sotadico principium et finem imponere dixit clarius his tribus versibus declaratur. PETR.

2084. *ex facili*] Id est *ex proximo*, ut Quintil. [IX. 2, 53.] non longe abieris, ut ait Cic. exemplum quaerendo. BRISS.

2087. *Ex hoc iterum*] *Ex hoc* id est ionico a minore. Alias legebatur, *Ex hoc iterum dare si breves volemus*. BRISS.

2090. *terminus huius*] Id est finis ionici a maiore. BRISS.

2091. *caput sequentis*] Principium ionici a maiore, quem dixit sequi ex ionico a minore. BRISS.

2092. Ἀπ' ἐλάσσονος *immobilis omnis synaphia est.*] Hoc versu compositionem quae fiat per ionicos a minori synaphiam vocari debere plenissime demonstratur. PETR.

2093. *Hexametro duo quando pedes*] Docet hic quomodo de hexametro Epodus confici possit, dicens, quod si demptis primis duobus pedibus integris, id est, quod post illos non remaneat sectio dictionis, reliqua pars carminis erit Epodus tetrametrus, et dedit exemplum in litera, *Damoetas et Lyctius Aegon*. Quo genere Horatius Flaccus in primo od. usus est, ut in contextu legitur. PETR.

2094. *Vt sermo expletus*] Sensus est, ut dictio perfecta non participet duas partes heroici. BRISS.

2096. *Cantabunt mihi*] Versus est ex V. Aegloga Virgilii. BRISS.

2100. *Laudabunt alii claram Rhodon*] Ode est ex I. Carminum Flacci. BRISS.

2104. *Namque pedes primos*] Sicut inquit carmini Epodo Horatii addendo primos duos pedes dactylum sc. vel spondeum, illud erit integrum hexametrum, ita demendo duos pedes Virgiliano versui ille epodus fiet, ut exemplis in litera positis innotescit. PETR.

2114. *At si quando pedes*] In hac parte author docet quomodo aliud tetrametri genus fieri possit, dicens, quod si ulti-

mos duos pedes hexametro detrahas, modo tales pedes soluti sint per se, non dividentes dictionem quarti pedis, Epodum similiter facies. Exemplum autem apud nos hujuscemodi erit, ut hic inferius habetur, *Pendeat ex humeris dulcis chelys.* Dicit insuper quod qui versus facti sunt tetrametri de hexametris primis duobus pedibus avulsis apti sunt Epodo: nec possunt ab ima parte compleri: qui vero demptis duobus ultimis, facile compleri posse. PETR.

2115. *Dum ne dissidium*] Id est, *divisio.* BRISS.

ib. *dissidium*] Id est, *sectio.* Prior tetrametrus, id est, cui priores pedes sunt adempti, aptus est conficiendo Epodo, dum integro carmini subiungitur: alter vero, i. e. cui ultimi pedes sunt detracti, aptus est carmini pastorali: namque eo usus est frequentissime Theocritus, additis tamen ultimis pedibus, ut ex tetrametro fieret hexametrus. Virgilius etiam usus est nonnunquam. PETR.

2117. *Sed refert illo*] Id est, *differt hac re.* BRISS.

ib. *versus quo portio prima est*] Sensus est quamobrem tetrameter iste posterior supple, est prima portio versus heroici. BRISS.

2118. *Ille sequens*] Id est, superior tetrameter est sequens, seu secunda pars heroici, quae prior est differentia, secunda vero differentia est quam subiungit Terentianus. BRISS.

2119. *Namque haec sola*] Id est, prima portio versus seu posterior tetrameter. BRISS.

2120. *Et subiecta aliis*] Ex comparatione praecedentis contextus sequentisque *subiecta,* pro praeposita hic usurpari mihi videtur: neque regula aut ratio ab hac significatione abhorret, quum particula *sub* saepe ante significet. Ex contextu superiori deprehendis tetrametrum superiorem fieri epodum, neque plenum versum componere, (sunt enim epodi, diminuti versus qui pleniorem sequuntur,) ex sequenti autem contextu deprehendes tetrametrum posteriorem, seorsum et solum: deinde praepositum duobus pedibus perficere heroicum, et complere. Sensus est, tetrameter posterior praeditur aliis pedibus quibus destitui videtur, reddit versiculos absolutos, ut mox ostendetur: neque vero pugnat quod dictum est, posteriorem tetrametrum componere plenum carmen posse cum eo quod absol-

vere epodos dulces, scilicet duos pedes, qui finiunt heroicum, quos Sappho continuavit solos, ut ante dictum est. BRISS.

2121. *prior apta videtur*] Id est, ea portio versus heroici seu prior tetrameter de quo prius dictum est. BRISS.

2123. *Pastorale volet*] Quale sit carmen Bucolicum, quod pastorale nuncupatur, et quomodo componatur, hic ab authore exponitur; nam Bucolicum carmen illud est quod habet dactylum in quarto pede finientem partem orationis, quale est apud Virgilium, *Dic mihi Damoetas cuium pecus, An Meliboei.* PETR.

2125. *Quae solido a verbo*] Id est, *post verbum integrum.* BRISS.

2127. *Plurimus hoc pollet*] Theocritum dicit qui Siculus fuit, et Bucolico carmine dignissime scripsit. PETR.

ib. *Siculae telluris alumnus*] Forte Empedocles intelligitur, qui Agrigentinus fuit; aut potius Theocritus, qui Siracusanus fuit. BRISS.

2128. *Nec Graecam immittam*] Quia Theocritus Graece scripsit suum poëma, et ipse Terentianus Latinus est, Latinosque docere studet, Graeca quae sunt apud eundem Theocritum ita in Latinum vertit. *Dulce tibi pinus summurmurat, en ubi pastor Proxima fonticulis, et tu quoque dulcia pangis,* quae sonant sic Graece in principio operis Theocritei: Ἁδυ τι το ψιθυρισμα και α πιτυς αιπολε τηνα Ἁ ποτι ταις παγαισι μελισδεται αδυ δε και το. In quibus dactylus semper quintam sedem possidet; feriuntur autem sic, *αδυ τι* — ◡ ◡ *το ψιθυ* — ◡ ◡ *ρισμα και* — ◡ ◡ *ἁ πιτυς* — ◡ ◡. Et ita in secundo. PETR.

2131. *Iugiter hanc legem*] Assidue innuit Theocritum in Bucolicis hujuscemodi carmine usum fuisse, quod duobus versibus patet in contextu scriptis. *Iugiter*, assidue et continue. PETR.

ib. *Servant.* COMM.

2132. *Noster rarus eo*] Theocritus, inquit Fortunatianus, hanc legem servavit, Vergilius contempsit. BRISS.

ib. *rarus*] Id est, *raro.* BRISS.

2135. *In tragicis*] In tragoedia Bucolicum comma admitti in hac parte patet, et potissimum apud Annaeum Senecam et Pomponium Secundum, poëtas elegantissimos, hunc consularem virum et scenae carmina dedisse, probraque in illustres

foeminas iecisse Cornelius Tacitus libro undecimo testatur. [Ann. XI. 13.] PETR.

ib. *hunc saepe diserti*] Supple tetrametrum posteriorem. BRISS.

2136. *Annaeus Seneca*] In choris tragoediae Herculis Furentis [v. 127.]

*Contrahit ignes luce renata*
*Septem stellis Arcades ursae.*
*Titan summum prospicit Oetan.*

Et alibi [v. 1056.]

*Et vaga ponti mobilis unda.*
*Tuque ante omnes qui per terras, &c.*

Aeolicum sic appellatum est ab Aeolica Sappho authore. BRISS.

2142. *Reddo pedes binos*] Ecce qui deerant pedes additi sunt, et ex tetrametris hexametri sunt redditi. PETR.

2148. *Aeolicum ex isto*] Quomodo carmina Aeolica ex tetrametris fiant Bucolicis hoc loco facile doceris. Aeolicum igitur facies, si dactylum adiunxeris tetrametro aut spondeum in principio; et primum pedem spondeum locaveris aliquando. Hoc autem carmine saepissime Sappho usa est, praecipue cum Atthida adamaret, ut palam est in epistola Ovidii, *Num quid ubi aspecta est,* ubi ait, *Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis.* PETR.

ib. *ex isto*] Id est, *ex tetrametro.* BRISS.

2150. *Nam addit*] Hic propter comma, *la* syllaba producitur, ceditque dactylus spondeo regi et domino. BRISS.

2156. *Ille tetrametro*] Mire praecipit Terentianus, qui eo ipso versu quo docet disyllabum pedem trochaeum, scilicet posse praeponi, eundem pedem praeponit scilicet *ille.* Sensus est, ille bisyllabus, id est, trochaeus datur ante tetrametro. BRISS.

2157. *Caetera pars versus*] Hoc etiam carminis genere quod tantum dactylo et spondeo vel tribracho scanditur Sappho docta continuando usa est, quo et Boetius de Consolatione metro ultimo libri primi. PETR.

2159. *Continuasse pedes*] Diomed. lib. III. [p. 511.] Ponit dimetrum heroicum ut et ponit hic Terentianus: trimetrum item, ut *Musae pierides meae;* tetrametrum, ut *optima mente*

*tibi fero munera:* pentametrum, ut *Fonteis et gelidi vada fluminis accolo:* heptametrum, ut *Clio cui dedit ingenium demente libidine iunctum.* Ex quo palam est versus, additis detractisque partibus, novari, ut ante dictum est. BRISS.

2177. *Pluribus idcirco*] Plures ait huiusmodi versiculos apposuisse, quo res esset magis perspicua. Deinde aggreditur versum iambicum cuius author fuit Archilochus, unde Horatius, *Archilochum proprio rabies armavit iambo.* Quo carminum genere inventus et in Lycamben tanta acerbitate ob eius filiam sibi pactam uxorem, ac rursum denegatam ut socerum ac novam nuptam Neobulen ad laqueum compulerit. Vnde Terentianus appellat *ultorem sui.* Et Ovidius in Ibin, *In te mihi liber iambus, Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.* PETR.

2178. *carmen condi*] Supple reddidi. BRISS.

ib. *peractum*] *heroicum.* De quo hactenus actum sit. BRISS.

2179. *Caetera tetrametris*] Sub finem libri, supple. BRISS.

2182. *Adesto, iambe praepes*] Gellius libro VI. [c. 6.] *Victoriam praepetem* ex Trimatio docto viro significari tradit volucrem, hoc versu, *Dum dat vincenti praepes victoria palmam.* Laurentius (Valla) in Raudensem [p. 137.] declarat praepetem non esse avem sed adiectivum velocitatem significans, quo sensu praepes iambus hoc loco dicitur. BRISS. Iambum felle plenum et amaritudine ad maledicum versum conficiendum aptum et habilem invitat, qui peculiaris est tam tragoediae quam comoediae. Hunc autem *praepetem,* i. e. velocem et celerem dicit ob nimiam ejus celeritatem; tanta est iamborum brevitas, ut iunctura binos complectatur pedes, unde etiam trimetri versus iambici appellantur, licet senis constent pedibus; unde in Odis ait Horatius, *Fervor et in celeres iambos Misit furentem.* Nam cum rabie et ira canderentur poëtae, duos iambos pro uno pede ponebant, sicque versus a numero illo, si sex pedes sunt, trimetri dicuntur, si quatuor, dimetri; si octo, tetrametri. PETR.

2182, 3. *et tui tenax Vigoris*] Id est, pertinax et retentans tuae acrimoniae et virilitatis. Iambicus enim legitimus, virilis est et acer: pes enim iambus virilis est et acer, ut in pedibus dictum est. BRISS.

2283. *adde*] Associa, annecte iambum tibi, ut iambicum struas. BRISS.

ib. *pedem concitum*] Id est, iambum, qui concitus, citus, cursor dicitur, de quo in pedibus. BRISS.

2184. *Nec indigens opis*] Sensus est, cui non est confundendus alius pes, ut pangatur iambicus. BRISS.

ib. *alterīus*] Hoc loco penultima producitur, ut ante notatum est. BRISS. *Alterius* penultima producta protulit. PETR.

2185. *gestiens*] Id est, animum declarans aegritudine laborantem, vel levis, et rapido quodam impetu promovens. BRISS.

2186. *Adusta felle qualis*] Adesto supple talis qualis ante carmina adusta felle dabas, id est, vellicantia et discerpentia nomen nocentium aut famosorum: quod declarat Horatius in primo sermonum. [4, 1.] *Eupolis*, inquit, *atque Cratinus Aristophanesque poëtae, Atque alii quorum comoedia prisca virorum est, Si quis erat dignus describi quod malus aut fur, Aut moechus foret aut sicarius aut alioqui Famosus, multa cum libertate notabant:* quod repressit Alcibiades submersis his in mari qui in scena mergere quemlibet solebant, ita fel illud comoediarum abolitum est. Idcirco ait Terentianus dabas ante carmina adusta felle, id est, amaris verbis, molestis et inamabilibus inusta. BRISS.

2187. *ultor impotens tui*] Alibi legebatur *impotens ultor*, sed quum hi versus omnes solum iambo constent, quod et Terentianus significat, verbum transmutavi. *Vltor impotens sui* cur dicatur iambus procedente libro Terentianus exponet, ubi dicet [2456.] *Archilochus isto saevit iratus metro contra Lycamben et filias.* Item Horatius in Poëtica [v. 79.] *Archilochum proprio rabies armavit iambo, quum* Neobolam filiam Lycambis Lacedaemonii desponsatam sibi non consecutus esset. Vid. Acronem in epodis Horatii, Ode sexta. [v. 13.] BRISS.

ib. *impotens*] Qui sibi perturbato temperare non potest: hic enim Terentianus sensum tribuit rei sensu carenti, quod sublimitatem translationis arguit teste Quintil. [VIII. 6, 11.] BRISS. Id est, *valde potens*. PETR.

2188. *Vides ut icta*] O tu lector si scandis supple, vides ut impetus, id est, quaedam praeceps pronuntiatio, raptet, corripiat et abbreviet verba icta, id est, percussa. BRISS.

2190. *volvat*] *Volubiliter proferat.* BRISS.

ib. *arctius*] Id est, *strictius, brevius.* Ausonius [in epist. XXI.] ad Iambum.

*Iambe Parthis et Cidonum spiculis,*
*Iambe pinnis alitum velocior,*
*Padi ruentis impetu torrentior,*
*Magna sonorae grandinis vi densior,*
*Flammis corusci fulminis vibracior,*
*Iam nunc per auras Persei talaribus,*
*Petasoque ditis Arcados vectus vola, &c.* BRISS.'

2193. *Sed ter feritur*] Priscianus in opusculo de versibus comicis [potius Iuba p. 1322.] *Quoniam ter feritur* hic versus, tresque dipodias habet, sive tres pedes duplices trimeter dicitur seu ternarius: quod autem sex pedibus simplicibus constat, senarius appellatus est. Quintil. lib. IX. [4, 75.] *Sex,* inquit, *pedes, tres percussiones habent trimetri.* Sumuntur, ait Fortunatianus, [p. 2689–90.] nomina vel a numero pedum, ut versus senarios dicimus, aut a numero syzigiarum, unde trimetros et tetrametros dicimus. Quid autem sit syzygia dictum est. BRISS.

2193, 4. *hinc trimetrus dicitur Scandendo*] Horatius in Arte Poëtica ibi, *Syllaba longa brevi,* de hoc pede meminit. PETR.

2195. *Quae causa cogat*] Primitus trimeter totus iambis constabat, ut Horatius in A. P. *Primus ad extremum similis sibi.* Assignat autem hoc loco causam Terentianus, qua poëtae in locis imparibus in iambo admiserant spondeum et ex illo genitos, dactylum sc. et anapaestum et proceleusmaticum ibi, *admiscuerunt impari.* Hoc autem ne nimium carmen brevitate secaretur, et etiam quia lex iambi pauca verba admitteret, ita ut quam velles sententiam exprimere non posses. Verum tragici frequentant pedes latioribus sonis, i. e. frequentiori usu, et dactylum et spondeum et anapaestum et proceleusmaticum, servata tamen lege ut in locis paribus semper esset iambus. Paria loca sunt secundus quartus et ultimus, primus vero, tertius, et quintus, imparia. PETR.

ib. *Quae causa cogat non morabor edere*] Id est, paulo post dicam cur bini pedes scanduntur in iambico, in heroico singuli. BRISS.

2196. *Nam mox*] Id est, *sed deinde, post.* BRISS.

2196. *ne nimis secans brevis*] Sensus est, ne lex iambi arcta et angusta nimis rescindens aut respuens verba, pauca admitteret: non enim semper praesto est copia verborum quae constituant iambum. Alias legebatur, *nimis secet brevis*. BRISS.

2198. *Dum parva*] Id est, *brevis*. BRISS.

2199. *Vrget*] Id est, *invehit, subdit*. BRISS.

ib. *nec aptis exprimi verbis sinit sensus*] Id est, lex tam brevis et tot verba respuens, non sineret sententias comicorum exprimi verbis commodis, quum manifeste regula, id est, ratio metri repugnaret. BRISS.

2204. *maioribus*] Id est, *longioribus*. BRISS.

2205. *At qui cothurnis*] Diomed. lib. III. [p. 487.] *Planipes*, inquit, *quarta species est fabularum, Graece mimos dicitur, Ideo autem planipes Latine, quod actores planis pedibus, id est nudis proscenium introirent, non ut tragici actores, cum cothurnis: neque ut comici cum soccis: non enim in suggestu scenae, sed in plano orchestrae, positis instrumentis mimicis agitabant.* Est autem cothurnus calceamentum utrique pedi aptum, idemque altum. Nam ait Vergilius in I. Aeneidos [337.] *Purpureoque alte suras vincire cothurno.* Soccus, genus calceamenti mediocriter alti, quo mulieres utebantur, ut in Suetonii Caligula [52.] significatur. Eodem etiam utebantur comoedi: unde per synecdochen tropum cothurni pro grandiloquo dicendi genere: soccus pro mediocri et temperato ponitur, quale est dicendi genus comoediarum. Genus autem dicendi quod nulla sublimitate se attollit, mimicum est. Sensus est, tragici qui attollunt verbis sublimibus fortunas regum, ut sermo, id est dictio seu compositio foret capax, apta pompae regiae, id est, personis regiis, vel ut rerum regiarum sermo gravis imitaretur decorum: graviores et heroicos pedes adhibuerunt iambico, quod etiam in comicis iambicis tradit Priscianus. BRISS.

2211. *Nam nullus alius pes*] Notandum est tribrachum in iambico loco iambi locari, et non aliter: quod nulli ex aliis pedibus conceditur, quia iambo similis est temporibus. PETR.

2213. *Quid? non trochaeus*] Non licere in iambico trochaeum iambo subdi, nec in trochaico iambum trochaeo author in hac parte declarat, quia ionicum fieret, nam in

ionicis choriambus admittitur qui par est in tempore. PETR.

2215, 16. *cui non potest Longam trochaeus*] Sensus est, quum sint contrarii, iambus et trocheus, trocheus non potest longam suam pro longa iambi, nec brevem pro brevi iambi dare, qua parte supple seu quo loco fit, id est censetur et spectatur hoc carmen iambicum. Nam secundo loco et caeteris paribus nunquam iambus pellitur, quibus locis censentur versus iambici: non aliis locis, quibus receptum est subdere pedes heroos. Vnde nisi paribus locis iambus poneretur, non videremur iambicum tenere, quibus trochaeus esse non potest. BRISS.

2217. *sequentis*] Supple, iambi pedis, secundi, id est, qui de secundo loco nunquam pellitur. Alias legebatur, qua fit hoc Ionicum. BRISS.

2218. *Et cur iambo*] Alias legebatur *et cur*. BRISS.

2221. *Habetque et ipse subditivum tribrachyn*] Quoniam obiici posset cur sicut tribrachys pro iambo in iambicis, et pro trochaeo in trochaicis recipitur, quibus par est tempore, ita trochaeus par similiter iambo temporibus in ipsis iambicis locari non potest, respondet, quod tribrachys creatur ex trochaeo et iambo, quos ipse creare non potest. Hac ratione, quae est quod duae breves ita apte in longam non contrahuntur, ut longa in duas breves dividitur, quam rationem ut approbaret, aptiori similitudine hoc verum esse demonstrat, ibi, *Quia solida findi*. Qua comparatione nihil convenientius dari ad illud ostendendum poterat. PETR.

2223. *Ecquis creatur*] Quaestio est an pes qui creatur ex longis per solutionem, an ipse contra possit creare et reformare pedem unde natus est? Alias legebatur, quos creare. BRISS.

2224. *Nam non ita*] Subnectit rationem cur pes qui creatur, alterum non creet a quo sit creatus. BRISS.

2228. *Culpatur autem*] Dicit author quod tragici raro versum ex omnibus iambis suis in tragoediis scribunt. Non enim servit personarum gravitati quae a tragicis introducuntur ob nimiam celeritatem. Comici rursum, ut viderentur imitari pedestrem orationem versus vitiavere arte non inscitia, i. e. ignorantia, quia in unaquaque sede ponunt et dactylum et

spondeum. Et omnes qui ex spondeo creantur, insuper et tribrachyn et iambum indifferenter, nisi quod in ultima sede semper iambus vel pyrrhichius esse debent. PETR.

2230. *Vt ille contra*] Quemadmodum e diverso versus qui secundo, &c. BRISS.

ib. *et talibus*] Id est, *paribus locis*. BRISS.

2232. *Sed qui pedestres fabulas socco premunt*] Id est, quae pedestri orationi seu prosae simillimae esse videntur; unde Priscianus in metris Comicis [p. 1319.], tradit multos iudicasse comoedias non constare versu. Quintilianus *pedestrem orationem, prosam appellat*. lib. X. [1, 81.] BRISS.

ib. *socco*] Quo comoediam exhibentes calciabantur. PETR.

2232. *socco premunt*] Id est mediocri dicendi genere tractant, quod per synecdochen tropum significatur. BRISS.

2233. *Vt quae loquuntur sumpta de vita pates*] Comici (inquit Priscianus [p. 1321], ex Asitionii [Asmonii] sententia) dederunt pedibus dactylicis et spondaicis locum iambi, *dum quotidianum sermonem imitari volunt, et a versificationis observatione, spectatorem ad actum rei convertere, ut non fictis, sed veris affectionibus inesse videantur*. Cicero in perfecto Oratore [c. 55.] *At comicorum senarii propter similitudinem sermonis, sic saepe sunt abiecti, at nonnunquam vix in his numerus et versus intelligi possit*. BRISS. Quia qui spondeo et ex illo genitis scribunt, magis proprie, quae ad vitam pertineant, tractant. Et hoc quoniam spondeus et ex illo creati abundantius quam iambus verba subministrant. PETR.

2234. *tractibus spondaicis*] Id est interpositionibus et traiectionibus spondei. BRISS.

2237. *In metra peccant arte, non inscitia*] Martianus Capel. libro quinto, *Artem dissimulantes*, ait, *id voluntate appetunt*. BRISS.

2238. *Ne sint sonora verba consuetudinis*] Cicero in perfecto Oratore [c. 20.] *Itaque*, inquit, *video visum esse multis Platonis et Democriti locutionem, etsi absit a versu, tamen quod incitatius feratur, et clarissimis verborum luminibus utatur, potius poëma putandum, quam poëtarum comicorum: apud quos nisi quod sunt versiculi, nihil est aliud sermonis quotidiani dissimile*. BRISS.

ib. *consuetudinis*] Consueti et quotidiani sermonis. PETR.

2240. *Magis ista nostri*] *curant* supple. BRISS. Latinos dicit spondeo et ex illo creatis magis quam Graecos in comoediis uti solitos, quia Graeci tenaces fere sunt iambi. Novelli item comici, et qui in veteribus comoediis praecelluere, versu ex omnibus fere iambis gavisi sunt. PETR.

2240, 41. *nam fere Graecis tenax Cura est iambi*] Hunc locum citat Priscianus [p. 1321.] in versibus comicis, atque exponit. *Vide*, inquit, *Terentianum quoque scire quod non penitus caruerint hoc Graeci ut in secundo et talibus ponerent spondeos et dactylos: quod ostendit dicendo, magis ista nostri; nam fere Graecis tenax cura est iambi.* BRISS.

2242. *praecluent*] Id est laudantur in vetusta comoedia. Veteres comoediae (quas Acron et Porphyrio, *Archaeas* in I. Serm. Horat. Sat. 4. [v. 1.] vocant) acrius taxabant civium facta, simultates aspere exercebant, proscindebant principes viros (idque nominatim) authores qui stilo pro telo abutebantur. Sed Alcibiades qui tum imperator erat, retudit tantam licentiam: lege perlata ne quem liceret nominatim in scena taxare, atque ita genus illud comoediae abolitum est. Qui autem praecluent, sunt Aristophanes, Eupolis, et Cratinus, ut tradit Quintil. libro X. [1, 65.] et Horatius in I. Sermonum [IV. 1.] BRISS. i. e. *praecellunt.* PETR.

2243. *Aristophanis*] Aristophanem Poëtam Graecum novo et vario metrorum genere Archilochon imitatum egregie notat. Quintilianus in X. praecipuum fuisse asseverat. PETR.

2243. *micat*] Apud Priscianum *emicat* legitur, sed falso quemadmodum in versu superiore loco *praecluent, praelucent.* BRISS.

2244. *Qui saepe metris multiformibus*] Apud Priscianum non *novis* sed *novus* legitur: *novis* mihi potius legitur. BRISS.

2245. *Archilochon arte est aemulatus musica*] *Archilochum tradit Cornelius Nepos Tullo Hostilio regnante Romae, iam tum fuisse poëmatis clarum et nobilem.* Haec Gell. lib. XVII. [21.] Idem notat Eusebius [p. 107.] 4536 anno mundi Archilochus claruit. Aristophanes autem clarus habitus est, post exactos reges, coaevus Sophocli, temporibus belli Peloponnesiaci: anno mundi 4764. Unde apparet Aristophanem successisse Archilocho, atque potuisse aemulari Archilochum. BRISS.

2246. *Sed paulo abimus longius*] Id est, *Sed paulo liberius*

*digredimur*. BRISS. Cur iambicum per dipodiam, i. e. iugatis pedibus scandatur causam in hac parte author reddit, dicens, si vellem moram facere in unoquoque pede, dum iambicum ferio, morando super locis imparibus in quibus admittitur spondeus, et quos ipse creat, videbor non tenere versum iambicum, sed potius heroicum. Si vero iugatis pedibus quoniam semper in locis paribus ponitur iambus, non poterunt considerari pedes praecedentes; sed ultimus duntaxat qui iambus erit, notabitur ab auditoribus: hoc modo scandendo versum hunc, *nunc ipsa metra*, patebit. *Nunc ipsa me* — — ∪ —. Et ita iambus in fine auditur tantum. Sic senarius trimetrus vocabitur. PETR. *'Sed paulum et hoc magis* COMM.

ib. *nunc hoc magis*] Id est nunc magis institutum sequamur. BRISS.

2254. *Quam pollicis sonore vel plausu pedis*] Horatius in Poëtica [v. 274.] *Legitimumque*, inquit, *sonum digitis callemus et aure:* "*digitis* autem et *aure*" dixit Horatius, inquit Acron, "quoniam sonus metri pollicis strepitu et auris perceptione "probari solet." Unde quid velit Terentianus, facile videtur. BRISS.

2258. *Versum videbor non tenere iambicum*] Rufinus [Bassius apud Rufinum p. 2707.] in Metris Comicis. *Iambicus*, inquit, *quum pedes etiam dactylici generis assumat, desinit iambicus videri: nisi percussione ita moderaveris, ut quum pedem supplodis, iambum ferias. Ideoque illa loca percussionis non recipiunt, alium quam iambum et ei parem tribrachyn* &c. BRISS.

2265. *Iugi trimetro*] Dicit Horatium Flaccum totam unam oden in Epodo solis iambicis composuisse. *Iugi trimetro*, i. e. continuo senario. PETR.

2266. *Vt non epodum subderet*] Hoc fit manifestum ex XVII. Ode Horatii in Epod., ubi trimetro iugi nusquam epodos subiecit: cuius odae principium est, *Iamiam efficaci* &c. BRISS.

2268. *Sed simplici carmen per omne evectus est*] Id est solo iambico trimetro per omnem odam processit. BRISS.

2272. *Vnumque carmen*] Id est *unam odam*. BRISS. i. e. *unam oden*. PETR.

2273. *Sed hic trimetrus*] Docet hic author quomodo de senario octonarius fieri queat; qui fit ita, si capiti senarii duplex pes adiiciatur quadratum seu octonarium perfectum

efficies. Senarius ibi, *Phaselus ille*. Octonarius ibi, *Adest celer*. PETR.

2274. *tunc quadratus dicitur*] Rufinus in Metris Terentianis, Boiscum de Cyzico huius Carminis repertorem tradit [p. 2710]; *Tetrametrum*, inquit, *primus fertur posuisse Boiscus*. Fortunatianus [2679.] *hic*, inquit, *quia quatuor metris constat, quadratus dicitur:* ubi metra pro syzygiis intelligit. BRISS.

2277. *Phasellus ille*] Versus est Catulli [carm. 4.] ex principio Epigrammaton. BRISS.

2280. *Si dempta prima syllaba*] Dicit author quod si iambico octonario quadrato dempseris unam syllabam, et dicas, *Est celer phaselus*, primus pes erit creticus. PETR.

2288. *Sic Creticum si quis*] Si diviseris, inquit, ipsum Creticum, et ferias *Est ce* – ◡ *ler pha* – ◡ iambicus fiet trochaicus octonarius catalecticus. PETR.

2290. *ergo quando Cres iambicum*] Quod de quadrato quomodo fiat trochaicum non longe ab his dicit, hic plenius enodat, dicens, si divides creticum pedem, formabis trochaeum, et supererit syllaba longa, quae si addatur primae iambi, quae est brevis, alter trochaeus nascetur, et ita habebis duos. Unde ait author *Primam ex iambo dum sequenti copulat Brevem, trochaeos esse iam vides duos*. Ita igitur sequendo invenies septem trochaeos et unam catalecticam; unde inquit, *Donec trochaeis*, quia necesse est ut sint quindecim syllabae, tres sc. cretici, et duodecim iamborum, ut ibi, *Nam cretici tres syllabae primo loco*. PETR.

ib. *Cres*] Id est *pes creticus*. BRISS.

2296. *Trahit ex iambo*] Alias legebatur *traxit*. BRISS.

2302. *Bis sex iambi*] Id est duodecim syllabae carminis iambici. Versui cuius principium est, Finem tenebit &c. Succedebat in aliis exemplaribus iste versus, *Quia duplici trisyllabus minor pede est*, sed quod cassus mihi visus est, expunxi. BRISS.

2305. *Sed quia trochaeos*] In hac parte dicit author, quoniam trochaica iugatis pedibus ut iambica scanduntur, ipsa trochaica catalecticam habentia, in fine tenebunt vel dactylum vel creticum, quia hi pedes duplici minores habentur. Exemplum ibi in litera, *Est celer*, quod sic feritur. *Est celer pha* – ◡ – ◡ *selus ille* – ◡ – ◡ *quem videtis* – ◡ – ◡ *hospites* – ◡ –

creticus est. Si versus ex solis iambis compositus esset, trochaicus liber permaneret, hoc est sine catalectica. PETR.

2307. *Finem*] Al. post hunc alter versus inseritur, *Quia duplici trisyllabus minor pede est.* COMM.

2309. *permanebit liberum*] Id est impermixtum aliis pedibus, seu simplex: nam septem trochei persistent cum syllaba superstite. BRISS.

2312. *Spondeos autem*] Declarat ex puro iambico fieri purum trochaicum praeposito cretico: quod si iambicus habebit alios pedes praeter iambum in locis imparibus, ita trochaicus ex eo natus habebit alios pedes praeter trochaeum, sed locis paribus: *Adeste nigris huc amicti vestibus*, iambicum est, in quo, in loco impari spondeus invenitur, et scanditur sic, *Ade* ◡ – *ste ni* ◡ – *gris huc* – – *amic* ◡ – *ti ve* – – *stibus;* quod adiect ocretico in principio semper spondeum in locis paribus habebit, sic *Coelibes adeste nigris huc amicti vestibus. Coeli* – ◡ *bes a* – ◡ *deste* – ◡ *nigris* – – *huc a* – ◡ *micti* – – *vesti* – ◡ *bus.* Ecce in locis paribus spondeum necessario poni. Unde ait in litera, *Trochaeus ergo semper impari loco, Parique iambus rite collocabitur.* Quibus versibus palam fit trochaeum, qui tantum admittitur in trochaico, in impari loco semper locari, et spondeum, quique ex eo gignuntur, in pari; in iambico vero contrarium fieri. PETR.

2315. *Vel tertio locetur*] Supple *spondeus.* BRISS.

2316. *Seriem trochei*] Id est, perspicis iam perturbari successum illum trocheorum qui erat in trochaico nato ex iambico omnibus iambis iuncto. BRISS.

2318. *ex sequenti*] Id est, spondeo. BRISS.

2323. *Nunc*] Id est, in versu trochaico. BRISS.

2325. *Ex quo*] Id est, spondeo qui secundus est. BRISS.

ib. *tertium quia separat*] Id est, disiungit trocheus tertium pedem trochaici carminis. BRISS.

2326. *Hic de sequenti*] Id est, trocheus de spondeo, qui est seu sequens, seu secundus. BRISS.

2327. *Spondeon esse post trochaeum*] Si constat iambicus perpetuis iambis, praeposito cretico, certum est ordinem quendam continuum fore trocheorum, si talem versum legitime scandas. Sed si spondeus, dactylus, aut anapestus in locis iambi imparibus constituantur, nutat iam series illa trocheo-

rum cretico proposito: sed tamen in locis paribus habent sedem dactylus, spondeus, aut anapestus: quos lex trochaici non etiam respuit: unde quacunque figura dentur legitimi iambici, ex his fiunt trochaici praedito cretico: quod his formis compertum fiet. En figura prorsus iambica, ⏑– ⏑– ⏑– ⏑– ⏑– ⏑–, huic figurae praeponas –⏑– sic –⏑– ⏑– ⏑– ⏑– ⏑– ⏑– ⏑–, tum scandas legitime, trocheos videbis perpetuos, sic –⏑ –⏑ –⏑ –⏑ –⏑ –⏑ –⏑ ⏓. Sed iambis admisceas pedes praedictos locis imparibus, sic ⏓⏑⏓ ⏑– ⏓⏑⏓ ⏑– ⏓⏑⏓ ⏑– luce clarius est, si scandis, fore spondeos, aut qui ex spondeo nascuntur in locis paribus, si tali figurae praeloces creticum. Quo fit ut de iambico semper nascatur trochaicus, praeeunte cretico. BRISS.

2328. *Qui sit secundus*] Id est, in loco pari. BRISS.

2338. *Nil nocebit quisque*] Id est, quicunque pes sive spondeus sive dactylus, anapestus &c. inseretur caeteris locis. BRISS. Dicit hoc loco author quod si trochaico metro creticus demetur, integer iambicus fiet; quod probatur hoc versu in contextu posito, *Porro si talis locetur.* In quo spondeos tres locis paribus sitos perspicis. Quem sublato cretico iambicum perfectum tenes. Exemplum ibi, *Talis locetur.* PETR.

2339. *Vt quodque metron*] Id est trochaicum seu iambicum. BRISS.

2340. *integer trochaicus*] Id est impermistus, qualem paulo ante liberum trochaicum dixit. BRISS.

2343. *secVNDVM suggeret*] Id est, in loco pari. BRISS.

2344. *hunc*] Id est, spondeum. BRISS.

ib. *imparem*] Id est, in loco impari. BRISS.

2346. *Simulque iambos*] Quod superius dixit hic declarat planius; sc. quod in trochaico spondeus in locis paribus, in iambico in imparibus ponitur. PETR.

2347. *retrovertit*] revocat. BRISS.

2348. *Verum a magistris*] Trochaicum quoque acephalum appellari illiusque metri authorem Archilochum tradi scribit. PETR.

2349. *Acephalus*] De acephalis, lagaris, dictum est in versu miuro. Is autem trochaicus acephalus est, quia prima parte versus mutilatus est: deest enim syllaba in capite, quo minus sit quadratus: neque vero, (ut de hoc semel dicatur) Teren-

tianus in sequentibus claudos versus generaliter accipiet, sed hos proprie intelliges qui parte extima pedis destituentur in extremo versu, quales vocat Diomedes libro III. [p. 470.] *colobos:* quod dico, quod Diomedes quoscunque versus qui in ultima clausula syllaba vel tempore fraudantur, generaliter, miuros, scazontas, choliambos vocet. Terentianus haec distinguit. BRISS.

2351. *Sed iam pedum*] Quod syllaba longa in duas breves resolvi possit in hac parte author apte ostendit, quod exemplo sui carminis superius posito probat ibi, *Is erit anapaestus,* ubi duae syllabae breves pro una longa positae sunt in cretico. Item Caesii poëtae exemplis utitur, qui resolutione primae syllabae cretici duas breves posuit pro una longa, ibi, *Diogenes beatus ille.* Nam *Diogenes* creticus est, quia duae primae breves sunt pro prima longa. Cretici consimiliter soluta ultima, ibi, *Demophile beatus ille*, unde *phile* duae breves ultimae pro ultima cretici producta existit. Idem Caesius primam et extremam cretici resolvit, unde pes est in versu syllabarum quinque brevium, ibi, *Quod agis, age beatus ille*, in quo, *quod agis age* quinque breves, et tamen est creticus, id est, ponitur pro cretico, propter primas duas et duas ultimas breves, quae pro prima et ultima producta a Caesio sunt positae. PETR.

2357. *Is erit anapestus*] Iste versus cuius meminit Terentianus, est in tractatu pedum trisyllaborum [v. 1403.] eodem principio quo iste, *Is erit anapestus* &c. BRISS.

2358. *Caesium*] Caesius Bassus inter poëtas lyricos relatus est, de quo Crinitus libro tertio de Poëtis Latinis. BRISS.

2360. *Beatus ille*] Ex Epodis Horatii, Ode II. [v. 1.] BRISS.

2363. *labat*] peccat. BRISS.

2369. *Authore tanto*] *Caesio Basso* supple. BRISS.

ib. *tutum fore*] Nam vel *error honestus est magnos sequentibus duces,* ait Quintilianus lib. I. [6, 2.] Cicero in perf. Orat. [c. 13.] Tuto cum Socrate et Platone sese errare significat. *Est enim magnorum virorum iudicium pro ratione,* ait Quintilianus lib. I. [l. c.] BRISS.

2370. *Et pro iambo*] Hic non est synaloephe. BRISS.

ib. *Aeque pro iambo*] Hoc dicit Archilochium trochaicum fieri si iambico trimetro addas creticum in principio versus,

ut, *Est celer phaselus* &c. Est enim tetrametrum trochaicum catalecticum Archilochium. Contra vero tetrametrum iambicum catalecticum fieri, si antibacchium, h. e. brevem unam et longas duas ad finem trimetri iambici adieceris, et Hipponactium dici, nec recedere a genere iambico, quia brevis et longa iambum faciant et supersit catalexis longa, ut, *Phaselus ille quem videtis hospites Sabinus.* Hoc autem factum est ab Hipponacte, adiecto ad finem Antibacchio, illud ab Archilocho apposito cretico in principio trimetri. PETR.

2372. *Aeque et trimetro*] Alias legebatur *aeque trimetro.* BRISS.

ib. *Hipponax*] Ephesius fuit. BRISS.

2382. *Vt ille prima parte*] Id est, acephalus, cuius modo meminimus. BRISS.

2384. *Ille enim*] Hic non est synaloephe. BRISS.

2389. *Namque est iambus*] Id est antibacchus est iambus qui tertia longa redundat, habet enim unam longam supra iambum. BRISS.

2390. *versus ex iambis*] Id est trochaicus archilochius, vel versus hipponactius. BRISS.

ib. *prosatus*] Id est *creatus.* BRISS.

2391. *septimum*] pedem. BRISS.

2392. *Et hunc et illum*] Id est, archilochium et hipponactium versum. BRISS.

2394. *Frequens in usu est*] Huiuscemodi metro inquit poëtas in Atellanis fabulis et comoediis antiquis frequenter usos fuisse, quos aliquando Terentius est imitatus. PETR.

ib. *comicis vetustis*] Aristophani, Cratino, Eupoli. BRISS.

2395. *Atella vel queis*] Livius in principio lib. VII. primae decadis [c. 2.] tradit multa de histrionibus de fabulis Attellanis. Diomed. lib. III. [p. 487.] *Tertia*, inquit, *species fabularum Latinarum est, quae a civitate Oscorum Atella, in qua primum coeptae, Attellanae dictae sunt, argumentis dictisque, iocularibus, similes satyricis fabulis Graecis.* Livius [l. c.] Juventus, inquit, (histrionibus fabellarum actu relicto) ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare coepit: quae exodia postea appellata, consertaque fabellis potissimum Attellanis sunt. BRISS.

2396. *Quia fine molli*] Quintil. lib. IX. [4, 102.] *Bacchius,*

inquit, *et cludit*, (est autem illic Quintiliano bacchius, quod hic antibacchus Terentiano) *et sibi iungitur*, quo satis apparet antibacchium mollem finem efficere et dulcem: nam non in clausulis poneretur nisi morigeraretur auribus. *Labile* autem metrum dicitur, quod hic pes sit teres et volubile, non resultans abruptum aut salebrosum, quemadmodum ex antedictis colligi potest. BRISS.

2396. *atque deserens vigorem*] Cicero in tertio de Oratore [c. 50.] clausulas diligentius servandas esse arbitratur, quam principia aut media: quod in his maxime perfectio atque absolutio numerorum indicatur: *Hic*, inquit Quintil. [IX. 4, 62], *laus omnis declamat*, magisque desideratur numerus in clausulis et apparet: unde, ait Terentianus, hunc versum hipponacteum iambicum propter antibacchum mollem qui est in fine deserere vigorem, id est acrimoniam quae fit et indicatur ex impetu illo quo brevibus fertur iambus: nam transvolant iambi praecedentes: Antibacchus stat in fine et intuendi tempus praebet, possidetque naturale intervallum, quo a sequentis versus initio dividitur: unde suavitas, fine et clausula potissimum censetur. BRISS.

2398. *Claudum trimetrum*] Trimeter claudus, author dicit, Graece *σκάζων*, i. e. claudicans nuncupatur; idem et Hipponacteus appellatur ab Hipponacte poëta authore qui illum invenit. PETR.

2401. *Hic non iambum*] Notat in scazonte quintum pedem semper esse iambum, et ultimum spondeum: unde ait *Penultimam sed pro brevi trahit longam Novitate ductus.* PETR.

2405. *Paeona fieri*] Epitritum hoc loco esse ex genere paeonum asserit; unde, quia isti versus scanduntur iugatis pedibus, Epitritus primus, qui prima brevi et tribus longis constat, reperitur trimetrum claudum terminare; et clare iambus in quinta, spondeus in sexta sede cognoscitur. PETR.

ib. *Paeona fieri perspicis*] In tractatu pedum paeonas una longa tribusque brevibus constare traditum est. Epitritos una brevi et tribus longis: quid igitur iam comminisci videtur Terentianus? paeona in fine huius versus fieri dicit: sed qui potest? quum in fine (scandendo binis pedibus versum) seu extremo loco sit brevis et inde tres longae: ultima autem quamvis brevis sit pro longa habetur epitriton esse manifestum

est: sed paeon esse qui possit confundere aut turbare lectores, sed non est cur confundamur: quum Terentianus epitritos de genere paeonicorum dixerit esse, et Quintil. lib. IX. [4, 96.] dicat *alios omnes quotcunque sint temporum quae ad rationem pertineant paeonas appellari* ut ante dictum est. De pedibus enim loquitur qui rationem seu proportionem paeonum participant: in quibus epitritos numerari ante dictum est, ubi de proportione pedum fusius disseruimus. BRISS.

2408. *Quare cavendum*] Vitandum est, inquit, ne per licentiam solitam, ut antecedentibus continetur in regulis, in his metris in quinta sede spondeus, et qui ex illo gignuntur, locetur, quia quatuor longae simul essent. Nam locus est mutatus, et iambus ponitur in loco spondei, et sic lex est mutata, unde ait, *Nam dactylum paremve quid tibi dicam?* cum tantum hoc loco. PETR.

2412. *Parum sonoro fine*] Saepius ante dictum est, seriem tot longarum minus esse sonoram. BRISS.

2416. *Hoc mimiambos*] Gn. Mattius poëta doctus scazonte usus est et opus composuit quod *Mimiambos* vocavit, et lepore et metri genere Hipponactem quem imitabatur consecutus. PETR.

ib. *Hoc mimiambos Mattius dedit metro*] Gellius lib. XV. [c. 25.] Cneum Mattium virum eruditissimum in mimiambis scribendis notat: Crinitus lib. I. [c. 11.] de poetis Latinis etiam meminit: et mimiambos mimos interpretatur, qui Latine *planipedes* teste Diomede [p. 487.] interpretantur. Cur autem ita vocentur iam positum est, simul quid sint. Suetonius in Othonis vita [c. 3.] *Et satis visum*, inquit, *ne poena acrior mimum omnem divulgaret.* Vbi mimum pro facinore quodam ridiculo quo Otho perbelle Neronem a Popeae possessione exclusisset, ponitur: sed metaphorice, nam mimus (quod verbum et personam significat seu ludionem, et fabulam, seu fabulae poema) proprie est *sermonis cuiuslibet motus sine reverentia, vel factorum cum lascivia, imitatio,* ait Diomedes [p. 488.] Alias legebatur, Hoc mimiambos Mattius dedit metron. BRISS.

2417. *Nam vatem eundem*] Hipponactem supple. BRISS.

ib. *tinctum Attico thymo*] Hymettus mons Atticorum insignis est melle, quod apes illic de thymo colligunt plurimum:

quod alludens Terentianus ait, Hipponactem tinctum, id est, imbutum Attico thymo, id est, suavitate et lepore Atticorum. BRISS.

2419. *Sed et trimetrus*] Indicat author in hac parte quomodo senarius vel trimetrus iambicus acephalos, hoc est, sine capite, fiat, et exemplum ibi ponit, *Est celer phaselus.* Fit enim senarius iste claudicans dempta prima syllaba in versu, *Adest celer phaselus*, sicut etiam quadratus expuncta ultima claudus dicitur, quod ultima auferatur. PETR.

2428. *Archilochus idem est*] Archilochus poeta huiuscemodi metro scripsit. PETR.

2429. *Vicissim*] Sicut versus qui est quadratus claudicat, ita in trimetro claudicare potest: exempla ibi, *Phaselus.* PETR.

2433. *Similem locavit Flaccus*] In secundo Carm. Od. XVIII. BRISS. Horatium Flaccum poëtam dicit in una ode simili usum fuisse metro, ut *Phaselus ille.* PETR.

ib. Al. *Flaccus in car.* COMM.

2434. *Sed quia videtur*] Quoniam, inquit, integer versus est praepositus claudo ita ut ipse claudus sit epodus praecedentis rationem se infra allaturum pollicetur. PETR.

2435. *Esset ut versus prior*] Ut hic, id est, trimetrus claudus. BRISS.

ib. *epodos illius foret*] De epodo satis ante diximus, sed hoc loco epodus intelligitur, tantum versus qui alium sequitur, quod et modo significabitur hic. BRISS.

ib. *illius*] Id est, *dimetri claudi.* BRISS.

ib. Al. *versus ut hic.* ED. SANCT.

2436. *Ratione quem*] Id est, versum scilicet trimetrum claudum. Promittit Terentianus sermonem futurum de hoc trimetro claudo, et illo alio scilicet dimetro claudo, ibi, *Non ebur, neque aureum mea renidet in domo lacunar, &c.* Sensus est; Non abs re differo sermonem seu explicationem huius trimetri quoad eadem opera dimetrum claudum et hunc istum coniunctos occasio dederit ut explicemus. BRISS.

2438. *Et hinc et inde*] Id est, *de utroque.* BRISS.

2439. *Necnon dimetrus*] Si unam de tribus partibus ex trimetro dempseris, dimetrum facies, quod erit octo syllabarum,

nisi receperit dactylum vel contrarium, i. e. anapaestum aut tribrachum, qui pedes etiam locantur in carmine iambico, nam his pedibus suis sedibus positis dimetrum factum plures octo syllabas haberet. Exemplum ibi, *Phaselus ille quem vides.* PETR.

2440. *Quacunque partem*] Id est, ex quocunque loco syzygiam unam detraxeris. BRISS.

2446. *Plaerunque non modo*] Ex dimetris iambicis non modo odas sed et volumina integra fieri ostendit. PETR.

ib. *carmen*] Id est, *oden*. His propter dimetris iambicis magna venustate ac pari elegantia usum fuisse Alphium Avitum abunde ex authore colligitur, qui inter caetera quae scripsisse fertur, libros composuit qui inscripti sunt Excellentium, i. e. virorum vel rerum; fuit autem (ut Petrus Crinitus de poetis Latinis testatur) poeta illustris eleganti ingenio, vivens fere temporibus quibus Caesares Constantiis præstiterunt. Carthaginiensis quoque ab aliquibus existimatur, sed qui testentur authores desiderantur. PETR.

2448. *Avitus Alpheus*] Illustris poeta fuit; inter caetera quae conscripsisse dicitur, libros aedidit qui inscripti sunt Excellentium; quem Priscianus lib. XII. [p. 947.] citat ex secundo excellentium ad hanc formam, Seu tute malis hospites seu tute captivos habes, sunt dimetri iambici. BRISS.

2453. *Vt carmina ostendunt decem*] Haec carmina decem seu odae decem in epodis continuae sunt. BRISS.

2454. *Ibis liburnis*] Ex prima ode Epodorum exemplum est. BRISS.

2456. *Archilochus*] Archilochus, de quo Horatius in A. P. *Archilochum proprio rabies armavit iambo,* dimetro iambico qui amota prima fit acephalus et claudus, in Lycamben et filias ita saevit, quia Neobulen filiam iam desponsatam denegabat, ut Lycambes aliter quam morte iambos vitare non potuerit, nam laqueo vitae terminum posuit. Lycamba, bae, etiam variatur more antiquo, sicut Atrida, dae, Anchisa, sae, Propertius. *Non ita Dardanio gavisus Atrida triumpho.* Nunc vero Lycambes, Atrides, Anchises. PETR.

ib. *Archilochus isto saevit*] Lege in poetica Horatii [v. 251.] ubi de iambico mentio fit, et in epodis Ode sexta. BRISS.

2463. *At cum suprema claudicat*] Innuit author quod sicut

dimeter iambicus prima ablata sit acephalus, ita et trimeter. Eodem item modo ambo, sc. dimeter et trimeter, claudi erunt sublata ultima, ut legitur etiam apud Horatium qui priorem dimetrum sequentem vero trimetrum claudicantes in una ode dedit. PETR.

2470. *Sunt tales*] Hi versus modo quo supra se habent et feriuntur duplicatis pedibus remanentque claudi. PETR.

2472. *Non ebur*] Solvit author versum per pedes, et quomodo *non ebur* sit creticus demonstrat. PETR.

ib. *Non ebur neque aureum*] Ex secundo carminum Horatii: versus sunt Odae XVIII. BRISS.

ib. *neque aureum*] Ubi ait *lacunar* claudicat sicut *Sabinus*, docet hoc carmen, *Mea renidet in domo lacunar*, iambicum senarium ita claudum esse ut illud *Phaselus ille quem vides Sabinus*. PETR.

2479. *Et ut Sabinis*] Alias *quod ut Sabinus* legebatur. BRISS.

2480. *Pedem hinc*] Si, inquit author, ex trimetro claudo auferatur pes duplex, videlicet duo iambi, dimetrus claudus remanet, quo saepe multos poetas scripsisse ait, et Horatium usum fuisse legimus, sed non continuando. PETR.

2482. *det in domo lacunar*] Hoc comma supple simile est huic. *Adest celer phasellus*. BRISS.

2489. *At Arbiter*] Dimetro claudo Petronium Arbitrum, poetam elegantem, cantasse narrat, cuius versus in litera posuit. Exemplo ibi, *Memphitides puellae*. PETR.

ib. *Arbiter disertus*] Petronii Arbitri extat hodie satyrae fragmentum cuius distichon vel hoc unum nemini doctiorum non est in ore, quod indicaturam pretiumque declarat authoris. *Quisquis*, inquit [c. 137.] *habet nummos, secura naviget aura, Fortunamque suo temperet arbitrio.* Feruntur et haec authoris eiusdem. [c. 14.] *Quid faciant leges ubi sola pecunia regnat? Aut ubi paupertas vincere nulla potest? Ergo iudicium nihil est nisi publica merces, Atque eques in causa, qui sedet empta probat.* [Ibid. 80.] *Quom fortuna manet, vultum servatis amici, Quom cecidit, turpi vertitis ora fuga*. Haec adscripsimus, quod cassa aut otiosa non videbantur, simul ut disertum arbitrum intelligeremus. Caetera authoris non extant, mihi saltem. Quod autem dicitur, *manu loquaci*, videri potest ab-

surdum; forte *procaci* commodius legeretur: sed non expunxi *loquaci*, Quod, ut ait Quintil. lib. XI. cap. de pronuntiatione [3, 85.] *caeterae partes loquentem adiuvant, hae (prope est ut dicam)*,de manibus loquitur, *ipsae loquuntur:* an non iis poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur? &c. Est enim actio, tacita quaedam eloquentia. Quo patet manum dici posse loquacem, id est, actuosam. BRISS.

2491. *Agnoscere—loquaci*] Haec omnia Petronii verba sunt cum vulgo priores duo versus Terentiani esse censeantur. Nimirum Aegyptiae puellae puero gesticulanti accinentes probant Domino convivii solemne pruritui, ut Capella loquitur, subscalpendo, carmen. Quia vero integrum non est carmen, sententia etiam haeret. *Tinctus colore noctis* circumscriptio Alexandrini etiam pueri est, quales in deliciis fuisse ipse Petronius convivio Trimalchionis docet. Erant autem Aegyptii nigri, ut notum vel ex libro secundo Herodoti, et vocabantur olim Aethiopes quoque. De *manu loquaci* plurima notamus ad Claudianum. BARTHIVS Adv. XXI. 4. p. 1077.

2497. *Aptum videtur esse*] De Saturnio versu dicturus, ostendit ipsum formari additis tribus trochaeis dimetro claudo, qui constat tribus pedibus iambicis, i. e. quos iambicus potest admittere, ac caesura, deinde tribus iam dictis trochaeis, cuius rei exemplum in litera posuit ibi, *Vt si vocet camoenas quis novem sorores*, qui sic feritur, *Vt si* – – *vocet* ◡ – *camoe* ◡ – *nas quis no* – ◡ *vem so* – ◡ *rores* – ◡. Quo metro Metellos author ait saepius lacessitos a Naevio poeta ita respondisse ut ibi in contextu; *Dabunt malum Metelli Naevio poëtae*, cuius quidem metri colon primum vides dimetrum claudum, videlicet, *Dabunt malum Metelli*. Et huic similes est, *Adest celer phaselus*, et *Memphitides*, post quos si adiicias tres trochaeos, Saturnius conflabitur, unde inquit, *Post*, supple illum dimetrum vides, Naevio poetae esse tres trochaeos, sic, *Naevi* – ◡ *o po* – ◡ *etae* – ◡. Quoniam autem quis posset dicere *etae* spondeus est ultima existente longa, dicit author, *Nam nil obest trochaeo longa quod suprema est*, quasi dicat, ultima non consideratur. PETR.

2499. *figura*] Id est, *forma, conditio*. BRISS.

2502. *Saturnium*] De hoc metro fuse agit Hermannus Elem. D. M. s. 525. BRISS.

2503. *Sed est origo Graeca*] Fortunatianus [p. 2679.] in

metris, *Saturninum*, inquit, *versum nostri existimaverunt proprium esse Italicae regionis, sed falluntur* (quanquam a Saturnia urbe Italiae vetustissima dici dicat alibi); *a Graecis enim varie et multis modis tractatus est non solum a comicis, sed etiam a tragicis. Nostri autem antiqui* (*ut vere dicam quod apparet*) *usi sunt eo non observata lege, nec uno genere custodito inter se versus: sed praeterquam quod durissimos fecerunt, etiam alios breviores alios longiores inseruerunt. Apud nostros autem in tabulis antiquis quas triumphaturi duces in Capitolio figebant, victoriaeque suae titulum Saturniis versibus prosequebantur, talia reperi exempla, Ex Regili tabula,*

*duello magno dirimendo regibus subigendis.*

*In Accili Glabrionis tabula,*

*fundit, fugat, prosternit maximas legiones:*

*Apud poëtam Naevium hos reperi idoneos,*

*ferunt pulchras pateras, aureas, lepidas.*

*Et alio loco,*

*novem Iovis concordes filiae sorores:*

*sed ex omnibus istis qui sunt asperrimi, optimus est, quem Metelli proposuerunt de Naevio aliquoties ab eo versu lacessiti.*

*Malum dabunt Metelli Naevio poëtae:* quae Fortunatiani verba plurimum conferunt lucis huic loco Terentiani. BRISS.

2512. *Vt tale*] Supple metrum. BRISS.

2517–21. *Dabunt malum Metelli, Adest celer Phasellus, Memphitides*] *Dabunt malum Metelli*, simile est supple his subiectis, *adest celer, &c.* BRISS.

2525. *Et choriambus unus*] In dimetris, inquit, claudicantibus, choriambus ponitur pro duobus iambis, qui par est eis in tempore ante antibacchum, qui est ultimus pes in dimetro claudo. Exemplum in litera *Inachiae puellae. Inachiae* – ◡ ◡ – choriambus, *puellae* antibacchus. Et ille, *Seu bovis ille custos* dimetrus est, constans choriambo et antibaccho, quos pedes si dividas, invenies trochaeum et iambum, iambumque et catalexin. PETR.

2528. *Videro*] Id est, videbo, quemadmodum, tu videris exponit Beroaldus in V. Apuleii de Asino aureo, pro videbis: quae locutio apud eruditos est frequentissima: aut videro (ut videritis tum commode dicitur, quum rei cuiusquam iudicium alicui permittimus) pro iudicabo ponitur. BRISS.

2528, 9. *novelli—poëtae*] Terentianus ante de novellis poetis meminit, quorum exempla libenter tractat. BRISS.

2529. *erit*] Id est, *adhibebitur*. BRISS.

2530. *Lex tamen una metri est*] Una, id est, specialis, et velut propria. Quasi dicat Terentianus, quanvis choriambicus versus (ut priores) claudicet, non tamen eadem lege seu una tenetur cum prioribus. BRISS.

2531–34. *Tīnctūs cŏlōrĕ nŏctis.*
*Dăbūnt mălūm Mĕtēllī.*
*Īnăchĭaē pŭēllāē*
*Seū bŏvĭs illĕ cūstōs*] Exempla haec ponuntur a Terentiano, ut subiiciat oculis nostris, quando praeponitur choriambus antibacchio versum fieri (ut priores) claudum, nec tamen teneri eadem lege: horum versuum duo superiores, exempla sunt dimetrorum claudorum: posteriores autem pro exemplis ponuntur choriambicorum. BRISS.

2535. *Colon et hoc in usu*] Id est, hoc choriambico usus est Horatius libro I. Carm. Ode 8. ibi, *Lydia dic per omnes*, &c. BRISS. Horatius inquit utitur huiusmodi versibus in Odis. *Carminis*, i. e. Odes. PETR.

2537. *Tu genus hoc memento*] De hoc non disserit Terentianus in sequentibus, quod argumento est Terentianum non esse integrum: sed sub finem mutilus an sit, amplius videbitur. BRISS.

2539. *Nunc quia quae potui*] De versu Phaleco tractat, quem aliquos Sapphicum nuncupare dicit quia Sappho eo frequens suo in poemate sit usa, modo ex huius tantum generis carminibus poema contexens, modo huiusmodi versus diversi generis carminibus intermiscens. Illum *hendecasyllabum* vocat, quod sit undecim syllabarum. Ἕνδεκα enim Graece, *Vndecim* Latine significat. Ex una parte hic versus constat ex hexametro, ex altera iambico; siquidem in priori parte spondeum est proprium, et dactylum habet, ut *Cui dono lepidum*. Tale enim est in principio, quale illud Virgilii, *At regina gravi*. Quod superest penthemimeris est iambica, et est principium iambici, quale *adeste nigris huc*. In posteriori vero tres trochaeos. PETR.

ib. *seorsa*] Id est, libera, non permista, quae heroico profecta sunt, et itidem quae iambico sunt prosata. BRISS.

2543. *ex uno possunt adiuncta referri*] Sensus est, quoniam unum genus carminis potest referre seu repraesentare adiuncta, id est, partes quae adiectae seu coniunctae possunt efficere et reddere carmina mista heroico et iambico: sequar compendium, id est, methodum seu viam brevem quae mihi ultro offertur, non exquirendo varia carminum genera, quae constent diversis commatibus. BRISS.

2548. *Namque et iugiter*] Fortunatianus [p. 2674.] *Phalecus versus*, inquit, *apud Sappho frequens est, cuius in quinto libro complures huius generis et continuati et dispersi leguntur.* BRISS.

ib. *iugiter*] Id est, *perpetuo, continue.* BRISS.

2549. *Dispersos*] Secretos et divisos. BRISS.

2550. *disparis figurae*] Dissimilis formae. BRISS.

2555. *Cui nomen quoque phaleco dederunt*] A Phaleco, quem ante Phaletium vocavit Terentianus, non authore quidem, sed cultore, si Fortunatiano [p. 2674.] credimus. Vbi notandum est quod docet Valla in Randensem multa adiectiva a suis primitivis vocem non mutare. Vnde phalecus, a, um, adiectivum eadem voce dici potest, qua primitivum phalecus phaleci. BRISS. Aldus legit. Caeterum huic lectioni praeter quantitatem hoc quoque repugnat, quod Terentianus phaleci appellationem hoc loco non ab authore sed a trochaeis continuatis, quos eodem nomine infra quoque aliquoties phalecos (ut nunc legitur) vocat, natum esse, videtur velle. Vt propterea dubitem, an potius phallico legendum sit ἀπὸ τῶν φαλλῶν s. a quibus et carminis genus φαλλικὸν apud Aristophanem in Acharn. et metrum ithyphallicum, de quo supra annotatum est appellata sunt. Tametsi nihil temere pronunciare volo, omneque illius rei iudicium lectoribus relinquo. MICYLL.

2556. *Verum mobilis*] Non modo inquit spondeum in primo loco semper habet, verum etiam trochaeum et iambum, quod exemplis Catulli probat, *Arido modo*, ubi trochaeus, et, *Meas esse, &c.* ubi iambus primas sedes tenent. PETR.

ib. *mobilis*] Id est, *mutabilis.* BRISS.

2559. *natus*] Id est, *inchoatus.* BRISS.

2561. *Docti Catulli*] Non temere, *docti* cognomine dicitur Catullus, quem Martialis [l. c. inf.] Vergilianae maiestati non diffidit opponere: quem Gellius [VII. 20.] *elegantissimum poë-*

*tarum* appellavit, quem Martialis plurimis in locis doctum: idque non modo, sed longe superiorem eum se testatus est. *Verona*, inquit [I. 62.] *docti syllabas amat vatis*. In distichis [XIV. 195.] *Tantum magna suo debet Verona Catullo: Quantum parva sua Mantua Vergilio*. Idem libro XII. [Ep. 78.] *Nec multos mihi praeferas priores, Vno sed tibi sim maior Catullo*. Catullum igitur scriptores docti cognomine honestarunt. BRISS.

2562. *Cui dono*] Locus ex primo Catulli epigrammate. [v. 1.] BRISS.

2565. *Quos dixi modo*] Quod superius dixit in hac parte dilucidius explicat. PETR.

2569. *Hic per commata*] Id est, *versus hendecasyllabus*. BRISS.

ib. *Hic per commata septies*] Dicit hendecasyllabum phalecum sic septies feriri per commata, ut inferius ordine monstrabit. PETR.

ib. *per commata*] Nam cum sit versibus suus cuiusque certus sonus, et quaedam intelligentibus nota vox, teste Cicerone, versus qui componentur ex heroicis et iambicis commatibus, referent sonos singula commata proprios suorum integrorum: scite dicit igitur Terentianus, hendecasyllabus septem modis feritur. BRISS.

ib. *septies*] *Septem modis*. BRISS.

ib. *feritur*] *Pronuntiatur*. BRISS.

2572. *Ex quis*] Cuius rei statim primum dividendi modum subiicit, dicens illud carmen dividi in principium hexametri usque ad penthemimerim, et in principium carminis iambici; quibus principiis si reliquum addatur, absolventur duo integra carmina, unumquodque in suo genere, ut ipse nec (sic) ostendit ibi, *Carmen Pierides pangunt*, *Struunt sorores Atticae*, unde de primo modo feriendi vel scandendi exempla exhibentur. PETR.

2573. *solidum*] Id est, *integrum*. BRISS.

2583. *Haec exordia versuum duorum*] Id est, commata quibus constat versus superior, principia possunt esse duorum versuum, heroici scilicet et iambici. *Carmen Pierides*] Primum comma est. *struunt sorores*. Secundum. BRISS.

2586. *utroque merito*] Id est, heroico et iambico supple. BRISS.

2590. *At quae nunc pedibus*] Secundus modus feriendi Phaleci in hac parte declaratur, siquidem in hoc secundo duntaxat duos pedes absque syllaba illa quae erat in primo, post ipsos duos pedes vides deinde tres trochaeos. Exemplo tibi est, *Pangunt carmina iam*. PETR.

2591. *cohibet*] Id est, *arctat*, *retinet*. BRISS.

2592. *semipedem trahebat*] Id est, *provehebat, semipede redundabat*. BRISS.

2593. *phalecos trochaeos*] Qui phalecii partem constituunt. BRISS.

2594. *Vt dixi modo*] In ithyphallico carmine supple. BRISS.

2597. *Nam si quattuor*] Dicit illud pangunt carmina additis quatuor pedibus hexametrum fieri. Pedes autem hi sunt, *Tergeminae memoranda sorores*. PETR.

2600. *Post hoc*] Id est, post duos pedes primos, scilicet *pangunt carmina*. BRISS.

2603. *Exin tertia*] Tertiam tamen hendecasyllabi, sive tertium modum feriendi docet, dicens, quod dempta dictione *sorores* ex illo metro Phaleco, *carmen Pierides dabunt sorores*, manebit tantum *carmen Pierides dabunt*: quod erit choriambicum cum factum ex hendecasyllabo. Aliquos insuper ipsum Bacchium vocare notat, quod et Glyconicum dicitur ab aliis. PETR.

2603. *tertia*] Supple tome. BRISS.

ib. *melius*] Valla libro secundo [c. 52.] docet bene et male pro valde usurpari: nec in positivo tantum habent hanc significationem, sed in comparativo etiam et superlativo. Vt peius, id est magis, aut validius: pessime, maxime, seu validissime. Vnde hoc loco melius, id est, liberius, seu magis, amplius. BRISS.

ib. *patet*] Id est, *funditur*, *protenditur*. BRISS.

2608. *Quod pars Bacchiacum putant*] Fortunatianus [p. 2674.] *Tertia*, inquit, *divisio hendecasyllabi est, Castae Pierides meae camoenae: detracto*, inquit, *camoenae, fit anacreontium metrum, syllabarum octo: quod musici bacchium vocant, grammatici choriambum*. BRISS.

2609. *Hinc primas capiti duas*] Dicit primum et tertium pedem in hoc scandendi modo, ut hi, *Carmen* ac *dabunt*, ab

aliquibus putari *excrementa,* i. e. purgamenta vel putamina huius carminis quae abiiciuntur, et dictionem *Pierides* pedem choriambum, i. e. trochaeum et iambum quia χόριος trochaeus sit. PETR.

ib. *duas primas*] Supple syllabas. BRISS.

ib. *capiti*] Id est, *principio versus.* BRISS.

2610. *Necnon totque itidem*] Alias legebatur, *nec non totidem ultimas,* corrupta metri ratione: Reposuimus autem *totque itidem,* admoniti versu qui in sequenti contextu ita legitur. *Binas hic capiti* &c. BRISS.

2611. *Excrementa*] Id est supplementa quaedam et assumpta ex heroico et iambico carmine: post vocabit Terentianus partes exteras. BRISS. Marius Victorinus p. 2597 = 205 *tam primae quam ultimae duae syllabae* incremento *magis quam textui pedum necessariae, ut putant, habentur.*

2622. *Primas inter et ultimas*] Id est, partes exteras, scilicet primum et ultimum pedes. BRISS.

2624. *Pars prima hic varie solet*] Spondeum et iambum in prima sede huiusce metri Glyconici admitti scribit, quod Septimii poëtae versibus probat qui iambum habent, ibi, *Gerit* &c. *Anhelos* &c. *opima* &c. *amori* &c. Trochaeum quoque sic locat. In Glyconico, inquit, potest etiam in primo loco trochaeus locari. Exemplo tibi sunt ejusdem Septimii versus, ibi, *Purpurae &c. Intus hic.* PETR.

2631. *Alter consimiles dedit*] *Alter,* ex authoribus novellis quendam signat. BRISS.

2637. *Vtque est mobilis*] Sicut, inquit, primus locus Glyconici modo spondeum, modo trochaeum, modo iambum recipit, ita rursum extremus semper iambum habet, quia ultima communis est. PETR.

2640. *Tendunt latius*] Asclepiadeum metrum duos choriambos inter spondeum primum et iambum ultimum claudit. PETR.

2646. *Primus Pierides, dulcisonum sequens*] Alias legebatur *dulcisonum dabunt.* BRISS. Al. *Primus Pierides dabunt, Alter dulcisonum dabunt.* COMM.

2649. *Vt pes haec habuit prior*] *Vt,* id est *ex quo,* adverbium est temporis. Ita Terentius in Hecyra, *Vxorem ut duxit,* &c. BRISS.

ib. *pes*] Per synecdochen pro versu ponitur. BRISS.

ib. *haec habuit*] Id est talia metra, seu mensuras. BRISS.

2650. *Sunt qui tradiderint*] Fortunatianus [p. 2700.] *Hoc*, inquit, (de choriambico huiusmodi loquens) *metrum videtur a pentametro natum: nam habet geminum pentimemeres: primum acatalecticum, secundum catalecticum.* Idem [ibid.] dicit hunc versum Asclepiadeum appellari non ab inventore, sed quod familiarius et frequentius sit eo usus Asclepiades: ante quem Alceus et Sappho usi sunt. BRISS. Addit sextum modum feriendi vel commutandi carminis suprascripti, videlicet, cum non modo duos, sed etiam tres choriambos duobus extremis vates inclyti interponant, ut hoc versu patet, *Carmen Pierides, si mereor, dabunt.* Ubi illorum opinio refellitur, qui dicunt Asclepiadeum fieri ex pentametro dempta ultima, quia, si Asclepiadeo ultimam addas, pentametrum facias, ut illis exemplis videtur, ibi, *Carmen Pierides*, et ibi, *Mecaenas atavis* &c. Cum istud in pentametro non detur, ut post spondeum tres choriambos, et iambum, possis, syllabam adiiciens, pentametrum dactylicum facere. PETR.

2656. *Moecenas aetavis aedite principibus*] Alias legebatur *remigibus*. BRISS.

2658. *Vsque autem*] *Vsque*, prope significat hoc loco, seu valde, quemadmodum apud Terentium in Adelphis [IV. 2, 19.] ibi *Ctesipho me pugnis miserum et istam psaltriam usque occidit.* Aut multum significat ut ibi apud Terentium [Ad. II. 2, 5.] *Ego vapulando, ille verberando usque, ambo defessi sumus.* BRISS.

ib. *videas*] Id est possis intelligere aut existimare. BRISS.

ib. *hoc procul a fide*] Id est, non esse probabile. BRISS.

2659. *vatibus inclytis*] Id est, apud vates inclytos septimus casus est. BRISS.

2660. *constiterit*] Id est cohibitum fuerit, et conclusum. BRISS.

ib. *uno pede*] *choriambico* supple. BRISS.

2661. *in tres consimiles*] Id est, choriambicos. BRISS.

ib. *eat*] progrediatur, propagetur. BRISS.

2662. *partibus exteris*] Paulo ante *excrementa* dixit. BRISS.

2666. *His est omnibus*] Horatius Flaccus suo in opere luculentissimo choriambico carmine unius non solum choriambi

inter spondeum et pyrrhichium, sive iambum, verum etiam duorum et trium usus est: unius, ut, *Sic te* – – *diva potens* – ◡ ◡ – *Cypri* ◡ –. Duorum ut, *Sic fra* – – *tres Helenae* – ◡ ◡ – *lucida sy* – ◡ ◡ – *dera* ◡ ◡. Vel ut illud, *Scribe* – – *ris Vario* – ◡ ◡ – *fortis et host* – ◡ ◡ – *ium* ◡ –. Trium, ut illud, *Tu ne* – – *quaesieris* – ◡ ◡ – *scire nefas* – ◡ ◡ – *quem mihi quem* – ◡ ◡ – *tibi* ◡ –. Exempla insuper Senecae in litera de unico choriambo patent. PETR.

2668. *Quo, dicam, et quoties modo*] Id est, *dicam quomodo et quoties*, id statim exponet. BRISS.

2669. *primum*] Id est, choriambicum ex uno pede. BRISS.

2669, 70. *suo carmine*] Id est, in suis odis. BRISS.

2670. *Solum*] Id est, seorsum, separatum. BRISS.

2672. *Exemplum Senecae dabo*] Alias legebatur *et Senecae dabo*. BRISS.

2673. *Thebis laeta dies adest*] Hoc habet in Hercule Furente [v. 875.] Seneca, choro tertio. BRISS.

2681. *Bis in carminibus suis*] Alias *ex carminibus* legebatur. Terentianus primum modum citat. *Sic te diva potens* &c. Secundus autem est ex libro primo, Ode tertiadecima [v. 1.] ibi *Quom tu Lydia Telepho Cervicem roseam, et cerea Telephi*, &c. BRISS.

2683. *Sic te diva*] Ex primo carminum, Ode 3. [v. 1.] BRISS.

2689. *Talem quem geminis*] In tribus duntaxat odis versus duorum choriamborum inter spondeum et pyrrhichium Horatium servasse docet, quarum odarum principia in litera notata sunt. *Carminibus* i. e. Odis. PETR.

2693. *Moecenas atavis*] Ex primo carminum, ode prima. BRISS.

2694. *Exegi*] Ex tertio carminum, ode ultima. BRISS.

2695. *Donarem*] Ex quarto carminum, ode octava. BRISS.

2696. *Nec non continuos*] Novem odas Horatium composuisse dicit, in quibus primi tres versus Asclepiadei, quartus Glyconicus existunt. Catullus in Epithalamio Manlii et Juliae, et in hymno Dianae Glyconicum cantavit. In Asclepiadeis duo sunt choriambi inter spondeum et iambum ultimum, in Glyconico autem vel Choriambico unus tantum est in medio

spondei et iambi, unde ait, *et cecinit post alium brevem ex uno simili pede. Scriberis Vario* &c. exemplo est. PETR.

ib. *dedit*] *Horatius* supple. BRISS.

2698. *Ex uno simili pede*] choriambico. BRISS.

2699. *carminibus novem*] Id est, *odis novem*. BRISS.

2701. *Scriberis*] Ex primo carminum, ode sexta. BRISS.

2705. *Tres binis pedibus*] Latius hic quot choriambis Asclepiadeum et quot Glyconicum constet indicatur, i. quod Asclepiadeus duobus, Glyconicus, uno. PETR.

2707. *Hanc docti tetracolon*] Quid velit Terentianus hoc loco, clarum est; ipse enim quid velit, explicat. BRISS. Odes partem quae primos tres versus Asclepiadeos et quartum Glyconicum habet, strophen appellari ait, i. e. conversionem. Nam στροφὴ Graece *conversio* Latine. *Tetracolos* autem dicitur, quod post quartum quemque versum fiat subinde conversio ad simile principali; unde ait, *Nam post quatuor*. PETR.

ib. *tetracolos*] Versus est ubi quatuor versus concluduntur: unde tetracolos strophe, conversio ad primum, post quatuor versus. Diomedes lib. III. [p. 507.] dicolon appellat hanc odam Horatii: quod igitur? alterne peccat? Neuter peccat. Sed diverso itinere tendunt ad idem: Terentianus *tetracolon* appellat, quod intra reversionem ad primum carmen, quatuor versus continentur: Diomedes *dicolon* quod duo tantum genera carminum capit. Vulgo inscribitur *ode tetracolos*. BRISS.

2709. *strophe*] conversio est. BRISS.

2710. *quatuor hoc genus*] Id est, huius generis. BRISS.

2711. *ex quibus*] Supple *quatuor versibus*. BRISS.

ib. *hi sunt sibi tres pares*] Id est, choriambici duobus choriambis constantes. BRISS.

2712. *Praemisi*] Versus choriambicos supple. BRISS.

2713. *quartus*] Versus choriambicus capit supple. BRISS.

ib. *capit unum*] choriambicum supple. BRISS.

ib. *in omnibus*] Supple versuum periodis, aut in numero versuum odae proxime praecedentis, qui capit strophen tetracolon. BRISS.

2714. *Iam qui perficiunt tres*] Dicit Horatium tribus duntaxat odis in quarum versibus spondeum inter et iambum sive pyrrhichium tres inessent choriambi, usum fuisse. Ex-

empla in litera praesto sunt, ibi, *Tu ne. Nullam, O crudelis.* PETR.

ib. *tres medii*] Supple choriambi. BRISS.

2715. *composui*] Id est, adscripsi, inserui. BRISS.

2716. *Tu ne quaesieris*] Ex primo carm. ode 11. BRISS.

2718. *O crudelis*] Ex quarto carm. ode 10. BRISS.

2719. *Binas hic capiti*] Noveris, inquit, perspicere, illis in versibus tres esse choriambos, si principio duas totidemque fini amoveris ipsorum versuum. PETR.

2721. *At versus meus est*] Talem se ex tribus choriambis versum composuisse indicat, qui est, *Carmen Pierides.* PETR.

ib. *composui*] Id est, finxi. BRISS.

ib. *ex tribus*] Supple pedibus. BRISS.

2726. *Ex uno*] Supple choriambo. BRISS.

2729. *Forsan longula*] Faciles quidem hi versus intellectu sunt, propterea illis dimissis ad sequentes accedemus. PETR.

2732. *Sed tot nos docuit metra*] Fortunatianus [p. 2674.] *Hendecasyllabi*, inquit, *varia divisio est: et omnis aut ex se efficiens, aut ad aliquod pertinens metrum.* BRISS.

2733. *Et sunt quae deceat magis*] *Et*, id est, ad haec, praeterea. BRISS.

ib. *quae*] Id est, aliqua quae. BRISS.

2734, 5. *dum recens Haec est regula*] Id est, dum in manibus est, seu in promptu, aut quasi dum manu tenetur. BRISS.

2735. *regula*] Id est, tome. BRISS.

2737. *Quem disiungere*] Cuius sectionis seu tomes si appendices, eaque quae videntur attingere tomen divisero, &c. BRISS.

2738. *singulis*] versibus supple. BRISS.

2739. *origines*] Id est, nativitates, fontes unde ducuntur. BRISS. i. e. derivationes. PETR.

2740. *Iam tractata retexere*] Retexere, repetere, renarrare, ut exponit Beroaldus in IX. libro de Asino Aureo [p. 171.] Translatum verbum a tela quae in textrino saepe retexitur. Nam proprie retexere est revolvere quod erat detextum: hinc Penelopes tela retexta noctu dicitur a Poëtis, et Apuleius in Apologia [313 Elm.] *omnem calumniae textum retexo,* pro eo quod est resolvo, diluo, refuto. Cicero in dialogis de Oratore

[II. 38.] *detexta retexere* dixit, illudens dialecticos, qui se solent suis acuminibus ita compungere, ut multa quaerendo reperiant non modo quae non possint dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa vel potius detexta prope retexantur; haec ex secundo de Orat. [l. c.] BRISS.

ib. *retexere*] replicare. PETR.

2741. *Ergo hinc*] Id est, ex minimo choriambico. BRISS. Omnis horum versuum summa est, ut quartam hendecasyllabi divisionem, deinde assumptionem doceat: cum detractis ex ipso hendecasyllabo tribus ultimis syllabis tres pedes hexametri carminis supersunt, nisi quod ultima tertii pedis dactyli prioris sc. commatis longa est, orationis finiens partem, quibus totidem aliis pedibus additis absolvitur carmen hexametrum, quod appellatur Priapeum, et Catullus tale condidit in honorem Priapi, quod ipse author citavit. Nec te moveat quod ultima tertii pedis syllaba sit longa, quia in hoc metrorum genere illa habetur ad placitum ut finalis, quod ultima sit in commate primo. Quare dicit, *Nec mirabere syllabae finem.* In principio autem huiusmodi versuum, i. e. prioris commatis, semper est spondeus, vel creati ab eo, seu iambus vel trochaeus; posterioris vero vel iambus vel trochaeus. PETR.

2741, 42. *altera Metri regula*] Id est, conditio, tome. BRISS.

2748. *versu non apta severo*] Versu est dativi casus, severo, gravi. BRISS.

2750. *nolunt hunc incolumem ergo*] Alias legebatur, *non hunc incolumen ergo.* BRISS.

2755. Quaedam de hoc Catulli fragmento notat P. Victorius Var. Lectt. XII. 3.

ib. *Hunc locum tibi dedico*] *In duo commata hic Priapeus versus dividitur*, teste Fortunatiano [p. 2676.] *quorum superius est octo syllabarum, et sequens septem, deminuta superioris commatis parte:* quod adscribo, ne forte ducamur errore, quum dixerit Terentianus, *ergo hinc nascitur altera | metri regula* &c. Nam credi posset ex duobus minimis choriambicis fieri hunc versum hexametrum, de quo hic Terentianus agit: sed non ita est. Nam hic choriambicus solum primam huius hexametri partem constituit, saltem acatalecticus, nam catalecticus secundam constituere dici potest. BRISS.

2756. *sita est quaque Priape*] Alias corrupte hic locus legebatur sic, *Est quaque Priape*, qua lectione versus stare non potest: hoc commate comperitur hos versus non continuare sententiam neque tractim, sed carptim ex Catullo lectos. BRISS.

ib. *Lampsaci*] *Lampsacus* Ptolemaeo [lib. V. 2.] legitur, *Lampsacum* Plinio [lib. V. 32.]. Est autem oppidum in capite Hellesponti alias Pityusa dictum, teste Plinio lib. V. [l. c.], ubi Priapus colebatur, de cuius Sacris, apud Lactantium lib. I. de falsa Religione [c. xxi.], apud Augustinum lib. II. de Civitati Dei [c. xiv.], ex Diodoro [l. IV. 1.] traditur origo colendi Priapi in Commentario cap. 14. BRISS.

2757. *Nam te praecipue*] Alias legebatur, *Nam te praecipue in suis versibus colit ora*. BRISS.

2758. *ostreosior oris*] Plinius libro tricesimo secundo cap. 6. *Sunt*, inquit, *Mutiani verba quae subiiciam. Cyzicena maiora Lucrinis* (*de ostreis loquitur*) *dulciora Britannicis, suaviora Edulicis, acriora Lepticis, pleniora Lucensibus, sicciora Coryphantenis, teneriora Istricis, candidiora Circeiensibus: sed his neque dulciora neque teneriora esse ulla compertum est.* Cyzicus autem in Propontide est, quae quid est nisi Hellespontus, praeterquam quod Propontis laxior est et dilatatior? Capella lib. VI. [657. 661.] in eodem sinu Propontidem et Hellespontum locat, quae loca Ponto continentur, sed nomina sortiuntur diversa ex variis argumentis. Ex Plinii verbis colligi liquido potest cur ora Hellespontia sit caeteris ostreosior. Alias, alibi striosior, alibi ostriosior legebatur. BRISS.

2759. *Et similes plures*] Catullus praeter poema quod vulgo in manibus habetur, conscripsit carmen amatorium de incantamentis, ut testis est Plinius lib. XXVIII. [IV. (II.)] scripsit et carmen ithyphallicum, ubi hi versus habentur, si usquam sunt. BRISS.

ib. *Catullum*] Hoc quidem Cat. II. carmen non exstat, eiusdem tamen generis apud eumdem est, quod incipit, *O Colonia, quae cupis ponte ludere longo*. MICYLL.

2760. *pellit*] *Respuit*. BRISS.

2761. *utraque portio*] Id est, *utrunque comma*. BRISS.

2764. *Tanquam de pede dactylo*] Diligenter observandi sunt hi versus, ut qui a Terentiano ita compositi sint, quemad-

modum legem ipse praescribit: sensus est, non miraberis in hoc versu si tertia fiat longa in fine primi commatis. BRISS.

ib. Id est, quodammodo de pede dactylo: quod ideo dicit, quia non proprie ultima primi commatis est de dactylo syllaba: quum primum comma sit minimus choriambicus, qui non habet dactylum in fine: quodam tamen modo habet dactylum. Nam duabus ultimis, quae breves esse solent, si adiungis praecedentem, facies dactylum. BRISS.

2765. *talis versus*] Supple choriambicus qui primam partem huius hexametri constituit. BRISS.

2767. *ambo supremas*] Hic eclipsis verbi est, subaudi habent liberas: in fine enim commatum (ut quidam volunt) sunt syllabae iuris eius, cuius sunt in extremis versibus, ideoque brevis pro longa et contra locari potest. BRISS.

2769. *Et Maro dat tales*] Virgilium poetarum doctissimum tales composuisse versus indicat, si versus secus ac ab ipso dividantur, hoc modo: *Fronde super viridi, sunt. Castaneae molles et. Turbabat caelo nunc. Aut capere aut captus iam.* Et reliquae partes dederint secundum comma videbuntur Priapei sonoritate, sed tamen revera non erunt. Ille vero versus *Cui non dictus Hylas puer*, versus Priapeus dicetur, quod in priori commate *puer* partem orationis terminet. PETR.

ib. *sed quia distinctio verba dissociat*] Fortunatianus [p. 2676.] *Ita huius versus*, inquit, *exigit natura, ut inter duo commata exiguam pronuntiando interponas moram.* De silentio interponendo, multa D. August. in Musica [l. III. ad fin.] unde Maro quamvis hos proximos versus qui metra seu mensuras Priapeorum videantur habere, dederit: quia tamen in primo commate non est distinctio, non apparent Priapei, et sonus Priapeorum transvolat nostras aures. BRISS.

2772. *Fronte super viridi*] Castaneae molles, &c. Loci sunt ex I. Aeglog. Virg. BRISS.

2774. *Turbabat caelo*] Aut capere aut, &c. Versus sunt ex I. Aenei. BRISS.

2779. *Vt versus sonat alter*] *Subsequens.* BRISS.

ib. *nudat*] Id est, prodit seu aperit esse Priapeum. BRISS.

2780. *Cui non dictus Hylas*] Ex principio III. Georg. BRISS.

2781. *Si quis sic quoque*] Subdit author quod si qui versus

antedictos solverint eo modo quo commata solvuntur, ipsi videbuntur carmina choriambica, bacchiaca, i. e. glyconica est ibi sunt exempla: *Cui non, &c.* PETR.

ib. *primum commatis instar*] Hoc dicit Terentianus quemadmodum dixit superius *verbi vel nominis instar*. Instar commatis, id est, figuram, formam. Alias legebatur, *prima commatis instar*. BRISS.

2782. *Ex uno choriambico, de quo disserui modo*] Alias istud in unum versum regestum legebatur, sed in duos minimos choriambicos digerere mihi visum est. Nempe legem versus non videbam servari. Et Terentiano hactenus placuit versum repraesentare de quo praescriberet. BRISS.

2788. *Vsque*] Id est, *semper*. BRISS.

ib. *Vsque autem duo commata*] Ex his versibus author memorat Horatium Flaccum Priapeos versus composuisse, sed illos ita distinxisse, ut an sint Priapei perspicue cognosci non possit. Quare dicit quod si versus vertantur, ita ut quartus quisque tertio loco ponatur, eique annectatur tertius atque ex duobus unum fiat carmen, illud ipsum erit Priapeum, Hoc modo: *Cui flavam religas comam* sit in priori parte, *Grato Pyrrha sub antro* sit in inferiori, sic, *Cui flavam religas comam Grato Pyrrha sub antro*, quem versum eos quidem pedes quos et Priapeus habere debet, habere manifestum est. PETR.

ib. *duo commata*] Quibus hic hexameter Priapeus constat. BRISS.

2790. *ut*] Id est, *quum*. BRISS.

2791. *Non hoc situ*] Id est, *ordine*. BRISS.

2792. *Versa sed vice pristina*] Id est, transmutato loco quem prius habuerunt: ita ut sit pars ea quae Priapeum versum terminabat, prior, quae scilicet spondeo finiebatur: altera vero posterior quae fere dactylo claudebatur: id quod exemplis Horatii manifestat. BRISS.

2796. *partes* (*ut modo*) *duas*] Sensus est, hos versiculos, appositive, duas partes non tanquam solidum versum subiungit. Hic notandum esse de sententia Terentiani hos epodos,

*Grato Pyrrha sub antro,*
*Cui flavam religas comam, &c.*

Ejusdem rationis esse. Sunt enim terni pedes hexametri, quorum vis est eadem et ratio: licet interpretes Horatiani fa-

ciant hos epodos, versus diversos: quód etiam revocabitur in sermonem sub finem. BRISS.

ib. *ut modo*] Id est, ut statim supple monstrabitur exemplis. BRISS.

2798. *Quis multa*] Ex I. Carm. Ode V. BRISS.

2804. *hic igitur*] Id est, *in hac Ode*. BRISS.

2814. *Nec quod desinet*] Non te moveat, inquit, author quod in ultima parte prioris commatis dactylus finiens partem orationis habeat extremam longam, quia ratione ultimae, quae est libera excusatur. PETR.

ib. *Nec quod desinit in comam*] Id est, comma quod finem habet dictionem *comam*. BRISS.

2817. *libera legis*] Id est, solvatur lege, id est, non certo tempore, sed velut communi et ancipiti teneatur. BRISS.

2818. *Sunt haec*] Claudicat hic versus, &c. Fortasse si legeris, *Sunt haec talia Flacci vatis carmina quinque* rectius incedet. PETR.

ib. *carmina quinque*] Scilicet ex I. Car. Od. 14. In eodem 21. In eodem 23. In III. Od. 7. In eodem 13. BRISS.

2819. *Iam divisio*] Quomodo ex hendecasyllabo in hac quarta divisione Phalaecorum caesura trochaica fiat hic docet, dicens, quod si ex illo versu, *Carmen suave dedistis o Camoenae*, dempseris *o Camoenae*, tunc erit quale illud heroicum Virgilianum, *Infandum Regina*, ubi trochaicum tomen inesse conspicis, quae datur quando post duos pedes heroici versus sequitur trochaeus partem orationis finiens qui caesura trochaica nuncupatur. PETR.

ib. *morosa*] Id est, *longa, prolixa*. BRISS. *Morosum* Barthius ad Gul. Britonis Philip. X. 449. interpretatur *longum taediosum*. Marius Victorinus p. 2600=210. *non perplexa nec multiplex*.

2820. *Habebit clusum nomine tertium*] Scilicet *dīstĭs*. BRISS.

2824. *Quae post hos geminos pedes*] Scilicet *cārmēn sūavĕ dĕ*. BRISS.

2833. *Et quintam breviter tamen loquemur*] Quonam modo de hendecasyllabo Phaleco fiat Sotadeum carmen his versibus author exponit, dicens, quod si inter spondeum qui est primus pes in Phaleco, et dactylum qui secundus est, anapaestus interponatur, perfectum Sotadeum formabitur, hoc modo,

*Carmen lepidae Pierides dabunt sorores;* quod ita feritur, *Carmen lepi* – – ⏑ ⏑ *dae Pieri* – – ⏑ ⏑ *des dabunt so* – ⏑ – ⏑ *rores.* Vnde ait hos versus a Varrone nuncupari *Iones*, i. e. ut dicat esse carmina Sotadea, quae fiunt ex Ionicis a maiori, sed deminutos esse numero pedum. PETR.

2837, 8. *Videbis ipsum consueto pede Sotaden locutum*] Id est, tum perspicies sotadicum metrum. BRISS.

2842. *consequenti*] Supple *dactylo.* BRISS.

2846. *Vir doctissimus undecunque Varro*] Quintil. lib. XII. [11, 24.] *Quam multa, imo pene omnia tradidit Varro.* Cicer. lib. I. Acad. Quaest. [c. 3.] *Nam nos,* inquit, *in nostra urbe peregrinantes, errantesque tanquam hospites tui libri* (de Varrone loquitur) *quasi domum deduxerunt, ut possemus aliquando qui et ubi essemus, agnoscere: tu aetatem patriae, tu descriptionem temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu bellicam disciplinam, tu sedem locorum, regionum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti: plurimum quidem et poëtis nostris, omninoque Latinis et literis luminis, et verbis attulisti: atque ipse varium et elegans omni fere numero poëma fecisti.* Martial. lib. V. [XXXI.] *Varro Sophocleo non inficiande cothurno, Nec minus in Calabra suspiciende lyra, &c.* Augustinus lib. VI. de Civitate Dei [c. 2.] citat hunc locum Terentiani de Varrone loquens: *Iste igitur,* inquit, *vir tam insignis excellentiaque peritiae, et quod de illo Terentianus elegantissimo versiculo breviter ait, vir doctissimus undecunque Varro: qui tam multa legit ut aliquid ei scribere vacasse miremur: tam multa scripsit, quam multa vix quenquam legere potuisse credamus:* est igitur Varro *vir doctissimus undecunque,* id est, ex omni parte, seu nulla pars doctrinae claudicat in Varrone. BRISS. Hoc versu quanti faciundus sit Varro dignoscitur. PETR.

2848. *Hinc natos*] Id est, ex Ionicis phalecos ait ductos esse. BRISS.

ib. *sed minores*] Supple pedum numero, ut statim dicetur. BRISS.

2849. *Nunc divisio*] Hac quoque hendecasyllabi divisione docet quomodo de Phaleco Anacreonticum carmen componatur, quo carminis genere Anacreon et Petronius poetae lyrici et plures alii usi sunt, dicens, quod si ex illo versu *Iuve-*

*runt segetes meum laborem* dempseris illam dictionem *Iuverunt*, reliquum erit versus Anacreonticus similis versibus Petronii, cuius quatuor in litera subiecit, ibi, *triplici*. Illud vero *juverunt* erit principium carminis hexametri, cui si reliquum addatur, ipsum carmen hexametrum absolvitur, quod ipsemet ostendit ibi, *Iuverunt animum versus ex carmine Flacci*. PETR.

2850. *Anacreonta*] Anacreon lyricus poeta Teius fuit, ex Teio oppido Ioniae, ut testatur Horat. in Epod. od. XIV. [v. 10.] qui cantavit iocis et conviviis digna; de quo Horat. lib. IV. Car. [IX. 9.] *Nec si quid olim lusit Anacreon, delevit aetas*. Horatius *minaces* eius vocat *camoenas*. BRISS.

2851. *cantilenas*] Id est, *odas*. BRISS.

2852. *Petronius*] Is est quem ante dixit disertum Arbitrum. BRISS.

2853. *Musicum*] *Poetam*. BRISS.

ib. *refert*] Petronius, supple eundem Anacreonta. BRISS.

2855. *Et plures alii*] Inveniuntur usi supple. BRISS.

2859. *pedes referre*] Id est, *reddere*. BRISS.

2862. *triplici vides ut ortu*] D. August. in IV. Musicae [c. 12.] citat tanquam versum integrum. *Triplici vides, ut ortum Trivie rotetur ignis*. Atque ut adscribo, conserit. Ad haec, adnotatiuncula in margine significat hunc versum a Varrone inter ionicos a maiori censeri: quod non putarem admodum considerate dictum: sed Terentianus clarus est, immorari desinam. BRISS.

2866. *Nonnulli metron hoc*] Nonnullos ait putasse hos versus sc. *segetes*, &c. esse ex genere ionicorum et απο μειζονος, i. e. ionicos a maiori, sed deminutos numero pedum, quia pars sunt ionicorum a maiori: ostendit deinde quando (quomodo) ipsi versus feriantur, dicens, quod in prima parte recipiunt pyrrhichium qui et pariambus dicitur, deinde tres trochaeos, non autem anapaestum et iambos. Hoc vero fieri author affirmat, quo dilucidius probetur eos esse ex ionicis, sed deminutos numero pedum, quia tome sunt ionicorum, in quibus nonnunquam accidit, ut ex singulis ionicis fiant bini trochaei, transpositione syllabarum brevium in locum longarum, et contra: qualis ultima pars illius versus ionici. *Vrbem tenuem fovent opum benignitate*. PETR.

2869. *Vt versus*] Id est, ita quod ionicus a maiore. BRISS.

ib. *plenus*] Id est, *perfectus*. BRISS.

2874. *Nec pars haec*] Scilicet *segetes meum laborem*. BRISS.

2875. *catalecticam supremam*] Non sumat supple. BRISS.

2878. *pedes Ione*] Id est, ex Ione, seu Ionici: ante Ionas, Ionicos pedes dixit, ibi, *Est unus Ion hic datus, &c.* Et ibi, *Nunc reddo duos nomine quos ionas*. BRISS.

2885. *Hoc si hic repetamus*] Galliambum, inquit, fiet, si ex duplicato Anacreontio ultimam syllabam amoveris, hoc modo: *Segetes meum laborem segetes meum labor*. Et dicitur metrum Galliambum quod eo Galli sacerdotes Cybeles in sacrificiis uterentur celebrandis. Hunc praeterea versum dicit pro iambo recipere tribrachyn; in priori enim commate tres sibi vendicat pedes et catalexin, videlicet anapaestum: loco cuius aliquando subit spondeus, deinde duo iambi et catalexis; posterius vero comma tres similiter recipit, videlicet, pyrrhichium primum, post duos trochaeos, et catalexin, sed loco ultimi saepissime tribrachys invenitur. Feritur igitur sic: *Segetes* ⏑ ⏑ – *meum* ⏑ – *labo* ⏑ – *rem. Sege* ⏑ ⏑ *tes me* – ⏑ *um la* – ⏑ *bor* –. Tale et protulit Catullus, *Super alta vectus Attis:* quamvis nonnulli secus scandi dicunt, quod falsum est, nam constat, ut praediximus, primo pede spondeo vel anapaesto, dein duobus iambis, seu tribracho, et caesura in priori commate; in posteriori vero pyrrhichio et duobus trochaeis ultimis, vel tribrachy loco ultimi trochaei, et caesura. PETR.

2888. *Segetes meum labo*] Alias hoc secundum comma legebatur integrum sic, *segetes meum laborem:* quod videtur et apparet fieri praeter authoris sententiam. Diomedes libro tertio [p. 514.] *Inferius comma*, ait, *superiori simile esset* (de galliambico versu loquitur) *nisi amisisset ultimam syllabam:* Fortunatianus [p. 2677.] profert hoc exemplum *mea Vatiena amabo, mea Vatiena ama*. Vnde in commate secundo legendum esse, segetes meum labo, colligas. BRISS.

2889. *subinde*] Id est, per intervalla quaedam, scilicet quum Galli sacra Cybele faciunt. BRISS.

ib. *Cybeleïum nemus*] Est Cybele communis quidem dea, celebratur tamen praecipue apud Phryges, a quorum montibus, quos Cybelos vocant, Cybelen dictam Servius putat in decimo Aeneidos [v. 220.] vel ut ait idem ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλήν, id est, a capitis rotatione, quod est proprium eius

sacerdotum, quod semper Galli per furorem motu capitis comam rotantes ululatu futura praenuntiabant. Alii volunt Cybelum fuisse primum eius sacerdotem; unde illa nomen sumpsit, ait Servius in tertio Aeneidos [v.111.] Cybeles festum Nonis Aprilibus celebrabatur: in cuius sacris cum tympanis et strepitu choreae agebantur: Ovidius in IV. Fastorum [v. 179.] *Ter sine perpetuo caelum versetur in axe, Ter iungat Titan, terque resolvat equos. Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu Flabit, et Ideae festa parentis erunt: Ibunt semimares et inania tympana tundent, Aeraque tinnitus aere repulsa dabunt, &c.* Ad hos ritus galliambos versus (quos tremulos vocat) habiles et aptos esse dicit Terentianus; Nempe fieret soloecismus, si motu celeritas, gravitas verbis aut tarditas innueretur: Cybeleïum nemus vel a Cybelo monte, ubi sacra peragebantur, aut a Cybele dea dicitur. BRISS.

2890. *Nomenque galliambis*] Pulchre Terentianus ducit galliambi versus etymologiam. BRISS.

ib. Citat J. Bononiensis in Gruteri Fac. Art. T. I. p. 679.

2893. *Mage quo sonus vibretur*] Ante satis dictum est, ut breves solent vibrare sonos: lege superius, Nam quo fuerint crebrius hi pedes minuti, &c. BRISS. Conf. P. Victorius V. L. XX. 10.

2896. "Miror," inquit Muretus, "cur Terentianus primi "commatis catalecticam brevem esse dicat, longam enim esse "constat." Verum est hanc syllabam semper esse longam, quam Terentianus brevem esse dicit. Quare miror Muretum in contextu huius Grammatici latuisse vitium. Puto ita corrigendum esse *catalecticam haud brevem.* Secundum Terentianum hi sunt pedes versus,

sŭpĕr āl|tă vēc|tŭs $\overline{\Lambda}$|tȳs | cĕlĕ|rī ră|tĕ mărĭ|ā.

Alii ab eo differunt. OBSERV. MISC. T. II. p. 324.

2900. *Super alta vectus*] Nec ita legebatur ante, nec versus proximus insertus erat. Ex Catullo [LXII.] hanc decerpsi lectionem. BRISS.

2901. *At quae septima*] Hac septima Phalecii divisione docet Hipponacteum quadratum claudum componi ex caesura hexametri trochaica, et penthemimeri Phalecia, sic, *Carmen nemo* pars est hexametri, quia *carmen* spondeus est, *nemo* trochaeus, quod reliquis pedibus adiectis facile apparebit, hoc

modo; *Carmen nemo potest*, vel illud *Carmen nemo dabit*. Haec pars, *facit meo Sabino* claudicat; cui si adiungas haec verba, *Quis carmen aut versum novum*, vel, *Phaselus ille quem vides*, quadratum claudicantem habebis, qui Hipponacteus dicitur. PETR.

2902. *Hipponactis habere claudicantem*] Id est, partem iambici quem dixit ante in ima parte claudicare, quom scilicet trimetro antibacchus subiicitur. BRISS.

2905. *posta*] Id est, *posita, adhibita*. BRISS.

2911. *hic*] Id est, *nunc*. BRISS.

2914. *Hinc iam caetera*] Admonet Horatium in componendis odis suis nunc subiunxisse solum alterius generis versum soli, ut in illo, *Sic te diva potens Cypri;* nunc praemissis binis binos subiungit, et a superioribus quidem diversos, sed tamen inter se pares, ut, *Quam multa gracilis tu puer in rosa:* nunc unum tribus, ut in Sapphicis, &c. PETR.

ib. *Hinc iam caetera metra persequemur*] Postquam Terentianus docte de metrorum generibus disseruit, iam misturam epodorum coepit aggredi: hic autem non peculiariter epodos Terentianus intelligit librum qui inscriptus est epodi, sed odas (quaecumque sint) sparsas in libris carminum, quae videantur epodorum tenere rationem: quod vel eo manifestum est, quod statim misturam subiungit versuum ex primo carminum: potest et eo manifestum fieri, quod in epodis non deprehendas tot misturas, quot hic proponit. BRISS.

2916. *recinens dato priori*] Id est, diversum regerens et subserens. BRISS.

2917. *Nunc binos geminis*] Binos supple versus eiusdem rationis. BRISS.

2919. *impar*] Id est, diversae legis et conditionis. BRISS.

2920. *Quem tibi tetrametrum*] Obiter Terentianus de Ratione Compositionis Ode huius, *Solvitur acris hyems, &c.* tractat, dum quod agit, agit: scilicet dum unum metrum dato priori recinuisse Horatium docet. BRISS. Tetrametrum inquit, tribus trochaeis adiectis, tale fit carmen, *Solvitur acris hyems*. PETR.

ib. *iam diximus*] In tractatu de versu heroico supple. BRISS.

2921. *ut dedi gemellos*] In tractatu de heroico [l. 2093.] duos

tetrametros, id est, duorum generum dedit: alterum ex prima parte heroici, alterum ex secunda. BRISS.

2923. *Huc differre*] Agit hic author de versu senario claudo, qui constat ex parte iambi, et tribus trochaeis, et dicit, melius fuisse quod huc usque protulerit hunc tractatum ut doceret quomodo scanderetur. Tantum autem his versibus hoc dicit, quod carmen illud *trahuntque siccas, &c.* ita feriri debet, *trahunt* ◡ – *que sic* ◡ – *cas. Machi* – ◡ *nae ca* – ◡ *rinas* – – ; quam facere ut in ultimo loco sit antibacchus: rationem vero esse affirmat, quod hoc Horatius conatus est finem versuum similem reddere, nam ut in superioris fine tres sunt trochaei *Veris* – ◡ *et Fa* – ◡ *voni* – –, ita etiam in proximo esse debet. Post haec recenset quae metrorum genera inter se Horatius copulaverit, vel quae quibus subiecerit: haec autem omnia ex ipsius authoris versibus magis perspicua sunt quam ut expositione indigeant. PETR.

ib. *Huc differre supra fuit utile*] Paululum supra principium de iambico dixit Terentianus, *Caetera tetrametris reddemus quando duobus.* Alias legebatur, *Nunc differre, &c.* BRISS.

ib. *quod sequens epodus*] Scilicet *trahuntque siccas machinae carinas.* BRISS.

2924. *Cum parte iambi*] Id est, *cum penthemimeri iambica.* BRISS.

2925. *Et nondum*] Sensus est, et quod supple nondum, &c. BRISS.

2926. *adortus*] Fueram supple. BRISS.

2927. *Huc differre*] Alias *nunc differre* legebatur. BRISS.

2928. *probaret*] Modus est potentialis, id est, probare posset. BRISS.

2929. *Solvitur acris hyems*] Ex I. Carm. Od. IV. BRISS.

2930. *Trahuntque siccas*] Vulgo legitur *ducunt* apud Horatium, sed trahunt melius quadrat, non dico versui, sed contextui. BRISS.

2934. *supersit*] *Superest, restat.* BRISS.

2935. *Similes trochei*] Supple trocheis versus prioris. BRISS.

2939. *Claudum antibacchum qui facit carinas*] Hyperbaton est. Sensus est, ut putemus inquam carinas esse antibacchum qui facit claudum trimetrum. BRISS.

2947. *quanquam iambum*] Id est, iambi penthimimerin, scilicet *trahuntque siccas*. BRISS.

2950. *Quam petat*] Alias legebatur *poscit*, sed vitio metri. Nam versus est similis huic, Trahuntque siccas machinae carinas: ubi anapestus non inseritur commode secundo loco. BRISS.

ib. *iambus*] Id est, versus iambicus dimeter. Sensus est, magis putandum est tres datos esse trocheos post iambi penthemimerin, quam versus iambicus dimeter petat antibacchum in fine, fiatque versus trimeter claudus. BRISS.

2951. *Vterque finis versus*] Supple prioris scilicet. Solvitur acris hyems &c. et posterioris scilicet: *Trahuntque siccas*. BRISS.

2954. *copulavit*] Horatius. BRISS.

2957. *Mella cava manant*] Ex Epodis Horatii, Od. 16. [v. 47.] huc transferuntur hi versus. Alias *sonante* legebatur, sed apud Horatium *crepante* legitur. BRISS.

2962. *Mollis inertia*] Ex Epodis locus, Od. 14. BRISS.

2964. *Nox erat*] Ex Epodis, Od. 15. BRISS.

2966. *comparat*] Id est, componit, committit. BRISS.

2967. *subicit*] Loco *subiicit*, alias versus non staret. BRISS.

2969. *Pecti nihil*] Ex Epod. Od. 2. BRISS.

2971. *Prior trimetrus est tomen qui non habet*] Ante legebatur *Prior trimetrus quem Ionem non habet*, sed mendose, neque enim sensus hinc percipi posset, neque lex metri servaretur, neque Latinitas salvaretur, supponendum igitur putavi, Tomen qui non habet, id est qui simplex est, et impermistus: non enim quemadmodum hendecasyllabi permisti sunt heroo et iambico per tomas seu commata, sic iste versus confunditur, sed sua ipsius lege, non aliena currit. BRISS.

2973. *Ad hoc dimetrum*] Alias legebatur *at hoc*. BRISS.

2975. *Semelque et istud functus est*] *Fungi* cum accusativo veterem et elegantem locutionem reddit: sicut *potior*: Plautus in Menechmis [I. 4, 5.] *Parasitus hominum octo munus facile fungitur*. Suetonius in Augusto [CXXXV. 4.] *fungi senatoria munera* dixit. BRISS.

2978. *Dein dimetrum*] Alias legebatur *deinde metrum*. BRISS.

2979. *Et hic (ut ante) versus*] Hiperbaton est: et hic ver-

sus unus ut foret, loco huius, ut et hic versus unus foret. BRISS.

2980. *Horrida tempestas*] Ex Epodis, Od. 13. BRISS.

2981. *sylvae*] Diaeresis est. BRISS.

Hactenus, Terentianus de mistura versuum, quae quoniam non implet quod Terentianus ostenderat, atque id in cuius spem nos vocarat his versibus, *Hinc iam caetera metra persequemur*, *Quae Flaccus varie suis epodis* &c.; Iam facile colligas non modo non integrum venisse ad nostras manus Terentianum, sed ne adhuc quidem esse integrum: *lacunam*que hoc in libro ut *in auro factam* significat Cicero [XII. 6.] ad Atticum. Colligas et eo quod praescripsit, *Tu genus hoc memento reddere quum reposcam*: nusquam enim reposcit colon quod reposcendum posuit. Georgius Galbiatus quidem qui Terentiani exemplar ex bibliotheca divi Columbani eruit, et impressioni dedit imperfectum adhuc opus itidem putat particulamque libro ereptam: haec ex epistola in codice manu scripto huc adscripsi. At manum non verterim, si versu manus quod est reliquum (nisi quod pulchriora sunt integra mutilis) redimendum mihi illa lege poneretur: non inquam manum verterim, si momentum (quod quanvis pretii, non quantivis est) spectem. Nam coepit docere quemadmodum recinuit Horatius, Unum carmen priori dato: quid igitur superest docendum? ut binos eiusdem legis versus binis comparet, vel tribus unum, tum binos varie sonantes. Binos varie sonantes binis dedit in I. Carm. [ix. et xvi.] ibi, *Vides ut alta stet nive candidum* &c. Item, *O matre pulchra, filia pulchrior*. Huiusmodi subinde sparguntur in libris Carminum. Contulit unum tribus, ibi, Jam satis terris nivis &c. atque alibi saepius ut in ode Scriberis vario &c. Binos eiusdem generis comparavit ut, Quis multa gracilis te puer in rosa &c. et ibi Dianam tenerae dicite virgines. Non me latet tertium quartumque metrum huius generis fere distingui, ut tertium pherecratium trimetrum acatalecticum dicatur, quartum gliconium. Sed huiusmodi versiculi quum non numero syllabarum sed tempore pensentur, et ut ait Terentianus sua pedibus tempora sufficiat referre, in odis huius generis dicam binos eiusdem generis binis committi: ut tertius et quartus non sint

impares: Idem enim pes est tertius, scilicet spondeus, et qui sub illius consonat vocabulo, id est dactylus, quorum alteruter etiam in versu heroico cedit alterutri: tantum abest ut non cedat in minutis versiculis, atque his epodis. Alioqui non comperies apud Horatium binos eiusdem generis geminis comparari. Terentianus item superius posuit, *Grato Pyrrha sub antro*, et, *Cui flavam religas comam*, tanquam commata eiusdem rationis: ibi, [2796.] *Tunc hos iungit epodos, partes* (*ut modo*) *duas*, ut ante notatum est: et ex divisione clarum est fieri ita necesse esse, si modo dicit aliquid Terentianus. Dico vero binos eiusdem generis, &c. Nam si binos diversi generis intelligas, hoc secundum membrum divisionis a Terentiano positae, de his quae supererant dicenda, cum quarto coibit. At oratio quasi equus retrahatur, ne si os effrenatum habeat, ut ait Plato in IV. de Legibus [III. p. 701.] dicendi, concita impetu, ab asino, ut proverbio ferunt, excutiatur. BRISS.